F. AMBROSII CATHARINI POLITI SENENSIS ORD. PRAED.

Annotationes in Commentaria Caieta ni denuò multò locupletiores & castigatiores redditæ. Quod ex eiusdē subiecta præfatione, & Indice copioso facilè patebit.

ἐκ πόνου ὁ βίος.

Sic ars chalcographi saxea monstra domat:



Sic labor alatum te super astra feret.

18

LVGDVNI

Apud Mathiam Bonhomme.

1 5 4 2.


INRI

F. IOANNES Fugger ſacræ Theologiæ magiſter, & Inquiſitoris partes agens Lugduni, fratri Ambroſio Catharino Polito dilectiſs. Sal. in Dño.

TVVS iſte labor aſsiduus & iuge ſtudium aduerſus eos qui varijs ac peregrinis commentationibus labefactare ædificium Dei omnipotentis conantur, mihi iamdudum ſatis ſpectatum, & cunctis catholicis à nonnullis tuis operibus æditis vnanimi conſenſu probatum, facilè meum animum impulit, vt iuſtæ poſtulationi tuę aſſentirem. Poſtulaſti enim, vt Annotationes quas olim in Caietani dogmata quædam, quæ à communi Theologorum, & ſancti Doctoris noſtri doctrina exorbitare videbantur, elucubraſti, meo permiſſu denuo typis excuderentur. Non enim meritò ac iure illud improbare poteram, quod ſciebam àclariſsima Parrhiſiorum vniuerſitate probatum eſſe. Et nunc illud ac-

cesserit, quòd hoc operis à te diligentius conside- ratum, & repurgasti, & multis accessionibus ad volumen iustum redegisti, ea presertim adijciens, quæ recti oculi ad christianissimam veritatem plurimum pertinere facilè perspicient. Quare non aliud mearum partium nūc esse video, quàm precari, vt sicut tuus iste labor apud iustissimum iudicem proculdubio suo præmio non carebit, ita & apud Lectorem merito fructu non defraudetur. Quod certè spero fore, si, omni affectione semota, prudens lector illud sibi ante oculos proposuerit, quod nō tam philosophicum est, quàm Christianum, scilicet, Dissidentibus amicis inter se, sanctius esse præferre ueritatis honorem: in cuius gratiam etiam propria quæ malè illi consonent, debet unusquisq; destruere. Vale. Deus tua ista studia secundare dignetur ad ipsius gloriam & multorum doctrinam Amen.

F. AMBROSII Catharini Politi Senensis ordi. prædic. in Annotationes ad Commentaria Caietani prefatio.

ROGATVS ut quę in Caietani dogmata quædam iam sextus est annus in lucem dedimus diligentius animaduerterem, ac resectis omnibus quæ incolumi patrocinio ueritatis omittu poterant, illa demum perstringerem quæ ad rem facerent, non censui reluctandum. Resciui enim submurmurasse quospiã, quòd priore libello nimis acriter (ut ipsis est uisum) hominem momorderim: licet reuera magis dogmata, quâm hominem suggillarim. Quam circa rem existimo me in prefatiõe eius libri satisfecisse cunctis amantibus ueritatem. Vtcũq; fuerit tamen, scit Deus quem nihil fugit, & quem iudicem, hac duntaxat parte, neq; metuo neq; depre

cor, eam me controuersiam non odio, non inuidia, non gloriolæ captandę gratia suscepisse, sed in primis ueritatis amore, & illius ueritatis à qua recedere non arbitror fas esse theologo. Quod cùm ita sit, ego illum tamen nunquàm hæresis nota signaui: quod quidã etiam ędītis operibus ausi sunt: nec illud opusculum antequàm à benę doctis & probis, & à nostris quoq; in celeberrima Parrhisiorũ facultate probaretur, sicut Clemens Ponti. ore proprio iusserat, permisi uidere lucem. Quod si paulò uehementiore interdum acrimonia usus in illum uideor, fateor Christianus sum: nihil Christiani à me alienum putaui. Iustus dolor atq; indignatio nõ tam quid hominum aures ęquo animo ferre possent, quàm quid ipsa causa postulare uidebatur, ante oculos mihi proposuit. At nunc iam cùm intelligo alia uia magis me placiturum quibusdam, hac recẽti æditione illorum gratia plura sustuli, quæ de pleno manare stomacho uidebãtur: repressi zelum: uim attuli mihiipsi, ac rem tãtùm prosecutus, simplicius ferę quàm ualui tractaui quæstiones: quã

quàm in tot ac tantis erratis opportunũ ſum arbitratus nõnunquam aliquo uerbulo excitare lectorem. Quòd ſi me id iniuria egiſſe,ac temerè quicquã in eius libris ac ſecus quàm ratio poſtulabat annotaſſe quiſquam fortè deprehenderit,illum ſupplex obſecro,atq; obteſtor iterum atq; iterum, ut me fraternè ſicut lex ipſa Chriſti iubet admonere dignetur,atq; audacter mihi obijcere, Frater ibi erraſti:illud malè citatũ eſt: hoc perperam intellectum: illud collectum ſophiſticè nec ex arte. Hoc ſi qui facerent, profectò cernerent, (ni me fortè hic amor deſerat, quem ſentio ueritatis) me non tam paratum ad impugnandũ aliena, quàm promptum ad expungendum noſtra. Quãquàm & illud æquiſſimum eſſet,ut contrà quoq; quæ rectè ac fideliter in eius doctrinam à me annotata perſpicerent, ipſi etiam ſuo calculo cõprobarent: & ſic oſtenderent non tam perſonę,aut neſcio cuius honoris ſe rationẽ habere,quàm cauſę. Ille enim demum eſt uerus honor, qui ueritati tribuitur, & ab ipſa ueritate recipitur. Quod ſi qui aliter cẽſeãt,nec mihi,imò

uero ipsi Deo, cuius causam pro uirili sustineo, tribuerint quod æquitas postulat, cogent me confidẽter ad ipsam summam ac sanctissimam ueritatem prouocare, cui nunc has meas lucubrationes, quatenus tamen illi consentiant, deuotè dico sacroq́, non cuiquam filiorum hominum, sed ipsi, dicam iterum, ipsi summæ ac sanctissimæ ueritati dico sacroq́, ante cuius uenerandum conspectũ conuenio quencumq́ mortalium qui hæc legerint, seduloq́ ac sincęre & uerbo sancto protestor, Astabimus simul omnes ante tribunal eius: ac tunc qui ueri sectatores illius ac studiosi fuisse patebũt, (patebũt enim tunc omnia) dignos referẽt ab ea quam iure honorarint honores. Alij uerò quibus tenebris, iuste Deus, qua ignominia suffundentur? Quamobrẽ per tremendam illam tanti iudicis maiestatem, perq́ illas Angelorum innumerabiles miriades, sanctorumq́ illustres cateruas, qui coram domino gloriosi astabunt, te nunc mi frater obsecro atq́ obtestor, ne uelis in zelo malo uel temerè de eo iudicium proferre quod nescias, uel iniquè illa tueri

quæ ſalua pietate Chriſtiana te non poſ ſe perſpicias. Quo in loco præcipuè ad cōſcientiam tuam te remitto, quam nolim tamē cauterio ullius práuę affectionis ita eſſe inuſtam, ut nō ſentiat aculeū ueritatis. Nec te, quæſo, fallat bone lector, quòd hęc quæ ſic urgeo à magnis uiris, & ijs ad quos magis ea animaduertere attinebat minus curari uideantur, quaſi nullius aut parui momenti ſint: hoc eſt enim quod me compulit, atque adeo etiam nunc ad non parcendum calamo compellit. Etenim ſi alij locuti fuiſſent ác dignè cenſuiſſent, ego ſi forſitan non ſiluiſſem, abſtinuiſſem tamen à ſtilo manum, & aliorum ſententiam ſecutus eſſem. At ferè cunctis tacentibus cùm uiderem eſſe maximè opportunum, imò etiam ualde neceſſariū loqui, res ipſa mihi atteſtatur ac declarat, non me ad loquendum atq; ad ſcribendum ulla temeritate excitatum, ſed urgente neceſſitate fuiſſe compulſum. Nam eius mihi animi eſſe uideor (ita Deus huic animo bene faueat) ut nullius dogmata quæ ſanæ doctrinæ aduerſentur laturus impunè ſim, & uel lin-

Summa eorũ quæ hoc uolumine cõtinentur.

guę, uel stili nostri notam euadere permissurus, quicũq; illorum autor fuerit, etiamsi forte pater aut mater qui me genuere. Habes ergo pie lector in hoc nouo opere multa, præter illa quæ olim prodierunt in lucem: ex illis autem ferè nihil ademptum, immutata multa, sed emẽdatiora cuncta, ut quæ limam subierunt exactiorem. Plurima scripturarum loca noui instrumenti adiecta sunt & suo disposita ordine iuxta capita Euangeliorũ. Vix est enim ullũ caput quod annotationem euaserit. Nec putes tamẽ me omnia quæ mihi non probantur circa expositionem Euangeliorum annotasse. Omisi uerò & Pauli Epistolas, & alias canonicas, in quibus interpretãdis frequenter non esse illum assecutum uerum sensum spiritus, uisum est mihi: sed singula persequi immẽsi laboris ac operis fuisset. Eorũ item quę in uarijs opusculis, siue (ut uocant) Quodlibetis ac tractatibus bona pars expensa est, Particulatim quæ de conceptione B. Virginis ab illo docentur partim hoc opere, partim proprio tractatu excussa sunt: et manifestatum, non absq; iniuria uniuer

sitatum

ſitatum & eccleſiarũ ac ipſius in primis Rom. ſedis nota, effuſa fuiſſe ab eo multa: quod facilè ualeant agnoſcere, qui non lippi oculis fuerint. Quo pręſertim in loco uereor ne quorundam zelum, qui non ſecundùm ſcientiam eſt, facilè atq; intempeſtiuè commoueam in meipſum. Sed obſecro te, mi frater in uiſceribus Ieſu Chriſti, ne mihi ſuccẽſeas ante tempus, contine ſtomachum parumper donec illuc peruenias, & legas & intelligas quæ à me oppugnantur. Quę ſi forté uideris nõ ualidis rationibus à me argui, tunc iure poteris indignari mihi, & obijcere in faciẽ uel calumniam uel imperitiam. Quòd ſi me uerum elocutum eſſe (quod magis exiſtimo. & ſpero modò pietatem colueris) cõprobabis, quieſce tandem, & nõ me, ſed ueritatem ipſam ſtudioſe ſequere & uenerant er cole. Poſtremò quæ in Summula ſua etiã annotatiõe digna ſunt uiſa placuit ſummonere, & inuere ſapiẽti. Tędiũ enim fuit longiore tractatu ſuper eis diſſerere. Nam teſtis eſt mihi Deus, ingratis & cũ faſtidio autoribus illis intendo, quibus offendor, quòd hoc ſtudium à me-

ditationibus alijs, in quibus magis oble ctor, me uehemẽter auertit: nec gloriam meam, Deo est gratia, in aliorum detra- ctione, aut erratorum ostentatione con stitui: sed hunc laborẽ coactus in eorum utilitatẽ suscepi, qui sensus adhuc exer- citatos non habent ad cernendum quæ sunt ueriora: non quod uiri huius com mẽtaria omnino contemnenda aut reij cienda existimem, cùm multa ibi disci possint & acutè excogitata & catholicè docteq; explanata. Sed quòd persuadẽ dus erat lector (propter admixta noua dogmata multa, quæ plerunq; sunt, uel illo nõ inficiánte, contra ueterem eius doctrinam, quando alios, ut ipse dixit, id est Thomam & doctores ecclesię san ctos sequebatur) omnia cum iudicio ac formidine legere, neq; quasi Pythago- ræum, quod soli Deo reddendum est, homini tribuere, scilicet, ipse dixit: sed illud Apostolicum magis custodire, Omnia probate, quod bonum est tene te: &, Si quis ignorat, ignoret: id est, ne mo id iudicet cuius scientiam non obti neat. Vale pie Lector, Vale ueritatis amator, Vale.

F. Amb.

F. AMB. CAT.
ANNOTATIONVM IN COMMENTARIA CAIETANI.
LIBER I.

De his quæ contra ſcripturarum ſacrum canonem docuit.

CIRCA SACRORVM VOLVminum canonem, quæ præcipuè duximus annotatiõe digna, hæc ſunt. Primùm quod ait, Hieronymum de Epiſtola quæ ad Hebræos inſcribitur dubitaſſe, an uerè ſit Apoſtoli Pauli: tũ (quòd hinc ſequi exiſtimat) non eſſe perſpicuum eam eſſe canonicam: quia, inquit, ſortiti ſumus Hieronymum regulam diſcretionis canonicorum librorum. Nã unde probat quod ait nos ſortitos eſſe Hieronymum regulam diſcretionis canonicorum librorum? Cùm enim diſcretio ſcripturarum trahat ſecum rem fidei (Tenemur enim credere quodcunq; in ſcripturis canonicis traditur) Res autem fidei infallibilem continere debeat ueritatem: hominis autem iudicium ſit fallibile: planè ſequitur quod eſt manifeſtiſſimè abſurdum, rem aliquam fidei ex hominis iudicio & opinione pendere. Nec enim à Deo habuit Hieronymus hoc, ut nõ poſſet errare

Prima annotatio circa amorē Ep. ad Hebr.

errare. Nam Petro tantum dictum est, non alteri cuiquam hominum. Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: Neque Ecclesia *hoc ei dedit: sed nec dare illi potuit ne posset errare.* Nec *ille id unquam sibi arrogare est ausus: utpote qui planè norat hoc Ecclesiæ, non sibi datum unde in symbolo suæ fidei sic protestatur.* Nouum *& uetus testamentum recipimus in eo numero, quem sanctæ* Ecclesiæ *tradit autoritas.* Adieci, *cur si* Hieronymus *erat hæc regula, nullus tamen ex probatis & nobilibus autoribus secutus est in hoc istā regulā? imò potius magno consensu hanc epistolam &* Pauli *esse & canonicam absque dubio & probauerunt & tradiderunt, ut mox ostendam.* Hoc *ipsum iam euerso fundamento, & consequēter tota ædificij mole diruta, addidimus quòd sicut est iniuria aduersus ecclesiam* Dei, *facere* Hieronymum *regulam discretionis canonicorum librorum: ita est iniuria in* Hieronymum *hoc illi falsò imponere, quòd ipse de huius* Epistolæ *autore dubitauerit: cùm tam apertè & pluribus in locis contra dubitantes disputauerit & definiuerit, perfidiam* Iudæorum *accusans, quæ testimonia in ea* Epistola *commemorata non suscipiebat:* Et *inducens* Orientis *ecclesias & autores* Græcos *prorsus omnes, qui eam tanquam* Pauli Apostoli *intrepidè susceperunt, ut cotidie ecclesiarum lectione celebraretur, addit.* Quod *si eam latina consuetudo inter scripturas canonicas non recipit, nec* Græcorum *ecclesiæ* Apocalypsim Ioannis. Nos *tamen utramq; suscipimus: nequaquam huius temporis consuetudinem, sed ueterum scriptorum autoritatem sequentes, qui plerumq; utriusq;*

Hieronymus. [margin]

Secunda annotatio. [margin]

Hieron. *in* Epistola *ad* Dardanum. [margin]

utriusq; utuntur testimonijs, non ut interdum facere solēt de apocryphis, sed quasi canonicis & ecclesiasticis. Hæc Hieronymus ad Dardanum. Hic addo, quod non præuideram, quòd Hieronymus id commenti, uidelicet, quòd hæc epistola non sit Pauli, hæreticorum fuisse testatur: sic enim in eos scribit. *Vt enim de cæteris epistolis taceam, de quibus quicquid contrarium suo dogmati uiderant eraserunt, nonnullas integras repudiandas crediderunt, ad Timotheum uidelicet utramq;, ad Hebræos & ad Titum. Et siquidem redderent causas cur eas Apostoli non putarent, tentaremus aliquid respondere, & forsitan satisfacere lectori. Nunc uerò cum hæretica autori ate pronuncient, & dicant, Illa epistola est Pauli. hæc non est: ea autoritate refelli se pro ueritate intelligant, qua ipsi non erubescunt falsa simulare.* Hæc Hieronymus. Quibus non uideo quid addi poßit ad indicandā eius sentētiā pro hac epistola. Et certe mirabile est quòd beatus Thomas Hieronymi autoritate moueri se attestetur, ut concludat hanc epistolam & Pauli & canonicam: Caietanus autem eadem autoritate, ut contrariū asserat. Adieci, quòd non obstabant loca quædā ex Hieronymo, quæ dubitationem de huius epistolæ autore arguebant, quia Hieronymus non suam, sed aliorum dubitationem enunciabat. Adieci, quòd & locum quem citat ex Hieronymo de uiris illustribus non totum citat, reticens quæ sequebantur, ubi suam ipse exprimebat sententiam. Postquam enim Hieronymus dixit. *Epistola quæ fertur ad Hebræos non eius creditur propter stili sermonisq; distantiam, sed uel Barnabæ, iuxta Tertul. uel Lucæ, iuxta*

In arg. super epistola ad Titum.

Thom. in cōmen. super ea epistola.

cæ, iuxta quosdam, uel Clementis Ro. episcopi (nam huc usque ex illo citat Caietanus) adiecit: uel certè quia Paulus scribebat ad Hebræos, propter inuidiam sui apud eos nominis, titulũ in principio salutationis amputauit. Scripserat enim ut Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertißimè, ut ea quæ eloquenter scripta fuerãt in Hebræo, eloquentius uerterentur in Græcum. Et hanc esse causam quare à cæteris Pauli epistolis discrepare uideatur. Hæc ille. ut hinc uideas quid certè tenendum, eò quòd ait, uel certè, & eò quòd asserendo loquatur, reddens causam tum dissonantiæ stili, tum uerò suppressionis sui nominis. Quòd si quis temerè asserat (ut Erasmus) quòd Hieronymus inconstanter de hac epistola cẽsuerit, modò aiens esse Pauli, modò negans aut dubitãs, quomodo defendat positionem illam quòd Hieronymũ nacti sumus regulam discretionis canonicorum librorũ? Nã quàm bella esset hæc regula, unde tam incõstantia cõtraheremus? ¶ *Post hæc etiã annotaui, eo dato quòd Hieronymus aut plures olim de autore eius epistolæ dubitarint, non sanè deduci, etiam nunc idcirco dubitandum esse: alioquin plurima quæ constanter nunc tenet ecclesia in dubium uerti possent, quia olim de illis à pluribus dubitatum fuit, & sic fides nostra periclitaretur.* ¶ *Annotaui etiam non cõsequi si non sit Pauli, & sit author incertus, idcirco nõ eße canonicam, ut rectè uel Erasmus ipse fatetur. Et Gregorius noster elegãter docet de libro Iob. Nõ enim exigitur ad hoc ut scriptura aliqua sit canonica, quòd certũ habeat hominẽ autorẽ, alioqui etiã bona pars diuinæ scripturæ periclitaretur, nec id eget probatione*

Tertia annotatio.

Quarta annotatio.

probatione nisi apud imperitos.

¶ Quocirca & illud particulariter ãnotaui, quod ipse tradit, sola scripta ab Apostolis uel ab ipsis probata au toritatē sacræ scripturæ habere. Hoc cũ est apertè & cõtra sensũ doctorũ, & cõtra ecclesiæ autoritatē, quæ nõnullas scripturas, quas nõ cõstat uel æditas ab Aposto lis, uel probatas fuisse unquàm: recipit tamē ut canonicas & plenißimæ autoritatis. quod plurib. probaui exẽplis. Quinta ãnotatio. Caiet. super 1. Cor. c. 11.

¶ Ad hæc singulis argumentis respondi quæ mouit, ut suaderet hanc Epistolam non esse Pauli. Et ad illud tam tritum, quòd non præferret nomen Pauli in titulo, respondi illud quod eleganter & in contentione aduersus huiusmodi blatterantes respondit Hiero nymus, uidelicet. Si ob hoc non est Pauli, quòd eius nomen non præfert, igitur nullius erit: quia nullius nomine titulatur. Quòd si hoc est ridiculũ & absurdum, ipsius magis censenda est, quæ tanto suæ doctrinæ fulget elo quio. Sed quia apud Hebræorum ecclesiam quasi destructor legis habebatur, uoluit tacito nomine de figuris legis & ueritate Christi reddere rationem, ne odium nominis in fronte prætitulati, utilitatem excluderet lectio nis. Hæc in summa Hiero. ubi notãdũ Hieronymũ nõ so lùm tenere de hac Epistola quòd sit Pauli, sed etiam obiecta in contrarium argumenta ita refellere, ut per illa ipsa & aduersantes redarguat & cõfirmet sua. Nec putes lector id cõmentum esse Hieronymi tantum. Nam sic omnes ueteres testati sunt, nominatim Chrysostom. Hoc idem ait in commentarijs super illam quæ ad Romanos, in principio. Quòd si uelim singulorum uerba Hieronymi arguta responsio.

citare, uolumen iustissimum profectò conficerē.

Sexta annotatio. ¶ Annotaui & aliud argumentū quod ipse idē inducit: nō solū ut inefficax, uerūetiā ut periculosum. Ipse enim eò ascēdit, ut etiam arguat huius Epistolæ autorem uel

Nota pie lector. imperitiæ, uel doli: eò quòd scripturam de Salomone loquentem ad literam torserit ad Christum. Nam de Salomone ait intelligi quod hic autor inducit cap. 1. Ego ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium. At ego respondi, quòd non aliter errauit Caietanus, quàm Apostata Iulianus arguens Matthæum, quòd uoluerit illudere gentibus, eò quòd scripturam illam, (Ex Ægypto uocaui filium meum) quæ ad literam loquebatur de populo Israël, torserit ad Christum. Comparaui autē errorē, non errantes. Nam ambo in hoc falsi sunt, quòd reuera loca hæc ambo primò & principaliter de Christo loquūtur, in quo maximè uerificātur, & implētur: sed typicè, ut re

Hierony. super Oseæ. c. 11. ctè in Apostatā ait Hiero. dicūtur de alijs. Igitur quod scriptū est, Ex Ægypto uocaui filiū meum, dicitur quidē de populo Israël qui uocatur ex Aegypto quasi infans & paruulus, sed perfectè ad Christū refertur. Hæc Hiero. Sic & nos, imò prorsus oēs alij expositores sic in proposito dixerūt, quod typicè quidē locus ille in rudi litera de Salomone loquitur. In spiritu aūt & ueritate īpletur in christo. Et tātò hi ueriores sensus sunt, quātò uerius christus dei filius nūcupatur, quàm ille Salomō aut populus ille Israël. Quod uerò ulterius inducit ad confirmandū quod scriptura illa nō potest pertinere ad Christū, quia subijcitur: si iniquè aliquid gesserit, arguā eū &c. nō peritè dicitur: quasi uerò nō sit mos scripturæ, illa Christo tribuere

Heb. 4. m.

buere quæ sunt mẽbrorũ ipsius. Nã et peccator in nobis est Christus qui pctã nostra super se posuit, ut sic depre caretur pro nobis, & lueret ea in semetipso: unde statim subditur, Misericordiã aũt meã nõ auferam ab eo &c. Sed hoc est unũ & maximũ principiũ eorũ quæ recipi oportet, ab ijs qui uolũt perscrutari scripturas, uidelicet quòd scripturæ de Christo loquũtur, uelut summo capi te, & seorsum intelligitur à mẽbris, uelut in quolibet mẽ bro & in toto corpore ecclesiæ existẽs. Sic Paulus perse quebatur Christũ in ecclesia quæ est corpus eius, ut de clarat Apost. Ad hæc, hũc sensum nostrũ, imò doctorum omniũ, illemet locus declarat, dũ quædã præmittit quæ ipsi Salomõi minimè ualẽt aptari. Dicitur enĩ ad Dauid à domino: Cumq; cõpleti fuerint dies tui, & dormieris cũ patribus tuis, suscitabo semen tuũ post te, quod egre dietur de utero tuo, & firmabo regnũ eius, Ipse ædifica bit domũ nomini meo, & stabiliã thronũ eius usq; in sem piternũ. Et ego ero illi in patrẽ &c. Nũquid enim cõue nit Salomoni primũ illud, quòd esset suscitãdus post mor tem Dauid, cùm suscitatus fuerit in diebus Dauid, & iam esset egressus de utero eius, & in uita eius accepisset regnum? Item nunquid ei secundum ueritatem spiritus, conuenit quod sequitur: Ipse ædificabit mihi domum? An quæso, manu facta templa quærit à nobis deus pater ut inhabitet in his? Et nunquid uerum est in eo, quod stabi litum sit eius regnum & sedes in æternum? An nõ ad huc intelligimus, quòd Angelus Gabriel ad hunc locum aspexit, cùm dixit sacratissimæ uirgini: Et dabit illi domi nus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Ia

August. & alij hæc do cent.

Actuum. 9. Ad Col. 2.

Act. 2. et 17.

cob in æternũ &c. ut indicaret in Christo ipso hãc scri pturam implendam? Hæc uerò latius aliquantò tracto quàm liber hic summarius postulet: quia non parui momenti hæc sunt, ut discamus in spiritu non in litera quærere & inuenire mysteria, ac propterea non iudaizare.

Septima annotatio. ¶ Annotaui & illud, fateor, etiã cũ stomacho, quòd ausus fuerit Caietanus tantũ autorẽ reprehẽdere, uel imperitiæ Hebraici sermõis, uel doli. Eò quòd (ut ait) proferẽs de ueteri scriptura testimoniũ mutauit pactũ in testamentum: hinc quò redacta est scripturarum censura, etiã post tãtum ecclesiæ præiudicium. Sed uideamus cuiusnam fuerit incõsideratio & imperitia, an autoris huius Epistolæ, an potius Rabbini eius qui suasit has nugas Caietano? Paulus nonne eandẽ uocem Berith, etiam in Epistola ad Romanos testamentum ipsemet interpretatur, non pactum? Et in ea quæ ad Galla. promißiones Abrahæ factas uocat testamẽtum & hæreditatem. Et accipit argumentum de testamento ex eo quòd testatoris dispositionem nullus infringit. Quid ergo dicemus? quòd nec illa quæ ad Roma. erit Pauli? nec illa quæ ad Gala. quia & ibi similiter pactum mutat in testamentum? Ad hæc: nonne Stephanus uocauit testamentum circuncisionis? nonne septuaginta ferè semper eam uocem Berith uertunt testamẽtum? Sed quid affero septuaginta? Nonne Zacharias pater Ioannis in suo Cantico sic uocat? & ille alius Zacharias similiter id ipsum testamentum nuncupat secundùm propriam testamenti rationem, quòd efficaciam in morte suscipiat? Sic enim ait, Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti uinctos tuos de lacu.

Ad Ro. 11.

Ad Gal. 3.

Act. Apo. 7.

Luce. 1.

Zachar. 9.

I nõ i

Imò ipse Christus nonne dicit. Hoc est meum test amentum in meo sanguine? Sed hoc decepit Caietanum, quòd ut ignarus legum non putauit pactum conuenire cum testamento, ut idem & testamentũ & pactum dici ualeat: cùm tamen & hæreditas in pactum ue-ire poßit, ut iura docent. Imò antiquo iure uelut per pactum accipiebatur, quod uocabant testamentum per æs & libram. Sed quid aliũde quærimus testimonia? nã qui negat tale pactum, de quo dicunt scripturæ, quas Paulus citat esse testamentum, is palàm Christi uerbũ negat, & indignum se constituit testamento isto, ut nec ex eo ualeat hæreditatem capere, quod ipse negat. Lucæ. 22.

¶ *Annotaui & aliud argumẽtũ huius hoĩs, per quod etiã audacius Paulũ negat esse huius Epistolæ autorẽ. Quòd hic autor Epistolæ ponit se inter eos in quos euãgelica salus confirmata est per eos qui audierũt à domino &c. quod nõ cõuenit Paulo, qui nõ ab homine, neq; per hominẽ, sed immediatè à deo Euangeliũ didicit. Sed agnosce lector acute fallaciã. Nõ dicit hic Paulus, quòd ipse acceperit doctrinã ab his q audierũt à domino, sed quòd per eos in se cõfirmata est salus, quod ei uerißimũ fuit: nã ab ipsis sacramẽta accepit, nec sine portẽtis ac signis. Postquàm enim prostratus est, dictum est ei, uade in ciuitatem: & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere: & ab Anania baptizatus recepit uisum. Aliud ergo est recepisse doctrinam à discipulis domini (hoc enim non fuit) aliud salutis confirmationem, quod uerũ fuit. Nam & sua prædicatio indiguit confirmatione Apostolica, ne in uacuum curreret aut cucurrisset, ut & ipsemet fatetur* Octaua annotatio. Cap. 2. Ad Galat. 1. Actuum. 9. Ad Gal. 2.

tetur. Respondi & ad aliud argumentum quod inducit, tāquàm hic autor loquutus sit contra scripturam, quum ait, in arca testamenti fuisse urnam auream & uirgam 3. Regum. 8. *Aaron: cùm in libro Regum expresse dicatur, quòd non erant nisi duæ tabulæ lapideæ. Non enim uidit, quòd fieri potuit, aliquando in ea arca & urnam fuisse & uirgam, & aliquando non fuisse. Nam hoc certè potius innuere ille textus uidetur: eò quòd postquàm deuectibus arcæ dixit quòd ibi fuerunt usq; in præsentē diem, subiecit: In arca autem non erant nisi duæ tabulæ &c. Ac si manifestius dixisset, quòd non usq; in illum diem manserant, quæ alias erāt in arca, nisi duæ illæ tabulæ lapideæ: quod & ad mysterium facit: ut significaretur quòd sacerdotium Aaron quod per uirgam significabatur in terra promissiónis, regnante uero Salomone, id est, Christo, debebat cessare: & similiter urna quæ habebat manna absconditum, id est, lex quæ Christum uerum manna latenter cōceptum habebat, debuit euanescere.* Nota studio se mysteriū scripturæ. *Ecce ergo quàm facilè resoluitur, quæ contradictio apparebat, quæ uerè tunc est, ut logici docent, quando est de eodem, secundum idem & eodem tempore. Respondi & ad alia quædam minutula, quæ contra hunc autorem allegat, quòd citauerit loca scripturæ ueteris, non iuxta Hebraicam ueritatem, sed iuxta tralationē septuaginta. Quasi uerò non idem euangelistæ fecerint, & ipsemet Paulus, qui quod apud Isaiam legitur, Omnis qui crediderit non festinet: ad Romanos in hunc modum citat, iuxta septuaginta: Omnis qui credit in eum non confundetur. Si quis ergo contentiosus fuerit, nonne hic habet occasionem?*

Ad Ro. 10. Isaiæ. 28.

casionem? Et tamen si quis audire uoluerit, facilè capiet de uaria lectione, eundem sensum. Sed non est hic locus hæc declarandi. Quare & consultò mitto quædam contra hunc autorē ab eodem Caietano nescio an arrogantius quàm leuius annotata: pátere lector uerba zeli secundum scientiam. Cogit enim me rei indignitas & iustissima indignatio, ut sic eloquar. Quis enim unquam catholicorum ausus est reprehendere scripturam, quæ cum tanta ueneratione ab uniuersa ecclesia recipitur, et in templis solenniter decantatur, ut Pauli, ut canonica, ut sacrosancta? Et (quod intolerabilius fuit) hominem prorsus imperitum linguæ Hebraicæ, ita de Hebraismo pronunciare, & sententiam ferre, & tales producere rationes: quas, testor deum, uel ob ipsarū leuitatem piget referre atq; refellere! O fratres fratres, uincat ueritas, & nolimus nosmetipsos excæcare improba affectione, præsertim in rebus tam magni ponderis. Illud tandem quis non miretur, quòd arguit non fuisse Paulum huius Epistolæ autorem, quia in ea scribitur: Celerius uidebo uos. Non est autem consentaneum, inquit, quòd Paulus qui iā ad Cæsarē appellarat, ut manus iudeorū effugeret, iterū se ad illos spōdeat reuersurum: quasi uerò Paulus metueret ab hominibus, aut quasi aliàs agabo prophetāte illi afflictiōes obuēturas in Ierusalē, & fratribus omni ui cohibētib. ne rediret illuc, cōcesserit eis: minimègētiū. Quin totus feruore incēsus & spiritu agitatus, animo ita respōdit inuicto. Quid facitis flētes & affligētes spiritum meum? Ego autem non solùm alligari, sed & mori in Ierusalē paratus sum &c. Quinetiam in Ico- Nota pie lector. Nota uim argumenti. Actuum .21

nio cùm esset lapidibus obrutus, & penè exanimis à fra-
Actuũ, 14. *tribus receptus, mox tamen iterum illuc, ut discipulos in fide confirmaret reuerti nihil trepidat. Potuissem & alijs pluribus modis argumentum euitare dicendo quòd causa iam ad Cæsarem deuoluta, & ibi cognita, non erat quod à Iudæis metuere sibi ulterius magnopere haberet. Metuissent enim & illi Cæsaris indignationem, si manus in eum inijcere uiolentius uoluissent, quem ipse ut innocentem dimisisset. Item potuissem dicere quòd multo tempore secesserat ab eis Paulus, quo sperare poterat eorum furorem iam deferbuisse. Nulla enim est tam uehemens animi incensio, quæ tempore non frigescat. Item quòd nolebat Paulus restitui persecutoribus suis, sed fratribus. Non enim omnes Hebræi erant perfidi, sed multi inter illos profitentes Christum, quibus etiam cura erat de sanctis, ut sæpiuscule ipsemet Paulus indicat. His ergo restitui uolebat, quod latè patet. Sed omnino carnalis cogitatio est in argumento isto qualem*
Ioan. 2. *olim habebãt adhuc carnales discipuli domini qui aiebãt, Rabbi, modò quærebãt te Iudæi lapidare, & tu uadis illuc. At nos à Christo didicimus horas duodecim habere diẽ, & tẽpus esse fugiendi, & tempus offerendi se ad crucem. Hoc ergo iam patefacto, quòd argumenta quibus mouentur qui hanc epistolam Pauli esse negant, & friuola sunt & periculosa: attuli penè immensam testium nubem, qui huic epistolæ attestantur quòd sit Pauli, & canonica: quorum si sola nomina scriberentur, iustum uolumẽ complerent. Quare ut cunctos uno uerbo complecterer, dixi, quòd uniuersus prorsus*

sanctorum

sanctorum & doctorum coetus, qui aliquid sibi nominis & gloriæ in ecclesia uendicarunt à maximo ad minimum, à primis ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora, hanc Epistolam esse Pauli receperunt, & tradiderunt, & ex ea sententias tanquàm irrefragabiles, etiam in contentione aduersus hæreticos allegarunt, sicut & ipsemet Caietanus fecit in ientaculis ad conuincẽdum hæreticos: quinetiam specialiter de hac epistola in proteruos contendentes, ipsam Pauli esse constantissimè asseruerũt. Ita ut Origenes post magistrum suum Clementem, qui Clemens sua ætate (teste Hiero.) erat omnium eruditissimus, hæc uerba pronuntiauerit. Ego dico, sicut à maioribus mihi traditum est: quòd manifestissimè est Pauli: & semper antiqui nostri ita eã ut Pauli receperunt. Sedulius quoq; nõ ignobilis autor idẽ ait. Cyrillus Nestoriũ hæreticũ per huius Epistolæ testimonia dãnauit. Quæ damnatio in Ephesino concilio est confirmata. Hieronymus ut iam uidimus, egregiè defendit illam esse Pauli, & se illam ut Pauli accipere profitetur, commentumq; hoc, uidelicet non esse Pauli ab hæreticis introductum fuisse perspicuum testatus est. Beatus Augus.intrepidè inter Pauli epistolas numerat, & absq; ullo scrupulo. Quin & in quodam loco, licet suo tempore apud Latinos incertum hoc esset, magis tamen se moueri inquit autoritate ecclesiarũ oriẽtaliũ, quæ illam etiã inter canonicas cõputabant. Quid ergo nunc diceret, quãdo tam magno consensu omnes penitus ecclesiæ, & omnes doctores in eam conuenere sententiam? Vnde & in quodam prologo ex dictis sanctorum (ut habet titulus) collecto

Inconstantia doctrinæ.

Origenes.

In hist. ecclesiastica.

Sedulius.

Cyrillus in cõcilio eph.

Hierony.

Aug. de doctrina Christi.

De mer. & rem. pec. ad Mar.

errare. Nam Petro tantum dictum est, non alteri cuiquam hominum. Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: Neque Ecclesia hoc ei dedit: sed nec dare illi potuit ne posset errare. Nec ille id unquam sibi arrogare est ausus: utpote qui planè norat hoc Ecclesiæ, non sibi datum. unde in symbolo suæ fidei sic protestatur. Nouum & uetus testamentum recipimus in eo numero, quem sanctæ Ecclesiæ tradit autoritas. Adieci, cur si Hieronymus erat hæc regula, nullus tamen ex probatis & nobilibus autoribus secutus est in hoc istā regulā? imò potius magno consensu hanc epistolam & Pauli esse & canonicam absque dubio & probauerunt & tradiderunt, ut mox ostendam. Hoc ipsum iam euerso fundamento, & consequēter tota ædificij mole diruta, addidimus quòd sicut est iniuria aduersus ecclesiam Dei, facere Hieronymum regulam discretionis canonicorum librorum: ita est iniuria in Hieronymum hoc illi falsò imponere, quòd ipse de huius Epistolæ autore dubitauerit: cùm tam apertè & pluribus in locis contra dubitantes disputauerit & definiuerit, perfidiam Iudæorum accusans, quæ testimonia in ea Epistola commemorata non suscipiebat: Et inducens Orientis ecclesias & autores Græcos prorsus omnes, qui eam tanquam Pauli Apostoli intrepidè susceperunt, ut cotidie ecclesiarum lectione celebraretur, addit. Quod si eam latina consuetudo inter scripturas canonicas non recipit, nec Græcorum ecclesiæ Apocalypsim Ioannis. Nos tamen utramq; suscipimus: nequaquam huius temporis consuetudinem, sed ueterum scriptorum autoritatem sequentes, qui plerumq; utriusq;

Hieronymus.

Secunda annotatio.

Hieron. in Epistola ad Dardanum.

utriusq; utuntur testimonijs, non ut interdum facere solēt de apocryphis, sed quasi canonicis & ecclesiasticis. Hæc Hieronymus ad Dardanum. Hic addo, quod non præuideram, quòd Hieronymus id commenti, uidelicet, quòd hæc epistola non sit Pauli, hæreticorum fuisse testatur: sic enim in eos scribit. Vt enim de cæteris epistolis taceam, de quibus quicquid contrarium suo dogmati uiderant eraserunt, nonnullas integras repudiandas crediderunt, ad Timotheum uidelicet utramq;, ad Hebræos & ad Titum. Et siquidem redderent causas cur eas Apostoli non putarent, tentaremus aliquid respondere, & forsitan satisfacere lectori. Nunc uerò cum hæretica autoritate pronuncient, & dicant, Illa epistola est Pauli. hæc non est: ea autoritate refelli se pro ueritate intelligant, qua ipsi non erubescunt falsa simulare. Hæc Hieronymus. Quibus non uideo quid addi poßit ad indicandā eius sentētiā pro hac epistola. Et certe mirabile est quòd beatus Thomas Hieronymi autoritate moueri se attestetur, ut concludat hanc epistolam & Pauli & canonicam: Caietanus autem eadem autoritāte, ut contrariū asserat. Adieci, quòd non obstabant loca quædā ex Hieronymo, quæ dubitationem de huius epistolæ autore arguebant, quia Hieronymus non suam, sed aliorum dubitationem enunciabat. Adieci, quòd & locum quem citat ex Hieronymo de uiris illustribus non totum citat, reticens quæ sequebantur, ubi suam ipse exprimebat sententiam. Postquam enim Hieronymus dixit. Epistola quæ fertur ad Hebræos non eius creditur propter stili sermonisq; distantiam, sed uel Barnabæ, iuxta Tertul. uel Lucæ, iuxta

In arg. super epistola ad Titum.

Thom. in cōmen. super ea epistola.

cæ, iuxta quosdam, uel Clementis Ro. episcopi (nam hucusque ex illo citat Caietanus) adiecit: uel certè quia Paulus scribebat ad Hebræos, propter inuidiam sui apud eos nominis, titulũ in principio salutationis amputauit. Scripserat enim ut Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertißimè, ut ea quæ eloquenter scripta fuerãt in Hebræo, eloquentius uerterentur in Græcum. Et hanc esse causam quare à cæteris Pauli epistolis discrepare uideatur. Hæc ille. ut hinc uideas quid certè tenendum, eò quòd ait, uel certè, & eò quòd asserendo loquatur, reddens causam tum dissonantiæ stili, tum uerò suppresssionis sui nominis. Quòd si quis temerè asserat (ut Erasmus) quòd Hieronymus inconstanter de hac epistola cẽsuerit, modò aiens esse Pauli, modò negans aut dubitãs, quomodo defendat positionem illam quòd Hieronymũ nacti sumus regulam discretionis canonicorum librorũ? Nã quàm bella esset hæc regula, unde tam incõstantia cõtraheremus? ¶ Post hæc etiã annotaui, eo dato quòd Hieronymus aut plures olim de autore eius epistolæ dubitarint, non sanè deduci, etiam nunc idcirco dubitandum esse: alioquin plurima quæ constanter nunc tenet ecclesia in dubium uerti possent, quia olim de illis à pluribus dubitatum fuit, & sic fides nostra periclitaretur. ¶ Annotaui etiam non cõsequi si non sit Pauli, & sit author incertus, idcirco nõ esse canonicam, ut rectè uel Erasmus ipse fatetur. Et Gregorius noster elegãter docet de libro Iob. Nõ enim exigitur ad hoc ut scriptura aliqua sit canonica, quòd certũ habeat hominẽ autorẽ, alioqui etiã bona pars diuinæ scripturæ periclitaretur, nec id eget probatione

Tertia annotatio.

Quarta annotatio.

probatione nisi apud imperitos.

¶ Quocirca & illud particulariter ānotaui, quod ipse tradit, sola scripta ab Apostolis uel ab ipsis probata autoritatē sacræ scripturæ habere. Hoc cūm est apertè & cōtra sensū doctorū, & cōtra ecclesiæ autoritatē, quæ nōnullas scripturas, quas nō cōstat uel æditas ab Apostolis, uel probatas fuisse unquàm: recipit tamē ut canonicas & plenißimæ autoritatis. quod plurib. probaui exēplis. Quinta ania notatio. Caiet. super 1. Cor. c. 11.

¶ Ad hæc singulis argumentis respondi quæ mouit, ut suaderet hanc Epistolam non esse Pauli. Et ad illud tam tritum, quòd non præferret nomen Pauli in titulo, respondi illud quod eleganter & in contentione aduersus huiusmodi blatterantes respondit Hieronymus, uidelicet. Si ob hoc non est Pauli, quòd eius nomen non præfert, igitur nullius erit: quia nullius nomine titulatur. Quòd si hoc est ridiculū & absurdum, ipsius magis censenda est, quæ tanto suæ doctrinæ fulget eloquio. Sed quia apud Hebræorum ecclesiam quasi destructor legis habebatur, uoluit tacito nomine de figuris legis & ueritate Christi reddere rationem, ne odium nominis in fronte prætitulati, utilitatem excluderet lectionis. Hæc in summa Hiero. ubi notādū Hieronymū nō solùm tenere de hac Epistola quòd sit Pauli, sed etiam obiecta in contrarium argumenta ita refellere, ut per illa ipsa & aduersantes redarguat & cōfirmet sua. Nec putes lector id cōmentum esse Hieronymi tantum. Nam sic omnes ueteres testati sunt, nominatim Chrysostom. Hoc idem ait in commentarijs super illam quæ ad Romanos, in principio. Quòd si uelim singulorum uerba Hieronymi arguta responsio.

citare, uolumen iustissimum profectò conficerē.

Sexta anno-tatio. ¶ Annotaui & aliud argumentū quod ipse idē inducit: nō solū ut inefficax, uerūetiā ut periculosum. Ipse enim eò ascēdit, ut etiam arguat huius Epistolæ autorem uel imperitiæ, uel doli: eò quòd scripturam de Salomone loquentem ad literam torserit ad Christum. Nam de Salomone ait intelligi quod hic autor inducit cap. 1. Ego ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium. At ego respondi, quòd non aliter errauit Caietanus, quàm Apostata Iulianus arguens Matthæum, quòd uoluerit illudere gentibus, eò quòd scripturam illam, (Ex Ægypto uocaui filium meum) quæ ad literam loquebatur de populo Israël, torserit ad Christum. Comparaui autē errorē, non errantes. Nam ambo in hoc falsi sunt, quòd reuera loca hæc ambo primò & principaliter de Christo loquūtur, in quo maximè uerificātur, & implētur: sed typicè, ut recte in Apostatā ait Hiero. dicūtur de alijs. Igitur quod scriptū est, Ex Ægypto uocaui filiū meum, dicitur quidē de populo Israël qui uocatur ex Aegypto quasi infans & paruulus, sed perfectè ad Christū refertur. Hæc Hiero. Sic & nos, imò prorsus oēs alij expositores sic in proposito dixerūt, q typicè quidē locus ille in rudi litera de Salomone loquitur. In spiritu aūt & ueritate īpletur in christo. Et tātò hi ueriores sensus sunt, quātò uerius christus dei filius nūcupatur, quàm ille Salomō aut populus ille Israël. Quod uerò ulterius inducit ad confirmandū q scriptura illa nō potest pertinere ad Christū, quia subijcitur: si iniquè aliquid gesserit, arguā eū &c. nō peritè dicitur: quasi uerò nō sit mos scripturæ, illa Christo tribuere

Nota pie lector.

Hierony. super Oseæ. c. 11.

buere quæ sunt mēbrorū ipsius. Nā et peccator in nobis est Christus qui pctā nostra super se posuit, ut sic depre caretur pro nobis, & lueret ea in semetipso: unde statim subditur, Misericordiā aūt meā nō auferam ab eo &c. Sed hoc est unū & maximū principiū eorū quæ recipi oportet, ab ijs qui uolūt perscrutari scripturas, uidelicet quòd scripturæ de Christo loquūtur, uelut summo capi te, & seorsum intelligitur à mēbris, uelut in quolibet mē bro & in toto corpore ecclesiæ existēs. Sic Paulus perse quebatur Christū in ecclesia quæ est corpus eius, ut de clarat Apost. Ad hæc, hūc sensum nostrū, imò doctorum omniū, illemet locus declarat, dū quædā præmittit quæ ipsi Salomōi minimè ualēt aptari. Dicitur eñ ad Dauid à domino: Cumq; cōpleti fuerint dies tui, & dormieris cū patribus tuis, suscitabo semen tuū post te, quod egre dietur de utero tuo, & firmabo regnū eius, Ipse ædifica bit domū nomini meo, & stabiliā thronū eius usq; in sem piternū. Et ego ero illi in patrē &c. Nūquid enim cōue nit Salomoni primū illud, quòd esset suscitādus post mor tem Dauid, cùm suscitatus fuerit in diebus Dauid, & iam esset egressus de utero eius, & in uita eius accepisset regnum? Item nunquid ei secundum ueritatem spiritus, conuenit quod sequitur: Ipse ædificabit mihi domum? An quæso, manu facta templa quærit à nobis deus pater ut inhabitet in his? Et nunquid uerum est in eo, quod stabi litum sit eius regnum & sedes in æternum? An nō ad huc intelligimus, quòd Angelus Gabriel ad hunc locum aspexit, cùm dixit sacratissimæ uirgini: Et dabit illi domi nus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Ia

August. & alij hæc docent.

Actuum. 9.

Ad Col. 1.

Act. 2. et. 17.

cob in æternũ &c. ut indicaret in Christo ipso hãc scri pturam implendam? Hæc uerò latius aliquantò tracto quàm liber hic summarius postulet: quia non parui momenti hæc sunt, ut discamus in spiritu non in litera quærere & inuenire mysteria, ac propterea non iudaizare.

Septima annotatio. ¶ Annotaui & illud, fateor, etiã cũ stomacho, quòd ausus fuerit Caietanus tantũ autorẽ reprehẽdere, uel imperitiæ Hebræi sermõis, uel doli. Eò quòd (ut ait) proferẽs de ueteri scriptura testimoniũ mutauit pactũ in testamentum: hem quò redacta est scripturarum censura, etiã post tãtum ecclesiæ præiudicium. Sed uideamus cuiusnam fuerit incõsideratio & imperitia, an autoris huius Epistolæ, an potius Rabbini eius qui suasit has nugas Caietano? Paulus nonne eandẽ uocem Berith, etiam

Ad Ro. 11. in Epistola ad Romanos testamentum ipsemet interpretatur, non pactum? Et in ea quæ ad Galla. promißiones

Ad Gal. 3. Abrahæ factas uocat testamẽtum & hæreditatem. Et accipit argumentum de testamento ex eo quòd testatoris dispositionem nullus infringit. Quid ergo dicemus? quòd nec illa quæ ad Roma. erit Pauli? nec illa quæ ad Gala. quia & ibi similiter pactum mutat in testamentum? Ad

Act. Apo. 7. hæc: nonne Stephanus uocauit testamentum circuncisionis? nonne septuaginta ferè semper eam uocem Berith uertunt testamẽtum? Sed quid affero septuaginta? Nonne Zacharias pater Ioannis in suo Cantico sic uocat? &

Lucæ. 1. ille alius Zacharias similiter id ipsum testamentum nun

Zachar. 9. cupat secundùm propriam testamenti rationem, quòd efficaciam in morte suscipiat? Sic enim ait, Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti uinctos tuos de lacu.

I mõ i

Imò ipse Christus nonne dicit. Hoc est meum testamentum in meo sanguine? Sed hoc decepit Caietanum, quòd ut ignarus legum non putauit pactum conuenire cum testamento, ut idem & testamentũ & pactum dici ualeat: cùm tamen & hæreditas in pactum uenire poßit, ut iura docent. Imò antiquo iure uelut per pactum accipiebatur, quod uocabant testamentum per æs & libram. Sed quid aliũde quærimus testimonia? nã qui negat tale pactum, de quo dicunt scripturæ, quas Paulus citat esse testamentum, is palàm Christi uerbũ negat, & indignum se constituit testamento isto, ut nec ex eo ualeat hæreditatem capere, quod ipse negat. Lucæ. 22.

¶ Annotaui & aliud argumẽtũ huius hoĩs, per quod etiã audacius Paulũ negat esse huius Epistolæ autorẽ. Quòd hic autor Epistolæ ponit se inter eos in quos euãgelica salus confirmata est per eos qui audierũt à domino &c. quod nõ cõuenit Paulo, qui nõ ab homine, neq; per hominẽ, sed immediatè à deo Euangeliũ didicit. Sed agnosce lector acute fallaciã. Nõ dicit hic Paulus, quòd ipse acceperit doctrinã ab his q audierũt à domino, sed quòd per eos in se cõfirmata est salus, quod ei uerißimũ fuit: nã ab ipsis sacramẽta accepit, nec sine portẽtis ac signis. Postquàm enim prostratus est, dictum est ei, uade in ciuitatem: & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere: & ab Anania baptizatus recepit uisum. Aliud ergo est recepisse doctrinam à discipulis domini (hoc enim non fuit) aliud salutis confirmationem, quod uerũ fuit. Nam & sua prædicatio indiguit confirmatione Apostolica, ne in uacuum curreret aut cucurrisset, ut & ipsemet fa-

Octaua annotatio. Cap. 2.

Ad Galat. 1.

Actuum. 9.

Ad Gal. 2.

tetur. Respondi & ad aliud argumentum quod inducit, tãquàm hic autor loquutus sit contra scripturam, quum ait, in arca testamenti fuisse urnam auream & uirgam Aaron: cùm in libro Regum expresse dicatur, quòd non erant nisi duæ tabulæ lapideæ. Non enim uidit, quòd fieri potuit, aliquando in ea arca & urnam fuisse & uirgam, & aliquando non fuisse. Nam hoc certè potius innuere ille textus uidetur: eò quòd postquàm de uectibus arcæ dixit quòd ibi fuerunt usq; in præsentẽ diem, subiecit: In arca autem non erant nisi duæ tabulæ &c. Ac si manifestius dixisset, quòd non usq; in illum diem manserant, quæ alias erãt in arca, nisi duæ illæ tabulæ lapideæ: quod & ad mysterium facit: ut significaretur quòd sacerdotium Aaron quod per uirgam significabatur in terra promißiónis, regnante uero Salomone, id est, Christo, debebat cessare: & similiter urna quæ habebat manna absconditum, id est, lex quæ Christum uerum manna latenter cõceptum habebat, debuit euanescere. Ecce ergo quàm facilè resoluitur, quæ contradictio apparebat, quæ uerè tunc est, ut logici docent, quando est de eodem, secundum idem & eodem tempore. Respondi & ad alia quædam minutula, quæ contra hunc autorem allegat, quòd citauerit loca scripturæ ueteris, non iuxta Hebraicam ueritatem, sed iuxta tralationẽ septuaginta. Quasi uerò non idem euangelistæ fecerint, & ipsemet Paulus, qui quod apud Isaiam legitur, Omnis qui crediderit non festinet: ad Romanos in hunc modum citat, iuxta septuaginta: Omnis qui credit in eum non confundetur. Si quis ergo contentiosus fuerit, nonne hic habet occasionem?

3. Regum. 8.

Nota studiose mysteriũ scripturæ.

Ad Ro. 10. Isaiæ. 28.

casionem? Et tamen si quis audire uoluerit, facilè capiet de uaria lectione, eundem sensum. Sed non est hic locus hæc declarandi. Quare & consultò mitto quædam contra hunc autorē ab eodem Caietano nescio an arrogantius quàm leuius annotata: pátere lector uerba zeli secundum scientiam. Cogit enim me rei indignitas & iustissima indignatio, ut sic eloquar. Quis enim unquam catholicorum ausus est reprehendere scripturam, quæ cum tanta ueneratione ab uniuersa ecclesia recipitur, et in templis solenniter decantatur, ut Pauli, ut canonica, ut sacrosancta? Et (quod intolerabilius fuit) hominem prorsus imperitum linguæ Hebraicæ, ita de Hebraismo pronunciare, & sententiam ferre, & tales producere rationes: quas, testor deum, uel ob ipsarū leuitatem piget referre atq; refellere? O fratres fratres, uincat ueritas, & nolimus nosmetipsos excæcare improba affectione, præsertim in rebus tam magni ponderis. Illud tandem quis non miretur, quòd arguit non fuisse Paulum huius Epistolæ autorem, quia in ea scribitur: Celerius uidebo uos. Non est autem consentaneum, inquit, quòd Paulus qui iā ad Cæsarē appellarat, ut manus iudeorū effugeret, iterū se ad illos spōdeat reuersurum: quasi uerò Paulus metueret ab hominibus, aut quasi aliàs agabo prophetāte illi afflictiōes obuēturas in Ierusalē, & fratribus omni ui cohibētib. ne rediret illuc, cōcesserit eis: minimè gētiū, Quin totus feruore incēsus & spiritu agitatus, animo ita respōdit inuicto. Quid facitis flētes & affligētes spiritum meum? Ego autem non solùm alligari, sed & mori in Ierusalē paratus sum &c. Quinetiam in Ico-

Nota pie lector.

Nota uim argumenti.

Actuum. 21

nio cùm esset lapidibus obrutus, & penè exanimis à fra-
Actuū. 14. tribus receptus, mox tamen iterum illuc, ut discipulos in fide confirmaret reuerti nihil trepidat. Potuissem & alijs pluribus modis argumentum euitare dicendo quòd causa iam ad Cæsarem deuoluta, & ibi cognita, non erat quod à Iudæis metuere sibi ulterius magnopere haberet. Metuissent enim & illi Cæsaris indignationem, si manus in eum inijcere uiolentius uoluissent, quem ipse ut innocentem dimisisset. Item potuissem dicere quòd multo tempore secesserat ab eis Paulus, quo sperare poterat eorum furorem iam deferbuisse. Nulla enim est tam uehemens animi incensio, quæ tempore non frigescat. Item quòd nolebat Paulus restitui persecutoribus suis, sed fratribus. Non enim omnes Hebræi erant perfidi, sed multi inter illos profitentes Christum, quibus etiam cura erat de sanctis, ut sæpiuscule ipsemet Paulus indicat. His ergo restitui uolebat, quod latè patet. Sed o-
Ioan. 2. mnino carnalis cogitatio est in argumento isto qualem olim habebāt adhuc carnales discipuli domini qui aiebāt, Rabbi, modò quærebāt te Iudæi lapidare, & tu uadis illuc. At nos à Christo didicimus horas duodecim habere diē, & tēpus esse fugiendi, & tempus offerendi se ad crucem. Hoc ergo iam patefacto, quòd argumenta quibus mouentur qui hanc epistolam Pauli esse negant, & friuola sunt & periculosa: attuli benè immensam testium nubem, qui huic epistolæ attestantur quòd sit Pauli, & canonica: quorum si sola nomina scriberentur, iustum uolumē complerent. Quare ut cunctos uno uerbo complecterer, dixi, quòd uniuersus prorsus

sanctorum & doctorum coetus, qui aliquid sibi nominis & gloriæ in ecclesia uendicarunt à maximo ad minimum, à primis ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora, hanc Epistolam *esse* Pauli *receperunt, & tradiderunt, & ex ea sententias tanquàm irrefragabiles, etiam in contentione aduersus hæreticos allegarunt, sicut & ipsemet* Caietanus *fecit in ientaculis ad conuincēdum hæreticos: quinetiam specialiter de hac epistola in proteruos contendentes, ipsam* Pauli *esse constantissimè asseruerūt.* Ita ut Origenes *post magistrum suum* Clementem, *qui* Clemens *sua ætate (teste* Hiero.*) erat omnium eruditissimus, hæc uerba pronuntiauerit.* Ego dico, *sicut à maioribus mihi traditum est: quòd manifestissimè est* Pauli: *& semper antiqui nostri ita eā ut* Pauli *receperunt.* Sedulius *quoq; nō ignobilis autor idē ait.* Cyrillus Nestoriū *hæreticū per huius* Epistolæ *testimonia dānauit. Quæ damnatio in* Ephesino *concilio est confirmata.* Hieronymus *ut iam uidimus, egregiè defendit illam esse* Pauli, *& se illam ut* Pauli *accipere profitetur, commentumq; hoc, uidelicet non esse* Pauli *ab hæreticis introductum fuisse perspicuum testatus est.* Beatus August. *intrepidè inter* Pauli *epistolas numerat, & absq; ullo scrupulo. Quin & in quodam loco, licet suo tempore apud* Latinos *incertum hoc esset, magis tamen se moueri inquit autoritate ecclesiarū oriētaliū, quæ illam etiā inter canonicas cōputabant. Quid ergo nunc diceret, quādo tam magno consensu omnes penitus ecclesiæ, & omnes doctores in eam conuenere sententiam? Vnde & in quodam prologo ex dictis sanctorum (ut habet titulus)*

Inconstantia doctrinæ.

Origenes. In hist. ecclesiastica.

Sedulius.

Cyrillus in cōcilio eph.

Hierony.

Aug. de doctrina Christi.

De mer. & rem. pec. ad Mar.

collecto ad Pauli epistolas (credo aũt quòd sit Rabani) ita legitur: Vnde quorundam insania repercutitur, dicentium Epistolam quæ ad Hebræos inscribitur, nõ fuisse Pauli &c. Vide igitur lector qua nota, sanctorum iudicio signantur, qui hanc Epistolam negant esse Pauli, nimirum insaniæ. Theophylactus quoq; contra huiusmodi in hunc modum scripsit. Non possum equidẽ non admirari multorum hominum impudentiam, qui cùm intelligant per epistolæ huius exordium fuisse tot hæreses confutatas, haud tamen desistant asserere hanc Epistolam haud Paulo cõuenire, ceu à cæteris epistolis alienam. Velim tamen non esse hos nescios epistolæ huius, & sensuum profunditates, & uim illam inconfutabilem nullius esse alterius posse quàm Pauli, qui Christum haberet in se loquentem. Quòd si dicendi modus illos offendit, intelligant Paulum Hebraica lingua hanc dictasse epistolam, ut qui ad Hebræos haberet sermonem, & unum aliquem de suis contubernalibus in Græcum uertisse. Et pleriq; Lucam hanc transtulisse ferunt, aut Clementem, cuius etiam in ea uel stilus seruetur. Nec secus ij peccant, qui hanc esse Pauli Epistolam negant, quàm si à Paulo abesse Christum negarent. Hec Theophylactus. Et cùm ita sit, quidam murmurauerunt quòd ego circa hanc rem ob zelum Christi succensus aliquantulum fui, nec tamen pro rei indignitate.

Not. uerba.

Theophila.

Not. uerba.

Not. uerba.

¶ Post hæc uerò cathalogũ ueterũ perstringẽs qui magis insignes fuere, & de hac epistola tanquam canonica & ut Pauli, testimonia citant, protuli primũ Dionysiũ Ariopagitã, Ignatiũ, Clementẽ papã, Petri discipulum,

Dionysius.

Ignatius.

Clemẽs pap.

Anacletum etiam papam, Iginium papam, Hirenæum episcopũ, hi ferè omnes tẽporibus Apostolorũ uiguere. Tũ aggregaui Clemẽtem illũ Origenis (ut diximus) præceptorẽ, & ipsum Origenẽ, qui magna cõstãtia hoc asseruerũt. Itẽ Athanasiũ, Basilium, Chrysostomum, Gregorios Græcarũ ecclesiarũ antistites. Itẽ Damascenũ. Et de nostris Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregoriũ, & omnes posteriores, qui sine numero sunt. Adieci & pro hoc cẽsurã uniuersitatis parrhisiorũ in Erasmum. Item cuiusdam Synodi prouincialis sub Apostolicæ sedis legato & Archiepiscopo & Cardinali senonẽ. collectæ ad has irrumpentes hæreses contundendas. Addidi etiam ad opprimendum omne os Nicenum cõcilium, in quo hoc definitum fuisse memoriæ proditum est. Item Ephesinum, & Laodicense, & Carthaginense tertium. Tum decretum Innocentij primi ad exuperium proponentis & commẽdantis illi diuinæ scripturæ uolumina. Item Gelasij decretum ex concilio cum septuaginta episcopis Romæ habito. Item Paschalis secundi confessionem in concilio Lateranensi habitam. Item concilium uniuersale Florentinum sub Eugenio quarto. Et quòd non debet in ultimis considerari, ipse tam diuturnus omnium ecclesiarum usus, que in uniuerso terrarum orbe in templis, in cultu dei, in sacris mysterijs, lectionem de hac Epistola accipientes, illud alta claráq; uoce sub titulo beati Pauli ad Hebræos intonuit. Absurdißimũ est enim prudenter ac fideliter cogitantibus uniuersam ecclesiam tantum mendacium proferre, idque in sacris, quæ cum deo aguntur. Denique adieci Petrum Apostolum te-

Anacletu. Iginius. Hirenæus Clemens. Athanasiu Basilius. Chrysosto Gregorij Græci. Damasce. Ambrosiu Hieron. August. Gregorius Facultas Parrhisien Synodus Se nonensis. Synodus Ni cena. Concilium Ephesinum Laodicense carthaginẽ. Decreta Innocentij, Gelasij, Paschalis, Cõci. Florẽ.

Petr.ulti. ſtem, qui citare uidetur ſpecialiter hãc epiſtolã dicẽs. Sicut chariſſimus frater Paulus ſecundũ ſapientiã ſibi datam ſcripſit uobis ſicut & in omnibus Epiſtolis, ubi uides quandam particularẽ innui epiſtolã, ubi ſcripta illa erãt, quæ maximè in hac apparẽt: nam de lõganimitate quæ parit ſalutẽ ſpecialiter admonet Hebræos in hac epiſtola cap.10.in fine. & cap.11.ferè per totum.

Nota lector hoc totum. ¶ Poſtremò fortiſſima quædã argumẽta perſtrinxi. Nã hic autor in cap.ulti. profitetur ſe eſſe Hebræũ genere, ut per hoc, ſicut ibi notat reuerẽdiſſimus, excludtãur Clemẽs & Lucas, quorũ neuter Iudæus, ſed alter è Roma, alter Syrus fuit. Itẽ hic idẽ authorr mittit Timotheũ, & per illũ epiſtolã ipſam. Quis autẽ cõſueuit hoc facere niſi Paulus, tãquàm eius pater & magiſter? Quis etiã hãc autoritatẽ haberet mittẽdi talẽ? Reſpõdet Caiet. fortè,

Nota hominis incõſtantiam ſuper eodem capi. Clemẽs qui erat epiſco. Ro. At iã ipſemet paulò antè negauit hãc epiſtolã eſſe Clemẽtis. Dicet quiſpiã q, fortè Barnabas, ſed nõ erat Barnabæ diſcipulus Timotheus, ſed Pauli, & iam Barnabas à Paulo diſceſſerat, ut probat ſcriptura, nec Ieroſolymã legitur poſtmodò remeaſſe. Quin & ipſemet Caiet. negat hãc epiſtolã eſſe Bar-

Caiet. ſuper eadem epiſtola.cap.2. nabæ; ſed, ait, cuiuſdã poſterioris, ſicut Eraſmus. In quo etiã cõuincitur, quia cũ hic autor mittat Timoth. oportet eum fateri fuiſſe de prioribus nõ poſterioribus: uide igitur ut à ſeipſis diſſidẽt. Tertiò hic idẽ autor memorat ſua uincula. Quis autem erat in uinculis, & in uinculis

2.Thim.2. ſcribebat, ſicut Paul. qui aiebat, uerbũ dei nõ eſt alligatũ? Deniq; in Italia erat quũ ſcripſit, nimirũ Romæ, habẽs ſecũ Timotheũ, ſicut in ultima epiſtola ſua illũ admonuer-

monuerat, ut ad se ueniret. Vide ergo prudens lector, quot & quanta pro hac epistola quòd autor eius fuerit Paulus cōuenīūt, uidelicet doctrina primū ipsa magna: deinde eloquiū in lingua propria: tertiò causa particularis supprimēdi sui nominis. Quarto quòd genere Hebræus erat. Quintò mißio Timothei. Sextò uincula & cathenæ. Vltimò mißio ab Italia & de Roma, cùm esset ibi in uinculis. Quæ omnia cū certè cōcurrāt in Paulo. particulariter, & in alio quoquam ullo nō legantur tot simul cōuenire, impudēs, proteruus, insanus sane sit, qui his cogitatis cum innumeris præsertim suprà citatis testimonijs, adhuc uel dubitet an Pauli sit.

Annotaui insuper circa epistolā Iacobi, uerba illa quæ scribit. Nō est usquequaq; certū, an hæc epistola sit Iacobi fratris domini, dicēte Hierony. in libro de uiris illustribus: Iacobus frater domini unam tantum scripsit epistolam quæ de septem canonicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit autoritatem. Salutatio tam pura est, ut nulli salutationi cuiusquam alterius apostolicæ Epistolæ cōformis sit: nā nihil dei, nihil Iesu Christi, nihil gratiæ pacisué sonat, sed prophano more salutem: nec ipse se Apostolum nominat, sed tantum seruum Iesu Christi. Ex quibus simul iunctis minus certus reddetur autor. Hæc ille. Ego uerò admiratus primum sum quòd ex uerbis Hierony. eliciat nō esse certum autorē huius epistolæ, cùm tā expresse dicat nec tāquā dubitās, sed tāquàm asserēs Hiero. quòd Iacobus frater domini hanc epistolā scripserit: & asserat quòd sit una — De epistola Iacobi. — Hierony.

de septem

de septem canonicis, & quòd procedēte tēpore obtinuit autoritatem. Et ad Paulinum sic ait Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, septem scripserunt epistolas tam mysticas, quàm succinctas breues & longas: breues in uerbis, longas in sententijs: ut rarus sit qui non cæcutiat in earum lectione. Quòd uerò Caieta. addit quòd salutatio nulli alij salutationi cuiusquam alterius epistolæ Apostolicæ conformis est, nihil habet momenti. Nam & Ioannes nulli similis est in hoc, qui nec salutationem ullam habens, statim erumpit. Quod fuit ab initio &c. Illud omnino mirū q, ait, nihil esse Iesu Christi, in hac salutatiōe, cum hinc incipiat: Iacob seruus Iesu Christi. Deniq; q, notat uelut prophanū, dicere sic nudè salutē, nō tam hūc Apostolū, quàm simul oēs, & uniuersum Apostolicū cōciliū dānat, qui his uerbis ad quos miserūt epistolā salutarūt. Apostoli & seniores fratres, ijs qui sunt anthiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gētibus salutem.

Actu. c. 18.

¶ Annotaui & circa epistolas duas Ioannis ultimas non esse credendū quod ex Papia adducitur, de alio quodam Ioanne Theologo. Nec putandum esse Papiæ commentaria illa quæ etiam continent alia quædam fabulosa, uel ipso Eusebio teste. Porrò quòd non solùm Hieronymus ijs attestatur epistolis ad Euagrium scribens, quòd sint Ioannis euangelistæ: uerum etiam stilus ipse & uerba Ioāni peculiaria quæ ibi legūtur, idē cōfirmant. Nam quis ausus esset dicere, Et testimoniū nostrū uerum est, nisi qui diceret, Scimus quia uerum est testimoniū eius?

...e epistolis ...oannis.

¶ Annotaui & de Epistola Iudæ, primum quod ait non esse certò canonicam, quia Hieronymus non habet

...an. 21.

bet hoc ut certum, ex eo quod ait. Iudas frater domi- ni paruam quidem scripsit epistolam, quæ de septem ca- nonicis est. Quis hic non stupeat, inde colligi ex Hiero- nymo hanc epistolam non esse certò canonicam, ubi ipse ait, unam esse de septẽ canonicis? Neq; uerò quia addit, à quibusdam reijci, eo quòd de Apocryphis testimonium sumat, ideo & ipse putãdus est reijcere, aut nõ recipere, qui statim cõtrà adiecit, uidelicet, quòd autoritatẽ uetu state & usu meruit, & ĩter sctãs scripturas cõputatur. De epistola Iudæ.

¶ Deinde annotaui quæ adiecit commentans illa uer- ba. Prophetauit autem septimus ab Adam Enoch, &c. Adiecit enim: Hic est locus unde Hieronymus dicit refutari à multis hanc Epistolam, nec ab re: quo- niam & si citare Apocrypha multò magis liceat quàm poëtas, autoritati tamẽ sacræ scripturæ derogat, ut apo crypha prophetia, ut simpliciter & absolutè prophetia inducatur: quod hic fieri clare apparet, dum absolutè di citur, Prophetauit autem &c. Hæc ille. Vbi uide quàm audacter (ne durius loquar ut res ipsa postularet) huius Epistolæ autorem arguit falso crimine, eò quòd id quod est apocryphum, attestetur esse propheticum. Sed absit, ut pia corda tam ineptam huius uiri calumniam in Apo stolum Christi admittant. Non enim quia, quod in Apo- crypho scriptum fuit, affert, idcirco ipsum quod affert erit apocryphum. Hic adduxi Bedæ & Dionysij Car- thusiensis autoritatem qui obuiarũt huiusmodi obiecto. Potuissem aggregare & Hieronymi sententiam super Epistola ad Titum. Et Aug. in libr. 15. de ciuita. dei. cap. 23. qui hoc idem rectè annotant, asserentes epistolã hanc

ab importunis.

ab importunis. Addo nunc quòd & Dionysius Ariopa. cap. 4. de diui. nominibus, de hac epistola citat testimonia. Illud etiam non omittam, quòd si (ut ait ipse Caietanus) citare apocrypha tolerabilius est quàm poëtas, pro fectò magis reprehēdi debuit Paulus, qui Epimenidis dictum in Cretenses canonizat, cùm poëtæ multa mētiantur. Verùm sicut ibi Paulus nō accipit à poëta testimonium, sed ei tribuit potius: ita hic Iudas non ab apocrypho testimonium accipit, sed potius illud quod in apocrypho continebatur, ut uerum probat.

De ult. capite Marci.

ANnotaui quod & de ultimo Marci cap. dixit, quòd nō sit solidæ autoritatis ad firmādā fidē, sicut cætera Marci indubitata, eò quòd quidā aliquando suspicati sunt illud fuisse adiectum. Ergo hominū suspicione quorūlibet uacillare debet scriptura. Si sic res habet, quid iam erit firmum de illa? Ad hæc, si hoc capitulum non erit pars Euangelij Marci, sequitur quòd mutilum habet ecclesia Christi unius euāgelistæ euangelium: & id quidem in ea parte, quæ erat potißima, ubi de resurrectione agebatur, cuius enarratio maximè conueniebat Marco, qui propter uictoriam resurrectionis in leone designatur. Quis hæc nisi desipiat probet? Adde q. hoc caput quod isti in dubium uocant, ecclesia in duobus solēnißimis festis. i. in die sancto paschæ & resurrectionis, clara uoce recitat & concinit in sacris templis sub Marci titulo, quam qui dicere audent in huiusmodi errare, nihil est quod non ualeant uel asserere, uel negare, ut lubet. Quare contemnendi sunt potius, quàm sint dignandi, ut cum illis contendas. Illud hic adde quòd similiter

militer irrationabiliter putat epistolam ad Colos. in calce mutilam esse.

Annotaui similiter, historiã adulteræ apud Ioãnẽ, quã diuus Ambrosius semper in ecclesia decantatã fuisse testatur, & omnis ecclesia ad hæc usq; tẽpora recepit, iniuria reuocari in dubiũ. Itẽ locũ illũ apud Lucam, ubi legitur in agone domini apparuisse illi Angelus de cœlo confortans eum, quem locum Dionysius & citat & probat. Et item illum apud Ioannem. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritussanctus: quæ uerba ab infidelibus translatoribus detracta fuisse testatur Hieronymus, quo minus dubitare debebat Caietanus, si sibi constans uolebat esse, cùm iam fecisset Hieronymum regulam canonicorum librorum.

Amb. In epistola ad studium. Dionysius de cœlest. hierarch. 1. Io. 5. Hiero. in ar. ad Eustoch. Inconstantia doctrinæ.

¶ Post hæc de alijs scripturæ sanctæ libris, quos ut canonicos & sacrosanctos iam recepit ecclesia, ut ex decretis pontificum constat, disserui, ut de libro Hester, quem Erasmus exulare facit à canone Hebræorum, contra Hieronymi testimonium. Et de libro Thobiæ, cui reddit elegans idem Hieronymus testimonium, asserens Hebræos illum à suo canone secuisse, & de libro Iudith, de quo idem ipse testatur, quòd eum Nycena synodus in numero sanctarum scripturarum computauit. De libro quoque Sapientiæ, pro quo attuli testimonium illiusmet scripturæ, per quam conuincitur opus esse Salomonis, non Philonis, ut Hebræi mendacissimè effutiunt. Nam eius libri autor ea de se prædicat, quæ non nisi regi & ipsi Salomoni cõueniunt. Se enim

Eras. in suo symb. & in li. de lib. arb. cõtr. Luth. Hiero. in prologo eius libri.

Cap.1.8.9. 10. regem electum à Deo, ipsiq; Deo domum ædificasse prædicat. Produxi & Augustini testimonia euidentissima, etiam in contentione contra eos qui eius uoluminis autoritati derogabant. Poteram Ambrosium adAug. in lib. de prædest.5 dere & Cyprianum, & Hilarium, & alios multos, qui de eo libro sententias plures ut solidas & tanquam à spiritu sancto profectas, sicut cæterarū scripturarum Dion. de diui. nom. sanctarum sententias protulerunt. Non est dubium quòd de eo libro beatus Dionysius quædā citat, Imò Ad Rom. 10. re uera etiam beatus Paulus Apostolus.

Ad Cor. 1. DE libro quoque Ecclesiastici latius disserui ijsdem argumentis. Adieci obiter disputans etiam de historia Susannæ, & Belis draconis, & lacu leonum, & hymno puerorum in Daniele, probans ea cuncta ad sacram pertinere scripturam. Nec Hieronymū docuisse contrarium in prologo, ut multi, & præsertim Erasmus parum attentè legentes colligūt. In quod & Ruffinus impegit: unde elegāter ab ipso Hieronymo, in quem hæc obiecerat, retunditur. Hæc enim in illū Hieron. in Ruffinum. Hieronymi uerba sunt. De Daniele breuiter respondeo, me non negasse eum prophetam, quem statim in fronte prologi prophetam confessus sum: sed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis suam niterentur probare sententiam uoluisse monstrare. Quod autem refero quid aduersus Susannæ histriā, & hymnū triū puerorum, & Belis draconis fabulas, in uolumine Hebræo Hebræi soleant dicere, qui me criminatur, stultū Nota. se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicaui: quorum

rum opinioni, si non respondi in prologo breuitati studens, ne non præfationem sed librum uiderer scribere, puto quòd statim subiecerim, dixi enim, De quo nō est huius temporis disserere: hec Hieronymus. Et cum ita sit, tamen non ueretur Erasmus ita in scholijs hoc in loco apud Hieronymum subnotare: hic Hieronymus uafrè respondet, siquidem ex ipsa præfatione planè apparet, eum ita sensisse. Sycophantam igitur & mēdacem Hieronymum facit Erasmus, quem aliud sensisse, quàm ipse se sensisse testatur, audet asserere. Quem alibi uiolentum, sæpenumero, torquentem scripturas, parum pudentem, sæpe uarium, parumq; sibi cōstantem, & alijs huiusmodi epithetis non dubitat traducere. Sed non operæpretium pugnare in manes. hoc mihi satis, quòd pius ac prudens lector potius arbitrabitur mendacem & procacem Erasmum quàm Hieronymum. Nec moueatur quisquam quòd Hieronymus ea ueru iugulante transcripserit, nam ueru illud non erat signum, quòd reprobaret, sed quòd in Hebræo ille nō comperisset, neq; ipse de Hebræo trāstulisset. Alioquin si ueru illo uolebat significare quòd nō probabat. Quid est ergo quod idem ait, quòd nolebat uideri imperitis eas detrūcasse? Nam hoc ipso facto id uolebat uideri, si hoc illud ueru significabat. Est ergo manifestus Hieronymi sensus, quòd propter imperitos uoluit, quæ ipse de Hebræo non transtulit, tamen de alia translatione, id est, Theodotiōis componere cum suis, ueru autē iugulare, ut intelligeretur quod suum à se translatum non esset, quia in Hebræis illud non comperisset. Illud insuper

Nota in Erasmum.

Erasmus. in annot. in epistolā Ioā. c. 5.

In Erasmũ. sum miratus, non puduisse Erasmum etiam adnotare, Hieronymũ idcirco Belis draconis appellasse fabulas, ut iudicaret eas procul esse à ueritate, cùm ipsemet Erasmus multos offenderit, quòd sacras historias, fabulas dixerit. Quod multo minus ei quàm Hieronymo licebat. Quis enim ab Erasmo dictum in bonã partem trahere ualeat? cùm iam nec terræ nec cælo pepercerit, & suspicatus sit etiam ipsos euangelistas memoriæ lapsu aut humana aliqua fragilitate errare potuisse in aliquo à uero. At Hieronymum non solùm excusabat subiecta materia, & notissima hominis pietas, uerùm & illud maxime, quòd ibidem ubi fabulas appellat, indicat se eas probare, dum Ruffino respondet obiectanti quòd eas improbaret: quem & huius criminationis nomine sycophantam &, stultum uocat: quò magis miranda est Erasmi calũnia. Nec enim nos latet, quòd hec uox fabula, quæ à fando dicitur, unde & fabulor, ui ipsa sua non magis falsam quàm ueram significat narrationem: quandoquidem & uera fabulari solemus, & falsa: quia tamen plerunq; non absq; mendacio, ipso usu accõmodata est, ut magis ea significet quæ falsa sunt, nisi materia subiecta prohibeat, ut in proposito abusus est ipse Hieronymus. Neq; adeò temerarius erat, qui erat sanctissimus, ut quod in uniuerso Christiano orbe probabatur, ipse iudicio Synagogæ consentiens uellet improbare. Nam audi ô pie lector, quæso Cyrillus pro historia Susannæ. quid Cyrillus antistes Alexandrinus inuictissimus triũphator hæreticorum de hac Susannæ historia censeat. Etenim hæc eius uerba in libro primo in Leuit. ferme in principio.

principio. Sed tempus est nos aduersum improbos uti Susannæ uocibus, quas illi quidẽ repudiãtes, historiam Susannæ de catalogo diuinorum uoluminum desecuerũt. Nos autẽ & suscipimus & opportunè cõtra ipsos proferimus dicentes, Angustiæ mihi sunt undiq; &c. Quomodo ergo computandus erit Hieronymus inter improbos illos presbyteros, qui libros desecãt diuinos, quos omnes boni & ecclesiastici accipiunt?

ADieci & pro libris Machabæorũ plura, & primo sententiam doctorum communem, quæ in quodã prologo legitur his uerbis. Machabæorũ libri licet non habeãtur in canõne Hebræorum, tamen ab ecclesia inter diuinorum uoluminum annotantur historias. Et Augustinus ita dixit, Machabæorum libros non Iudæi, sed ecclesia pro canonicis accipit, adde quòd & Paulus ad Hebræos undecimo ex his libris citare uidetur historiam de septem martyribus uel ipso Caletano teste. Itaq; quod in prologo Galeato scribit Hieronymus, hos libros extra canonem esse, & inter apocrypha computari, de canone Iudæorum intelligendum est non ecclesiæ, nam ipso teste, Apocrypha nescit ecclesia. Hiero. in apolo. ad Pamã chium.

Illud etiam non me latet quod idem Hieronymus alibi admonet, in hæc uerba. Sicut Iudith & Thobiæ & Machabæorum libros quidem legit ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recipit, sic & illa duo uolumina sapientiam & ecclesiasticũ legit quidẽ ad ædificationẽ plebis, non ad autoritatẽ ecclesiasticorum dogmatũ. Ex quibus uerbis patere uidetur ex Hieronymi sensu ecclesiam non habuisse tunc temporis pro canonicis hos li- In prolog. sup. lib. Salo.

Nota hæc. bros, quod ut sanè intelligas, cogita quòd ecclesia (ut ad rē pertinet) duobus modis dicitur, uno quidē, ut maiores ac prælati significentur, iuxta quem modum dixit dominus, Si non audierit eos, dic Ecclesiæ: & apud Matth. 18. D. Paulum ecclesia est columna & fundamentum ueritatis: & iuxta hunc modum etiam Hieronymi tempore Rom. 3. & longe antea receperat hos libros ecclesia. i. ipsi maiores, & pro canonicis habebat ut clarè patuit ex Nicena Synodo de Iudith, uel ipso Hieronymo teste. Alio uerò modo dicitur ecclesia pro uniuersa collectione fidelium, ac præcipuè pro corpore & minoribus de ecclesia, quomodo dixit Paulus, Attendite uobis & uniuerso Act. 20. gregi, in quo uos spiritussanctus posuit regere ecclesiam Dei. &c. Et iuxta hūc modum fateor ætate illa in multa ecclesiæ confusione ac perturbatione ab hæreticis, aut parum pijs hominibus, sed duris & contentiosis, nōdū hos libros uniuersaliter receptos fuisse, ut & Nota hæc. Gregorius & alij doctores notant. Tunc enim neq; epistola ad Hebræos à Latinis recipiebatur, nec Apocalypsis à Græcis, quæ tamen apud maiores & in pluribus concilijs receptæ erāt: quod latius patere feci. At uerò nūc post tot excursa secula, post tot sacrosancta concilia & decreta, post tantum ac tam diuturnum omnium ecclesiarum consensum & usum, post expressam claramq; ipsius Catholicæ ecclesiæ & toties repetitā uocem, audere se opponere, neq; satis tutum, neq; nisi superbum putare possum. Etsi enim quidam summistæ ac neoterici non satis exactè rem considerantes, ante excitatas has hæreticorū turbas aliter opinati sunt, aut scri

pſerunt, confuſè tamen: non opinor huiuſmodi hominū autoritatem, pontificum decretis. ac expreſſè ſedentis docentisq́; eccleſiæ uoci, & de Petri cathedra perſonā ti, præferri, ſed longè poſtponi debere. Patet enim in decretis Innocentij, & Gelaſij, & poſtremò Eugenij quarti in concilio Florentino, hos libros Machabæorū in canone & in eodem ordine computari cum reliquis ſcripturis ſanctis. Ex quo etiam patet nouum, inauditū & minimè probandum Caietani commentum, qui cum his autoritatibus quas puto ante nō uiderat urgeretur, ut ſaltē aliquid reſpōderet, de propria autoritate partitur ſcripturam in canonicos libros, uno & altero modo accipiendo canonicos. Quam diſtinctionem penitus alij ignorauerūt. Nam decretis quidem ipſis minimè cōuenit, quæ unum ſolum ordinem canonicorum tradunt: Alioquin quilibet ſua propria autoritate poſſet dicere, Ille liber eſt canonicus illo modo, quod eſſet tandem dicere, non canonicus. Nam Innocentius Papa Exuperio conſulenti quinā libri reciperentur in canone, in hūc modū reſpondit: qui uerò libri recipiantur in canone ſanctarū ſcripturarū, breuis annexus oſtēdit. Hæc ſunt ergo quæ deſiderata moneri uoce uoluiſti. Moyſi libri 5. Ieſu Naue, Iudicū, Regnorum libri. 4. ſimul & Ruth, Prophetarum libri. 16. Salomonis libri. 5. Pſalterium, item hiſtoriarū: Iob liber unus, Eſter unus, Iudith unus, Machab. duo, Eſdræ duo, Paralip. duo. Item noui teſtamenti Euangeliorum libri. 4. Pauli apoſtoli epiſtolæ. 14. Epiſtolæ Ioannis tres, Epiſtolæ Petri duæ, Epiſtola Iacobi, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis. Hæc ibi.

Nota.

Innocentius in decretis.

Et Gelasius papa catalogum sanctarum scripturarum tradens, cui titulus hic præponitur. Ordo ueteris testamenti, quem sancta & catholica suscipit & ueneratur ecclesia &c. sic digerit. Quinque Moysi, Iosue, Iudicũ, Ruth, Regnorum, Paralip. Psalmorum, Salomonis libri tres, Sapientiæ, Ecclesiastici, Isaiæ, Hiere. Ezech. Danielis, & 12. Prophetarũ. Item Iob, Thobiæ, Esdræ, Ester, Iudith, Machabæorum. Hactenus de libris ueteris testamenti, inter quos reponuntur absq; scrupulo & discrimine ullo hi Machabæorum libri, ac cæteri de quibus disputamus. Et aduerte efficacius argumentum, quo omnis obliquæ tergiuersationis ratio præciditur: duos ibi Pontifex ille principales ordines librorũ, quos recipit ecclesia euidenter declarat. Primus est in quo solæ diuinæ & canonicæ callocãtur scripturæ, quæ diuinam & infallibilem ueritatem continere creduntur, tanquam à certa spiritus sancti inspiratiõe ac directione profectæ, ut propterea irrefragabilis autoritatis constituantur.

Gelasij decretum.

Nota.

Secundus ordo est, in quo ponuntur quæ superiorum scripturarum tractatores aut disputatores Theologi dignè commenti sunt, aut disputauerunt cum laude quæ quoniam non certæ sunt ueritatis, in primo ordine non collocantur: quia tamen multa pandunt ad ædificationẽ ecclesiæ, ad confutationem prauorum dogmatum, ideo & recipiuntur quidem ab ecclesia, sed in secundo ordine, ita ut de harum ueritate liceat in loco dubitare, & quod falsum uideatur Christiana libertate & efficacibus rationibus (modestè tamen & cum reuerentia, & gratiarum actione, quæ eis debentur pro multis alijs

ueritatibus & utilibus earũ doctrinis) improbare ac refellere. Videamus ergo in quo ordine *scripturarum collocauit hos libros Gelasius, de quibus agimus, in primo, an in secundo? Certè in primo. Post hunc enim ordinem statim ad ea quae in secundo ponenda erant descendens, ita praefatur,* Post *propheticas, euangelicas, atque apostolicas scripturas, quibus ecclesia catholica per gratiam* Dei *fundata est &c.* Et *post modo statim subnectit, has quas dico secũdi ordinis.* Et *per haec patet, paulò duriores esse, imò manifestè decipi, eos qui existimãt hos libros eius esse receptionis & autoritatis apud ecclesiam, cuius sunt alij ecclesiastici secundi ordinis. Nam si ita esset, debebant ergo in secundo ordine, non in primo à* Gelasio *collocari, cuius contrarium manifestè perspicimus.* Sed *satis in re clara disputatum est: mitto concilia reliqua, & illud* Carthaginense *tertium, ubi affuit* Augustinus, *in quo palàm hae omnes scripturae* Canoni*cae uocantur.* Illud *certè quod sub* Eugenio. 4. *celebratum est* Florentiae, *quò totius orbis confluxere natiões, quae habebant aut quaerebant ueram* Romanae *ecclesiae fidem, tam clarum est, ut mirer inueniri contradicẽtes.* Nam *si id agunt, ut semel emissum uerbum & positionem defendant, nouerint quòd hinc plerunq; perficiũtur haeretici.* Error *enim simplex non facit haereticum: sed cum sensum nouit* Ecclesiae *& contemnit, aut superbè defendit, tunc formata est in corde haeresis.* Deniq; *si non aliud nos ad recipiendum hos libros ut certè* Canonicos, *persuaderet, hoc putassem satis esse, quòd ad expugnandos haereticos fermè nihil inuenitur ualidius.*

Ad Hebr. 6. *Baptismi enim infanda iteratio, ubi clarius quàm in epistola ad Hebræos reprobatur? Confeßio, & extrema unctio, & fides sine operibus mortua, ubi euidentius*
Iacob. 2. *quàm in Iacobi epistola legitur? Liberũ arbitrium ubi*
Ecclesiasti. 15. *fortius quàm in ecclesiastico comprobatur? Purgatorium esse & sanctorum orationes qui sunt in cœlis, nobis prodesse, ubi expreßius quàm in libris Machabæo-*
2. Mach. 12. & 15. *rum auditur? Turpißima filij Dei mors ubi explicatius quàm in libro sapientiæ enarratur? Et alia multa inde li-*
Sap. 2. *cet accipere, quibus manifestißimè infideles & hæretici confunduntur. Nam quia aliud non habebant refu-*
Aug. de præ dest. sanctorum. *gium, ut Augustinus testatur, huc se uertebant, uidelicet ad pernegandum eos esse Canonicos. Ad hæc, quid in eis quæso inuenitur quod offendat aut in fidei doctrina, aut morum, aut in historijs? certè nullum à quoquã inuentum est aut prolatum ex his libris offendiculum, tot iam elapsis sæculis, nisi fortè ab ijs quos non audiunt oues. Si igitur nulla ibi offensio, si tot ueteres adeò sancti, adeò docti, in autoritatem extulerunt, si in ecclesijs, in diuinis ac sacrosanctis mysterijs pari gradu, ut alij, clara uoce & tãto tẽpore intonantur, si deniq; & Synodi plures & põtificum manifesta decreta hoc pronunciant, quænam tandem hæc horum sapientia, ita trepidare, & nolle canonicos comprobare, perinde ac si hoc admittatur, res fidei confestim periclitatura sit? cũ magis è contrario (ut uidimus) adiuuetur? Quare placuit, & probaui, quòd in quodam libro Catholicorum nomine, hæreticis negãtibus Machabæorum libros esse Canonicos, eleganter ac uere in hanc sententiam respõ-*

sum

ſum eſt. Iudæi hos libros nõ habent in ſuo canone, Chriſti autem eccleſia habet. Qui igitur Canonem Iudæorum ſequuntur, ſuo ſe iudicio produnt nõ ueros eſſe eccleſiæ filios, ſed ſpurios Synagogæ.

¶ Illud uerò, quòd ipſe Caietanus etiam audet horum quoq; autorem librorum reprehendere, quòd abominationem deſolationis prophetatam à Daniele pertinere ad Idolum Antiochi docuerit, quàm ſit indignè factum & inſolẽter, alij uiderint. Ego uerò id planè cenſeo, quòd reprehendendo tot ille admittit errores, quot penè dixerim uerba effudit: quod miraculo arbitror factum eſſe. Primò enim ait, non prædici fore abominationem in templo, cùm planè ſcriptum ſit, Cùm uideritis abominationem deſolationis ſtantem in templo ſancto: non enim propriè ipſa deſolatio ſtare dicitur, ſed abominatio, quæ erat idolum. Secundò negat fuiſſe ullum tempus ſimulachri, quo tempore fugiendum eſſet Iudæis: negat igitur hiſtoriã illam Machabæorum, ubi legitur quòd tempore illius ſimulachri, nullum aliud erat Iudæis ab immaniſſima tyrannide remedium quàm fuga. Tertiò quod mirabilius longè eſt, declarat tempus fugæ eſſe cum uiderent abominationem deſolationis: At hoc certè fuit iam capta ciuitate à Cæſare & debellatis Iudæis, cùm Iam oẽs partim trucidati, partim eſſent captiui: cõmodũ ſanè tẽpus ad fugiẽdũ. Sed quid in his moror? Propria uis ſermõis, ut Hieronymus rectè cẽſet, idolum quoddam innuit, quod uerè eſt abominatio ſtãs in templo ſancto. Sed in hoc error eſt Cardinalis, quòd putauit quia dominus manifeſtè ſignificat prophetiam illam

Caiet. apud Math. 24.

1. Mach. 1. et 2. cap.

Hieron. ſuper. Matth.

illam esse uerificandam sequentibus temporibus, non potuisse simul ad Antiochi idolum spectare: quasi nouũ sit in scripturis uerba prophetica etiam multoties uerificari: quod latius patere potest ex mille locis: & qui hoc non admittit, nec ipse dignus est admitti ad scripturarum interpretationem.

De libro Apoca. quantum legerim, Caietanus nihil censet, nisi quòd fatetur se non intelligere. Erasmus autem pluribus in locis & hæreticè & schismaticè de eius autore censuit, abscindens eum librum à sacra scriptura. Nam in suo Ecclesiaste ait, Epistolæ apostolorum catholicæ nouo testamento finem imposuũt. Cætera cum iudicio recipienda sunt: O arrogantiã non ferendam, tanquam clarum sit per ecclesiam non attinere Apocalypsin ad nouũ testamentum. Si enim attineat, non est lectoris iudicio danda eius receptio. In annota. quoque multa comminiscitur, ut suadeat hoc opus nõ fuisse Ioannis apostoli. Primùm quòd nec ætate Hieronymi recepta erat apud Græcos. Deinde multos eruditissimos uiros insectatos fuisse multis conuitijs hoc argumentum quasi nihil haberet Apostolicæ grauitatis, sed uulgatam tantùm rerum historiam, figurarum inuolucris adumbratam. Item nec in sententijs esse, quod apostolica maiestate dignum uideatur. Postremò ait, Equidem uideo ueteres Theologos magis ornandæ rei gratia hinc adducere testimonia, quàm ut rem seriam euincant. Hæc Diabolus per Erasmum. Nos autem iam uidimus, quòd licet Hieronymi tempore Græci uniuersaliter eam non reciperent, ueteres

Erasmus in annot. & apologijs.

Nota censorem arrogãtissimum.

tamen

tamen eorū autores, teste ipso Hieronymo, *recipiebāt, quos ipse potius se sectari uelle testatur*. Quod *uerò ait, eruditißimos uiros multos insectatos fuisse hoc opus, ita est mēdacium merum, sicut nec nouum ex ore illo loquacißimo*. Cur *enim non citauit uel unum de eruditißimis, nisi quia pro more suo hæreticos intellige bat? hi enim apud illum sunt eruditißimi*. Quod *uerò iudicat de sententijs, non apostolica maiestate dignis, facilè contemni potest: quia, ut solemus dicere, non est apostatici spiritus censere de* Apostolica *maiestate*. Quòd *eluserit tādē ueteres* Theologos *tāquā nugaces, utpote quòd usi fuerint eius libri sententijs ad ornandum potius quàm ad rem seriam euincendam, dignum erat ut potius uerberibus quàm uerbis responsum ferret*. Sed *audi reliqua*. Ait *enim, me nonnihil mouerent tum aliæ coniecturæ, tum illæ, quòd reuelationes scribens tam solicitè suum inculcat nomen*, Ego Ioannes, Ego Ioannes *&c*. Ego *uerò totum uolumen illud percurrens, non nisi semel in principio legi dictum*, Ego Ioannes, *& iterum in fine semel, & nullibi sic inculcatum, ut iste ait: ut agnoscas impudentißimam calumniam: quanquàm, quæ coniectura hæc?* Nam, *quis est qui magis proprium nomen quàm* Paulus *inculcet?* Addit, *quòd in* Græcis, Titulus *sic habebat*, Ioannis Theologi, *non apostoli, quasi non id cognominis illi proprijßime conueniret, qui sic intonuit*, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν *&c*. Quinimo Dionysius *hoc nomine illum uocabat*. Sic *&* Origenes *&* Chrysosto-

mus.

mus. Agnoſcin ergo argumētatorē qui tā bellè cōtra ſe concludat? ſed, inquit, Dorotheus Tyri Epiſcopus qui prodidit Ioannē ſcripſiſſe euangeliū in Pathmos inſula: de Apocalypſi nullum uerbum. Quid hoc argumento uanius? nec enim de epiſtolis eius meminit. Adde quòd & falsò dicit, eum ſcripſiſſe euangelium in inſula Pathmos, cùm illud ſcripſerit Epheſi, unde facilè poteſt uel error eſſe ſcribentis, uel alterius corrumpētis, qui loco Apocalypſis quam uerè ſcripſit in inſula Pathmos, repoſuit euangelium. Addit: Dionyſius Alexandrinus putauit hanc Apocalypſin eſſe cuiuſdam alterius Ioannis: Caius uerò quidam putauit eſſe Cerinthi. At idcirco tantò minus his erat credendum, quātò nec ſecum concordant. Mirabile autem eſt quòd tot ac tantis teſtimonijs quæ contrà probant nec fidem habuerit, nec illa tantilli fecerit. Primò enim Dionyſius Ariopagita propria epiſtola ad Ioannem hoc uolumē prænunciat, & in cœleſti hierarchia ex illo producit quaſi Ioannis apoſtoli. Deinde proditum eſt à Hieronymo, Melitonem Haudenſem epiſcopum, & Iuſtinum martyrem ſuper eo libro tanquam Ioannis apoſtoli commentaria ædidiſſe. Adde & Iræneum Lugdunenſem epiſcopum: hos quatuor uetuſtiſsimos autores quis prudens auſit contemnere? his aggrego poſteriores tā Grecos quàm Latinos, qui de hoc libro tanquam canonico & Ioannis apoſtoli frequenter producunt ſententias, quos enumerare longiſsimum eſſet opus. Quòd autem id fecerint ornandæ rei gratia, Eraſmicum eſt commentum. Eſt uerò ſententia pontificum in decretis & ſynodis

Error Dorothei epiſco.

Dionyſius Ariopag.

Hie. in lib. de uir. ill.

synodis plurimis pro hoc uolumine. In Toletão enim re ceptißimo cõcilio ita legitur, *Apocalypsin librũ multo rũ cõciliorũ autoritates & synodica sanctorũ præsulũ* Romana decreta, Ioãnis *apostoli esse præscribũt, & in ter diuinos libros recipiendã esse cõstituerunt.* Hæc ibi. Quid aũt putas huic tãto testimõio respõdisse uirũ illũ? Nõ aliud enim potuit, nisi quòd non credebat ea uerba esse cõcilij, sed Isidori, tãquã falsarius esset Isidorus, qui supposuerit propria tãquã essent à cõcilio. O proteruiã incõparabilẽ. Ad hæc apud Augustinũ Philastriũ Brixiẽ sem episcopum qui temporibus Augustini floruit notã= tur in hæreticorũ catalogo qui negarunt euangeliũ & Apocalypsin Ioãnis, & iste infelix respondit, quòd non propter hoc quòd negarẽt Apocalypsin suggillati sunt hæresis, sed solùm quia negarũt euãgeliũ. Atqui Aug. utrũq; simul adducit in causam. Ad hæc, ipsemet illius li bri autor testatur se esse Ioannẽ illũ qui relegatus fuit in insulã Pathmos, quod nõ nisi de Ioãne apostolo ex hi storijs cõstat: quo euincitur, quòd si nõ sit ipsius aposto li, nebulonis alicuius fuit, & tamẽ uel ipsemet Erasmus à ueritate coactus fassus est, non posse sibi persuaderi Deũ passurũ fuisse, ut Diaboli techna tot seculis impu nè deluderet populum Christianum. Et re uera sic est. Quare tam diuturnus consensus, tam continua & con stans totius Ecclesiæ uox, tot concilia superius citata plus satis esse ualent ad persuasionem non perfido ac pertinaci. At sunt qui offendũtur figuris & inuolucris huius libri, quasi uerò non hoc propriè sit propheticũ, & quasi non paßim similia in ueteribus scripturis, uel apud

Nota pro li. Apoc.

Nota.

apud Ezechielem, legantur. Sed uæ ijs qui uolunt cœlum metiri palmo.

Illud quoq; tanquam intolerabile annotandum censui, quòd quasi rem poßibilem admisit Lucam in genealogia Christi unam generationem superfluam adiecisse: excusat autē illum, quód secutus sit.70. qui erant
Luc.3. *magnæ autoritatis. Bene habet. Ergo autores sacræ scripturæ sequuntur interpretes? Et qui condunt mare unde effluunt riuuli, accipiunt à riuulis ut creent mare? Addit. Et ita prouidit spiritus sanctus, ne sanctis doctoribus imputaretur quòd exposuerūt textum sacræ scripturæ iuxta interpretationem communiter receptam: quandoquidem licuit Euangelistæ idem fecisse absque proprio errore. Hæc ille ad Lucæ excusationē, sed oportebat etiam excusare spiritumsanctum, quòd permiserit suum amanuensem, hominum autoritate duci, aut etiam ductum errare, & ita egregia prouidentia errorem relinquere in euangelio. Ad hæc nunquid Lucas expers erat Hebræi sermonis, ut necesse haberet sequi. 70. Quod & si fuißet, Apostoli saltem qui hoc euangeliū uiderunt & probauerunt, nunquid & ipsi erant ignari linguæ, ut hunc errorem non uiderent? Quod si hoc Euangelium nō probarunt Apostoli, ergo iuxta Caietani doctrinam, non habet autoritatem scripturæ. Cum dolore hæc loquor. nō sunt enim hæc digna inter catholicos, ut disputentur.*

Act.ap.12. *Illud quoque à me annotatum est, quòd in act. apost. ubi agitur de Herode Caietanus sic scribit, Vnde Lucas Herodis nomen ei attribuerit non inuenio autenti-*

cè.

cē: Nam Iosephus hunc appellat Aggrippam maiorē. Hæc ille. Et ut scrupulus inijceretur infirmis, citat Iosephum tanquam dissentientē. Et nota, quæso, dicendi modum. Vnde Lucas attribuerit ei Herodis nomen: quasi uerò hoc nomen à Luca sit ei attributum, quod non haberet. Denique quid oportebat quærere unde Lucas hoc nomē acceperit, quasi indigeat testimonio ullo scripturæ apud fideles, aut quasi opus fuisset Lucæ ulla scriptura, ad sciendum illius nomen, quem facilè de facie norat, & sciebat sic eum uocari ab omnibus. Quid autem magis autenticum sensu proprio? nec quicquā est, quòd etiam uocaretur Agrippa: illud enim nomen Herodes hæreditarium erat ac regium, persona uerò illa uocata est Agrippa in gratiam illius Agrippæ qui Cæsari charus erat. Hæc eruditis notißima sunt.

ANnotaui etiam quòd immeritò reprehendit & ipsum Lucam de ratione grammaticæ in canti. Zachariæ, quòd dixerit iusiurandum quod iurauit &c. cùm, ut ipse ait, debuerit dicere iusiurandi, parum attēdens quòd id legeretur appositiuè, ad id quod dixerat: Ad faciendam misericordiam &c. Luc. 1.

ILlud etiam quod propria autoritate apud Matthæū emendat, id est corrumpit, quis nō admiretur? Quòd enim dominus dicit duces cæci, excolātes culicem, camelum glutientes, ita commutat, ut pro camelo musconem aut muscam, aut uespā, aut asilum recipiamus. Nō enim aliter, inquit, quadrat metaphora: non enim solet deglutiri camelus. At, quæso, nunquid solet esse trabes in oculo? Et tamen dominus ait, Trabem in oculo tuo non Matth. 24.

D uides.

uides, nisi fortè pro trabe reddat nobis ille baculũ uel bacillum qui posset esse in oculo, ut quadret sibi metaphora. Sed quis non uideat quòd rei incongruæ id planè quadrat, quod est incongruum? Itaq; ob hoc ipsum congruebat parabola hæc domini in Pharisæos, quòd talia essent eorum crimina, quæ degluticbant, quale animal illud camelus, idest, immanitate ingentia, iniquitate tortuosa, ac per hoc suapte natura inglutibilia, cùm tamen quæ erant minima quàm diligentißimè obseruarent, & sic eleganter in eos uerificata est parabola domini, quãdo ipsum dominum iniquè ac sacrilegè pretio emunt à proditore, uastisq; clamoribus tollunt in crucem, pretiũ
Matth. 27. *autem ipsum nolunt mittere in corbonam, nec audent*
Ioann. 18. *intrare in prætorium ne contaminentur uiri homicidæ. Non fas ergo fuit mutari scripturam pro phantasia, nullo præsertim codice aliter habente, nullo autore aliter cogitante, cùm omnes probauerint metaphoram siue parabolam. Nam & apud eruditos multæ tales sunt: ut illa, Asinus ad lyram. Eat nunc aliquis, & improbet dictum hac ratione, quòd non soleant asini pulsare Lyrã. Hoc loco fateor elusi dictum, non solùm quia merebatur, sed ne quilibet audaculus exemplum caperet, sua fantasia mutare scripturã. Indignatus enim etiam sum, quòd ipse alibi hunc locum citat, non ut habet litera, sed ut ipse correxit, id est, ipse uiolauit. Vide apud Matthæum 27. si non credis.*

Annotaui quoque quòd ob talem fantasiam aliud simile domini dictum, Facilius est intrare camelũ per foramen acus, ineptißimo uiolauit commento; putan

tans quòd esset porta quædam angusta in Ierusalem, ut dixere nescio qui. Quam rem Hieronymus explodit, ut ineptam & nullo idoneo autore probatam. Quidam alij etiam meritò derident. Illud admirabilius, quòd nec Nota hæc ô
per camelum intelligeret animal, motus est, quia non di addicte.
xit dominus, possibilius, sed facilius. Facilitas enim medium executionis significat, & præsupponit posse fieri, ac per hoc nõ nisi usurpatiuè dicitur de impossibili. Hæc ille. Quæ certè aut non intelligo, aut uana sunt. Nam si dixisset, possibilius, etiam præsupponeret posse fieri, nec propriè dicitur de impossibili. Et uide robur argumenti, quia impossibile est intrare camelum per foramẽ acus, si sit instrumentum sutorium, ideo ineptam censet similitudinem istam: quasi uerò sit possibile in foramen acus intrare funem: & tamen si dixisset, facilius est intrare funem, Caietanus ipse fatetur non fuisse ineptum. Cur igitur non potius per camelum funem nauticum intellexit, ut quidam exponunt? Nam per foramen acus portã ullam Ierusalem significari, eruditi omnes ut apocryphũ & fabulosum explodunt. Nec uerò per eã similitudinem aliud uoluit dominus, quàm rem & difficilem omnino, & quantum ad nos etiam impossibilem significare, ut illico declarauit discipulis admirantibus ac dicẽtibus, Quis ergo poterit saluus esse? Ipse enim respondit, apud homines impossibile hoc esse, non apud Deũ. Mitto hic differentiam quam ibi facit inter ingredi & trãsire, quæ si quis capit & probat, etiam fruatur ea absq; inuidia. Sed hæc mihi obiter exciderunt.

Cap.20. PErsequens ergo quæ sua autoritate in scripturis emẽdat, notaui locum apud Matth. ubi quod legitur, Sic erunt nouißimi primi, & primi nouißimi, multi enim sunt uocati, pauci uerò electi, Ipse sic mutat, Sic erunt nouißimi primi, & primi nouißimi. Sic multi sunt uocati, pauci uerò electi. Nam illa dictio, enim, nihil facit ad rationem, ut ait. Quod non est aliud, quàm uel mutare literam, uel reprehendere euangelistam, quasi non poßit intelligi locus ille stante litera, ut habetur in omnibus codicibus.

Marci 15. ADieci & locum Marci ubi legitur, Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Nam ipse putat mendosam literam, & legi debere, hora sexta, nec aduertit quod paulopost sequitur. Et facta hora sexta &c. Quantò ergo prudentius erat acquiescere sanæ aliorum distinctioni, qui dixerunt pro concordia euangelistarum quòd hora tertia crucifixus fuit sententia & acclamatione Iudæorum sicut Marcus dicit: hora uerò sexta, facto ipso, sicut alij euangelistæ testantur. Nam & accusator & iudex & carnifex rectè dicuntur occidisse reum: ille accusando & probando crimen, iudex damnando, carnifex sententiam exequendo. Poterat & hic locus aliter exponi, ut quod dicitur, erat hora tertia referatur ad superiora, uidelicet quando traditus est ut crucifigeretur. Et quod sequitur. Et crucifixerunt eum, intelligendum est, postmodo hora sexta.

Act.13. IN actibus quoque apostolorum, ubi legitur, quasi post quadringentos & quinquaginta annos, falsò arbitratur Græcos codices à Latinis discordare, & corruptè

ruptè haberi: quod inde uenit, quia scripturam illam nō intellexit: quod facilè eruditus lector animaduertet.

ANnotaui & alia loca quæ putat etiam mendosè legi in scripturis, nō magnis causis adductus, quæ hic breuitatis gratia libuit pertransire, ne uidear nimis importunus exactor. Illud nonnullius est momenti, quòd id quod legitur Deut. 21. *Maledictus à* Deo *omnis qui pependit in ligno, mauult legi à iudicibus, quanquàm* Paulus *aliter id est iuxta primam lectionem exponat.* Ad Gal. c. 3. *Et ecōuerso, quod legitur, minuisti eum paulominus ab angelis, ipse mauult legere à* Deo: *quanquàm in epistola ad* Hebræos *legamus ab angelis.*

PVncta quæ communiter sunt in omnibus codicibus signata in constructionibus sacræ literæ quòd nonnunquam mutauerit, præsertim ubi sensus uerus amittitur, & alienus introducitur, nō ut rem leuem annotaui. Illud enim, plenum gratiæ & ueritatis, quod cō uenientißimè conuenit uerbo Dei, *ipse mutato puncto uoluit aptare* Ioanni, *propter suam nescio quam grammaticæ quadraturam: quam tamen, nec ratio, nec litera, nec sancti expositores, nec usus ecclesiæ, nec* Ioannes *probat, nec ipse* Christus. *Ratio quidem non probat, quia plenum esse gratiæ & ueritatis, proprium* Christi *est, ut uix alij mortalium conuenire poßit, nisi ualde remotè: litera uerò non probat, quia uim patitur, cùm in ea adeo insolenter mutantur pūcta. Omnes enim & Græci & Latini codices ibi punctum habent, ubi incipit,* Ioannes *testimonium perhibet de his, adde quòd* Io. 1.

D 5 *duriusculè*

duriusculè sic legeremus, Plenus gratia & ueritate Ioannes;ut sic proprium nomen postponatur:non enim sic consueuit loqui Lucas,ut alibi dixit, Stephanus plenus gratia & fort.& non conuerso ordine: sic autem rectè construitur, uerbum caro factum est,plenum gratiæ & ueritatis,ut quæ interponuntur,per figuram parenthesin rectè maneant,& sine iniuria grammaticæ, cuius quadraturam non uitiat figura parenthesis, quæ est apud autores frequentissima. Sancti etiam interpretes & expositores nõ probãt,quia omnes ita semper legerũt,solus Erasmus,qui nihil nõ mutare cõtẽdit, subtẽtauit hoc.Ecclesia item non probat,quia assiduo usu suo in diuinis aliter concinit. Ioannes quoque non probat,
Ioan.1. quia clamat,Gratia & ueritas per Iesum Christum. Ille igitur sit plenus gratia & ueritate,de cuius plenitudine omnes accepimus.Nã & ibi euãgelista nõ ad extollendum Ioannem,sed Christum ipsum, exorsus est euãgelium:& de Ioanne quidem ait,Non erat ille lux : de Christo autem,Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Denique Christus
Isa.42.et 48. nõ probat,quia ait,Gloriam meam nemini dabo. Vbi est igitur ista grammaticæ quadratura, quam nec ratio probat, nec fert litera,nec norunt expositores, nec audit ecclesia, denique nec Ioãni placet,& Christo derogat.

¶ Alibi apud eundem legitur, Quia dilexisti me, admonet punctum debere esse inter ly, dilexisti, & ly,
Ioann.12. Nota. me. Quod commemorasse satis est, ut iudicet eruditus,an hæc digna fuerint annotatione,præsertim cùm

quidam

quidam hæc afferant quasi mysteria.

AD hæc annotaui loca plura, ubi sine ratione à uulgata æditione recedit. Primo enim ubi legimus, In principio erat uerbum, subnotat interpretem, dicēs, propinquiori uocabulo usus esset interpres si transtulisset, ratio. Nō satis erat quòd Erasmus reddit, sermo: & factum contentiosè defendit: quanquàm Augustinus & Thomas, & communis theologorum schola laudarint potius, uerbū, quòd & usus ecclesiæ cōfirmauit: de quo tamen alibi dissero in Erasmum.

DIsplicuit & illud uehementer, quòd id quod sequitur. Et uerbum erat apud Deum, sic mutat, Et uerbum erat ad Deum, altiorem hic nobis quandam interpretationem commēdans, Quia esse uerbi, inquit, est esse ad Deum, id est refertur ad Deum, quod de nulla substantia dici potest: hæc ille, sed prorsus falsò. Nec enim esse diuinæ substantiæ dicitur esse ad, nec esse uerbi dicitur ad Deum, sed ad dicentem, secundum propriā relationis dictionem. Nam & filius patris filius, non hominis aut Socratis dicitur: haud aliter, si relatiuum quæratur in diuinis, nō Dei filius, sed patris filius dicitur Christus: & ita uerbum non Dei uerbum, sed dicentis uerbum congruè dicitur. Quo in loco miror hominem, qui ex Aristotelis categorijs id non aduertit. Nota.

ANnotaui & circa illa quæ carpit in usu ecclesiæ, primum illud: miratur enim cur ecclesia in cantico diuæ uirginis, mutarit recordatus misericordiæ suæ, pro eo quod interpres posuit, memorari misericordiæ suæ. Quo in loco non perspexit ecclesiam nihil mutasse Luc. 1.

de sensu. Non enim est ille sensus loci huius, quem putat Caietanus, uidelicet, quòd deus succurrit populo Israël, ut ipse recordaretur misericordiæ exhibendæ Abraæ & semini eius, sed sensus uerus est, quòd dominus suscepit puerū suū, id est, populū suum Israël, aut potius Iesum in eo populo typicè significatum, ut recordaretur ipse nimirum dominus, misericordiæ suæ, siue gratiæ suæ quā promisit patribus. Nam sic etiam Zacharias in suo cantico dixit, Et memorari testamenti sui sancti, quem locū ipsemet Caietanus hoc modo, ut exposui, interpretatur, ut & hîc agnoscas, sicut in alijs multis, doctrinæ inconstantiam. Hunc ergo sensum latinius exprimit ecclesiā in eo cantico dum dixit, recordatus misericordiæ suæ: uitat enim tropum Græcanicum Latinis auribus iniucūdum, & germanum sensum elegantius enunciat.

AD hæc quod egregius psaltes dixit, In omnem terram exiuit sonus eorum, intelligit ad literam de cœlis corporeis, quia Hebraicè habetur filum seu linea eorum, ut propterea propemodum negligat Pauli sensum, qui de apostolis locum illum exponit: qui etiam dixit, sonus, non filum aut linea. Nec erat Paulus Hebraicæ linguæ ignarus, nec usus est dolo, sonum ibi pro filo seu linea ponens: sed planè uidit quòd filum seu linea illa, non aliud erat quàm apostolicus ille prædicationis sonus, qui sicut linea à centro in circunferentiam, ab ipsa Ierusalem tanquam orbis meditullio in omnes mundi plagas & fines extendebatur. Itaque uanum est & superstitiosum, ubi sensus iam patet, de uocibus contendere. Porrò quid illustre habet, quid prophetico spiritu

Ad Rom. 10.

dignum

dignum, docere nos cœlorum effectus & eos qui uel asinis pateant? De Christo enim loquuntur psalmi, & de Christi mysterijs, ut ipsemet docet & testatur. Quare rectè Caßiodorus hunc locum ad apostolos & prophetas pertinere censuit, qui de aduentu Christi differendo orbem terrarum sanctis admonitionibus impleuerunt, in quibus Deus tanquam in cœlis habitauit: sed quod maius testimonium afferri potest, quàm ipsum tãti apostoli? qui certè contra Iudæos ex hac scriptura probauit euangelium iam per totam terram fuisse publicatum.

DIsputaui etiam latius contra eundem de ecclesiæ iudicio in canonizatione sanctorum, persuadens pijs auribus inuictißimis (ni fallor) argumentis, ecclesiã in huiusce rei sententia errare nõ posse, sed proprio hæc disceptatio tractatui seruata est. Quare ad ea quæ ibi scripsi pro sanctorum gloria lectorem remitto.

ANnotaui & illud quod minimè placuit, uidelicet quòd ille dixit melius esse ad ecclesiæ ædificatio nem orationes publicas quæ audiente populo dicũtur, dici lingua communi. Quo in loco miratus sum quòd non sit deterritus à fructu huiuscemodi traditiõis, quæ primùm à Luthero, imo à diabolo in Luthero loquẽte inuenta est, qui hac uafritie plebeios ac rudes homines iam theologos fecit, atque adeò profecit, ut qui in sua ignorantia facilè in ecclesiæ fide substinebantur, nunc in sua ista sapientia miserabiliter à Christi gremio exciderint. Quod ergo consilium hoc à spiritu ueritatis nõ ueniat, illud satis argumenti erat, quòd ab ijs profectũ est, qui spiritu erroris aguntur. Quod uerò desiderat 1. Cor. 14.

Apostolus intelligi ea quæ in ecclesijs proferuntur, non cogit ut credamus quòd debeant ab omnibus intelligi: non enim quicquam detrimenti est quòd singuli nequeant respondere, Amen, super benedictiõe. Prouidet enim sapienter ecclesia, ut ministri uice totius populi respondeant: imò hoc est quod ibi apostolus ait quùm subdit, Qui supplet locum idiotæ, siue indocti, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem? Ecce quòd erant qui supplebant locum uulgi, & respondebant, quos intelligere oportebat quæ dicebantur. Illud ergo potius uituperandũ erat, quòd non solùm qui supplent locum idiotæ plerunq; non intelligunt quid oretur: uerumetiam sæpenumero nec ipsi præsbyteri aut diaconi, qui orant aut legũt. At hic abusus est, & cõtra id quod etiam canones ecclesiastici præcipiunt, qui certè deberet emendari.

Nota ubi cõfutantur hæretici, quia olim in ecclesijs non legebantur scripturæ lingua cuilibet materna.

In suo tractatu de indulgentijs.

Quod etiam putauit ecclesiam in his quæ ad dei cultum pertinent & orationem, uti opinatis: ut cùm illud canit in præfatiõe mysterij. cæli cælorumq; uirtutes, hinc eliciẽs, quòd ecclesia putet cælos esse animatos, ut sic ualeant laudare Deum: inefficaciter adductus est. Nam & absurdum est ecclesiam in huiusmodi tam solennibus mysterijs uti opinatis ac minus probabilibus. Constat enim minus esse probabile, cælos animatos esse. Nãhoc reijcit Basilius & Ioh. Damasc. & Thomas noster, & deniq; cõmunis schola doctorum. Nec uerò quæ ecclesia opinaretur, sapiẽter assertiuè pronũciaret. Assertionis enim uerba hæc sunt, Per quem maiestatem tuam laudant Angeli &c.

Quare

Quare & ipse Reuerendißimus olim in eos qui talia dicebant, uidelicet ecclesiam orantem aut uenerantem uti dubijs aut opinatis, ita hanc aliam regulam obiecit. Ait enim, Verba exterius absolutè prolata sunt signa interioris mentis absolutè credētis & uenerantis. Hac ergo suamet regula, sua quoq; hæc opinio confutatur: & uerè miratus sum argumenti inefficaciam, & quòd non meminerit etiam psalmistam introducere cælos cælorum & uirtutes, ut & ipsæ cum angelis laudēt Deū; quod & aßiduè canimus, Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes uirtutes eius. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ super cælos sunt &c. Quid igitur? utitur etiam Spiritus sanctus opinatis? aut nouū est in scripturis etiam insensibilia corpora laudare no[men] domini, & ad laudandum prouocare? quod tamē paßim in scripturis offendas? Sed & spiritualis est intelligētia, ut per cælos, & cælos cælorum, sublimiores creaturæ intelligantur, sicut quod dicitur, Cæli enarrāt gloriā Dei. Et Moses, Audite cæli quæ loquor, audiat terra uerba oris mei. Adde quòd ecclesia, sicut & in psalmis legitur, iungit eodem sermone Angelos cum ipsis cælis laudantes Deum, & beatos Seraphin etiam concelebrantes. Sicut ergo de Seraphin & Angelis non sub dubio sed assertiuè pronunciat, ita dicendum est & de cælis, celorumq; uirtutibus, alioquin ineptū est sub eodem sermone & contextu, dicta quædam ut asserta, quædam uerò ut opinata suscipere. Ad hæc non dubito Christianum bene considerantem non posse hoc sustinere. Nam si animati dicuntur, non propter aliud hoc

Car. in com. 22.q.1.art.3.

Nota.

dici

dici potest, nisi propter motum: at aliquando cessabit motus: tunc igitur ociosæ manebunt animæ illæ creatæ ad opus, quod ultra exequi non ualeant. Ratio hæc irrefragabilis est, nisi fallor. Adde, quod ait Beatus Thomas, superfluum esse propter motum tãtum ponere cælos animatos, cũ dignius sit ponere motorem extra substantiam esse, ipsius mobilis.

Matth. 18. ILlud etiã multò magis displicuit, quòd et alibi ecclesiam uellicat, quòd in ferendis excõmunicationũ sententijs recesserit à traditiõe Christi. Ait enim, libenter uiderem seruari hanc diffinitam à Iesu Christo pœnã, nõ audientiũ ecclesiã, quod scilicet sufficeret ut ipsi quidem ex ui excommunicatiõis haberentur ut ethnici & publicani, & non inuoluerentur innocentes alij loquẽtes cum eis, quia nullum peccatum incurrunt loquentes & comedentes cum ethnicis. Hæc ille. Hoc ergo in loco ostendi non aliud seruare ecclesiam quàm quod Christus docuit, nec enim aliud est haberi sicut ethnicũ & publicanum, quàm commercium, contubernium, ac familiarem sermonem, illi negari. Id enim seruabant Iudæi in ethnicos & publicanos: ideò Christum incusabant quòd manducaret cum publicanis: & Samaritana admiratur quòd à se dominus aquã petat. Non enim (ut ait Euangelista) coutebantur Iudæi & Samaritani, cum pro ethnicis haberentur, quia non audiebant synagogam. Non ergo alia est Christi, alia ecclesiæ sentẽ-

1. Cor. 5. tia: nam & Paulus clarè prohibet, cibum sumere cum huiusmodi. Quo etiam in loco obstupui, cùm uiderem Reuerendissimum etiam audere committere inter Paulum

lum & Christum. Ait enim mitiorem esse domini quàm Pauli sententiam, ut ita etiam discrepet sententia Pau- li à sententia Christi, & aliud sit Christi, aliud Pauli euangelium: aut nesciuit fortè Christi sententiam Pau- lus, ut aliam inferret? aut si sciuit, tamen ab ea desciuit, ut præferret suam? Falsò igitur exprobrat Corinthijs. An experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Chri stus? Sed quid dicet etiam de alia euangelica tuba filio tonitrui, qui & salutationem uetat cum excommunica to? Nec dixeritis ei aue, inquit. Nunquid & ipse discre pauit à Christi sententia? Forte negabit eam esse Ioan nis Apostoli epistolam, sed nunquid hoc est pietatis & sapientiæ, anteuertere matris iudicium, negare scriptu ras, dißidium inter Paulum & Christum ponere, aut inter euangelium Pauli & Christi, ubi est summa con- cordia? Nota.

Etiã in epistola ad Thessa. cap. 3. ubi legitur, quod si quis non obedierit uerbo nostro per epistolã, hunc notate, & non commisceamini cum illo &c. plu ra notaui. Primum quòd ait illam excommunicationem latam fuisse propter ocium, & uenialia peccata, cõtra manifestam seriem textus Apostolici, Ibi enim præmit- titur. Audiuimus quosdam inter uos ambulantes in- quietè, nihil operantes sed curiosè agentes &c. Inquie tè ergo ambulare, quod est turbare cæterorum pacem: & nihil operari, quod est de alieno uiuere: & curiosè agere, quod est alienis intendere, & proprium profe- ctum negligere, uenialia sunt & parua peccata? Sed non ita putat Beatus Tho. & tamen nondum propter 2. ad Thess. 3.

hæc

hæc excommunicat Apostolus, sed primò denunciat & obsecrat in domino ut desistant, alios quoq; admonet ne interim cessent benefacere illis. Tum ait, Si quis autē non obedierit &c. Ecce in excommunicatiōis maxima causa, scilicet proteruia & inobedientia. Ita enim ele-
Thom. ganter & doctè declarat hunc locū ibi Thomas aiens. Primo ponitur culpa, deinde manifestatio, tertiò punitio. Culpa est inobedientia: & ideo dicit. quòd si non obedierit, quia quasi peccatum ariolandi est non obedire, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Manifestatio & conuictio ponitur, cùm dicitur, hūc per epistolam notate. Pœna, est excōmunicatio: unde dicitur,
1. Cor. 5. & non commisceamini cum illo sicut alibi. Cum huiusmodi nec cibum sumere. Et Ioan. nolite eum recipere in
2. Io. 1. domum, nec aue ei dixeritis. Secundum erratum, quòd putat eam excommunicationem de qua hìc, non fuisse ecclesiasticam, sed claustralem, quibus utuntur religiosi segregantes quosdam à templo, uel à mensa & congregatione fratrum &c. Nō enim ita censet B. Thomas,
Nota. & expositores alij. Tertia offensio etiam est in eo modo loquendi, cùm ait. Intelligoq; non ecclesiasticas censuras quibus hodie ecclesia utitur, quas etiam Decretalium uocat: quasi nunc primùm sint inuentæ tales censuræ, & à Decretalibus emanatæ, & nō à scripturis sanctis, quod est falsò calumniari ecclesiam Dei, tanquam hoc oneris non ex doctrina Christi & Apostolorū introduxerit, sicut improbissimi hæretici etiam de sacramentis quibusdam & confessione falsissimè & iniquissimè prædicant: de qua re alibi pertractamus.

Annot.

ANNOTATIONVM F. AMB. Cath. Politi in comment. CAIETANI LIBER II.

De erratis in sacrarum scripturarum interpretatione.

IN QVOT ET QVANTIS circa sacrarum scripturarum interpretationem lapsus fuerit iste uir, hoc sequenti libro perspicuè demonstrabo. Verùm antequam id agam, duo primùm in quibus fallitur, & quæ multorum principia sunt errorum, manifestabo. Primum est, quòd ab historia nonnunquam literalem sensum ab omnibus communiter receptum, abijcit. Secundum est, quòd econuerso sensus mysticos minus probat quàm deceat. Et circa sensum quidē literalem, unū Gen. 2.
proponam exemplum de multis. Soporem illum quem scriptura testatur immisisse Deum in Adam, nō fuisse uerum soporem, nec Heuam fuisse conditam de costa Adæ. Sed illa omnia metaphoricè aut parabolicè fuisse dicta, quæ certè hæresis nescio an unquam apud Catholicos

tholicos sit audita. Quod enim fundamenta fidei nostræ euertat, equidem non dubito. Illud enim sacramentum magnũ est, ut ait Paulus, in Christo & ecclesia: ut sicut Heua ex oßibus & carne Adæ ædificata est, ita ecclesia ex oßibus & carne Christi. Quod si primum destruis, quod fuit in litera, etiam illud, quod sub illa cõtinetur, euertis. Adhæc, multis locis hæc nouitas à scripturis destruitur. Legis enim, Creauit Deus de terra hominem, & creauit ex ipso adiutorium simile sibi. Ex ipso inquit, nempe ex Adam. Et Paulus. Non enim uir ex muliere, sed mulier ex uiro, quo in loco ipsemet sic exponit, utpote facta ex costa uiri: similiter & super illa quæ ad Ephe. c. 5. Quod ait Paulus, Quia membra sumus corporis eius de carne eius, & de oßibus eius, sic exponit, Allusit Paulus ad formationẽ Heuæ ex carne & osse Adam. Piget autem nunc referre quæ & quàm uana circa hoc est commentus. Tracto autem latè in cõmentarijs nostris super Genesim. Circa sensum uerò allegoricum etiam frequentius ab eo erratum esse comperi, nec minus etiam periculosè. Quoniã uerò id latius in subiectis patebit, nunc sit satis admonuisse. Addo tamen & regulam quam ipse in Commẽ. ad Psalmos tradit, quoniam falsa est, & ad spiritus extinctionem ex doctrina Iudæorum accepta. Ait enim, Omnis Psalmus qui non potest exponi ad literã de Dauid, exponendus est de Christo, & ex hoc habetur altera regula, quòd qui potest exponi de Dauid, non est exponendus de Christo, uera est autem omnino prima regula, sed falsa secunda, & contra omnes quos legi Catholicos doctores,

[Margin notes: Ad Eph. 5. — Ecclesiastici 17. — 1. Cor. 2. — Inconstantia doctrinæ. — Caiet. super Psalm. 15.]

res, qui istam regulam non agnouerunt. Nec ex prima regula elicitur secunda, ut ipse putauit, falsus à fallacia quam logici uocant consequentis, hæc autem præmissa sunt lectori, ut cognoscat iudicium meum de commentarijs eius quæ ædidit super psalmos, in quibus uix usquã uideo Christum, nisi quum ita cogitur, autoritate scripturæ, ut non ualeat absque perfidia manifesta tergiuersari. Quot autem errores & quantos ob istam regulam datam ipse incurrerit, non fuit ocium colligere: in commentarijs enim illis super psalmos, est hic fere perpetuus error. Nonnullos tamen & graues, in his quas in hoc secundo libro complexus sum annotationibus, indicaui.

Quamquàm uerò plurima & paßim occurrerint in eis commentarijs circa scripturam quæ non probauerim, ne tamen in immensum uolumen cresceret, excerpsi tanquam in cœna dubia, quæ primò mihi oblata sunt, & ordine quodam iuxta euangelij filum attexui.

¶ Quòd Matthæus scripserit euãgelium Græcè, hoc ar- In suo prooegumento, quo suus (ut ait) intellectus cõuincitur, demõ- mio super strat, quia legitur ibi. Et uocabitur nomen eius Emma- Matth. 1. nuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. non enim alibi. Hebraicè scribens dixisset Matthæus, quod interpretatur &c. quia idem per idem nugatoriè exposuisset, id est, Emmanuel, quod interpretatur Emmanuel. Mirum autem quòd tantus intellectus à tam imbelli argumento conuictus fuerit, non uidens quòd qui Matthæum interpretatus Græca phrasi reddidit euangelium, eius

uocis interpretationem ipse adiecit, quod frequenter
Gen.c.31. ex alijs scripturis apparet. Sic in libro Gen. nomen Galaad
Gen.c.35. exponitur ab interprete. Et nomen Bennoni, & Beniamin.
Exo.12. Et Exodi exponitur phase, id est, transitus. Et hoc prudenter, quia erant uoces mysterij, quod & alibi frequenter factum comperies. Itaque hoc argumento quo cõuincitur intellectus Caietani, si quid ualet, nec Geneseos, nec Exodi liber fuissent scripti Hebraicè à Moyse, quod si est plusquam insanum uel cogitare, dicendum est quod interpretum sunt huiusmodi adiectiones:
Io.1. Nam & Ioannes uerba Christi referens dicentis, Tu uocaberis Cephas, ex seipso propter mysterium exposuit, quod interpretatur Petrus: non enim fuit illa expositio
Io.9. Christi. Similiter cùm refert iussum domini, Vade ad natatoria Siloe, ipse interposuit, quod interpretatur missus.
Caiet. super illa epistola in princ. Quòd autem Hebraicè scripserit & similiter Paulus illam ad Hebræos (quam simili argumento Græcè fuisse scriptam contendit Caietanus) tot certè ac tanta sunt ueterum testimonia, & citra controuersiam ullam ut nõ solùm proterui, sed insani esse censeã id inficiari. Neque uerò dicat mihi quispiam hypocrita & fucatus colore pacis, has esse quæstiones inutiles, & nihil re-
Nota. ferre utrum Hebraicè an Græcè scripserint. Nam habere hoc persuasum quòd ambo Hebraicè scripserint, ut Hieronymus docet, & facilè eruditis patere potest. Plurimũ refert refert, inquã, ad existimãdum Paulum illius epistolæ autorem fuisse, eò quòd nullus miratur si ibi eloquio & stilo uideatur esse seipso alibi præstãtior, refert ad agnoscendam prouidentiam Dei, qui sapienter

ter & benignè uoluit Hebræos non destitui hoc beneficio, quin & ipsis, in sua ipsorum lingua Euãgelium & Apostolica traderetur doctrina. Refert, ne putentur falsi tot sancti & Ecclesiastici tractatores, & uniuersa ecclesia, qui nobis utrunq; testantur, uidelicet & Matthæum Euangelium scripsisse, & Hebraicè ad Hebræos scripsisse. Quòd si in uno deceptos fuisse illos admittitur, quid prohibet & in altero esse suspectos? præsertim quod hæc quodammodo ita iungantur, ut qui de uno testatur, etiam de altero testari ualeat, &, si nõ sit eis credendum in uno, neq; in alio. Refert, ne hoc iam expugnato superueniant Erasmicæ coniecturæ, puta de stilo huius Euangelij, quod uideatur conuenire cum stilo Marci (ita enim Erasmus censet) ac per hoc etiam uocetur in dubium eius autor: sicut de illius Euangelij autore, quod dicitur Marci, dubitare se profitetur. Nihil enim esse putat dubitare de autoribus sacræ scripturæ, quos iam habet Ecclesia receptos pro certis, ac famigeratos: & ita in hac eorũ coquina, in hoc nouo spiritu, cõquisitore ecclesiasticæ pacis, & instauratore iã lapsæ Ecclesiæ, ex quatuor Euãgelistis duo nobis deperirent. Deniq; refert, quia hoc iam permisso etiam Euangelia ipsa negari possent. Quid ni? Eadem enim est uox quæ Euangelia mihi commendat, & quæ autores probat. Quòd si ratio quæritur, quis prudenti ualeat persuadere hos Apostolos cùm essent Hebræi, & ad Hebræos scriberẽt, & in sermone proprio magis potẽtes essent, Græcè tamen, id est, durius, difficilius & ineptius scribere maluisse? Scilicet, ut minus aptè exprimerẽt quod

Erasmus dubitat de Euãgelio Marci an sit Marci in Apol. in Albertum Pium.

 sentirent,

sentirent, ac minus etiam à pluribus ad quos scribebāt, intelligerent? Id enim coguntur dicere ij noui sapientes aduersus omnes. Sed nō est hæc prudentia Pauli: nō
Nota. *enim segniter nec ab re adnotatum est in scriptura san*
Act. 22. *cta, quòd Paulus ad suos Hebræa lingua locutus est. Cùm enim enarraret Lucas, Paulum in suo idiomate sic exorsum esse. Viri Fratres & Patres audite quam ad uos nunc reddo rationem, &c. statim admonuit. Cū audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium &c. Et nunc isti noui Catones blatterāt nihil referre utra lingua Hebræi scripserint ad Hebræos. Quod si nihil aut parum refert, quid igitur oportuit hæc noua ingerere & tanta contentione defendere, & turbare Ecclesiam, & præbere scandalum infirmis, & irritare zelum eorum qui urun tur propter domum domini Dei nostri?*

Ex c. 1. Matth. *IN genealogia domini iuxta Matthæum putāt expositores aliquot generationes tacuisse euangelistam, quæ inter Salmon & Booz interfuere, quoniam à Rachab ad Ruth fluxisse aiunt plus annis. 325. Caietanus autem absq; hoc rem componere nititur. Quia enim ab egressu Israël de Aegypto ad quartū annum regni Sa*
3. Reg. 6. *lomonis: testatur scriptura fluxisse annos. 480. Si ex his (inquit) demas. 70. uitæ Dauid, &. 4. regni Salomonis, &. 40. quibus Israël fuit in deserto, supererunt anni. 366. Non autem est impossibile, quòd quatuor hæ generationes Salmon Booz, Obed, & Iesse, absorpserint totum hoc tempus. Nam æqualiter diuidendo, quilibet annum unum cum dimidio supra nonagesimū uixisset.*

Hæc

Hæc ille, in summa, ubi nota quæso bone lector. Primò incipit computare harum quatuor generationum annos ab egressu Israël de Egypto, tanquã si Salmon post ipsum egressum statim natus esset, quod minimè probat, nec est uerisimile. Secundò malè etiam demuntur anni. 70. uitæ Dauid, quia simul etiam demitur de uita Iesse, qui fuit uiuens cum Dauid multos annos: ueniebat enim Iesse tempore quo Dauid prostrauit gigantem, quocirca uerisimile est fuisse saltem annorum circiter uiginti. Nam & leones & ursos expugnauerat, ut ipse de se testatur: & non meminit scriptura quando mortuus fuerit Iesse. Quare debuerunt aßignari his quatuor generationibus anni, non. 366. sed circiter. 420. Tertiò, (quod magis est etiam mirãdum) non aduertit, iuxta suam computationem, qua distribuit cuilibet. 91. annum cum dimidio, oportuisse etiam constituere hoc inopinabile quòd quilibet pater suscepisset filiũ suum in ultimo uitæ suæ spiritu, & tunc uiuere inciperet filius, ut reuera absumeretur, hoc tẽpus. Quis enim adeo crassi ingenij non perpendat, nõ idcirco absorptos esse annos centum à natiuitate patris mei, per hoc quòd ille 50. annos uixerit, & ego similiter. 50? Viximus enim simul annos uiginti. Pro hoc uerò quòd plures personæ sunt interpositæ facit Lucas qui à Zorobabel usq; ad Ioseph ponit generatiões decem & octo, ubi Mathæus ponit tantum. 10. Libuit hæc tam patentia errata de industria adnotare, ut discant, quòd eos sæpius nõ abs re admoneo, qui huius uiri doctrinam suspiciũt, caueré, ne autoritate doctoris in errores noxios incurrãt.

Nota mirabiles errores in tãto uiro.

1. Reg. 17.

Nota.

¶ Errare illum non dubito & circa Ieconiam, de quo in Genealogia, facit enim plures Ieconias, quos & uult uocatos esse Ioachim, nesciens, quod rectè annotauit Hieronymus, alterum Ioakim per Coph. & mem. Alterũ Ioachin per Caph. & num uocatos: sed nõ hic locus soluẽdi nodum. In dialogis annotaui sicut & alia fusius.

¶ Verba illa, Antequam conuenirent, sic exponit, Proculdubio ad consummationem matrimonij, Proculdubio ait: tanquam reprobans aliam opinionem, quæ aliter dicit, & ut multis uidetur etiam longè probabilius. Et similiter quod inferius dicitur, Et non cognoscebat eam, proculdubio (inquit) cognitione carnalis copulæ, cum similiter & hic sint aliæ interpretationes sanctorum communiores. Sic & proculdubio dicit Ioseph deprehendisse à tumido uentre, & post tres mẽses illam grauidam, & suspicatum esse adulterium in tanta uirgine. Hæc omnia sunt isti uiro, proculdubio: unde tanta fiducia? Num quia nõnulli doctores & magni sic existimarũt? At illi nõ dixerũt proculdubio. Sed & alij etiã qui grauissimi aliter cẽsuerũt? Ait uerò Augustinus præsumptio est, cũ pluribus modis possit intelligi quiuis locus, unum asserere & præiudiciũ facere cæteris, ac præsertim cũ nihil producitur aut pro eo quod sic asseritur proculdubio, aut cõtra illud, quod alij opinantur. Sed nos in dialogis contra ista cõmenta rem tractauimus, ad persuasionem, ni fallor.

Ex. 2. cap. Matth.

NOtat positum Iudæ pro Iudææ sequẽs Erasmum, contra quod docet Hieronymus. Certè scriptura uetus

ra uetus fauet nostræ literæ. Nō *igitur tam leuiter mutanda erat litera, quæ si maneat, nihil adfert incōmodi, & præterea tanta fulcitur autoritate.*

¶ *Cur non dixerit* Matthæus*, in diebus Cæsaris* Augusti*, sed in diebus* Herodis *regis, conatur reddere rationem: uideat & probet qui uolet: ratio autem uera ac multò probabilior erat, quia ad* Hebræos *scribens &* Hebraicè *Hebræorum morem seruare debuit in descriptione suorum annalium suos reges commemorando.* Regnum *autem commemorauit* Herodis*, ut* Iacob *prophetiam uiderent impletam de aduentu meßiæ, ut rectè alij docent, quod non debuit ab eo prætermitti.* De *stella quæ apparuit in ortu domini in hunc modū pronunciat: Incertum est, inquit* Reuerendißimus*, cui, ceu quibus, & quando fuerit facta ista reuelatio de ortu stellæ:* Nihil *nanque in sacra scriptura de hoc habetur.* Nota *lector primum uerba fiduciæ: Incertum est, inquit, quasi quod illi incertum est, absolutè incertum sit.* Sequitur *nihil in scriptura de hoc habetur, perinde ac si uniuersæ scripturæ intellectum in promptu haberet.* Deinde *addit,* Quòd *enim legitur,* Orietur *stella ex* Iacob: *uel secundùm interpretes ex* Hebræo. Incedet *stella ex* Iacob, *aßimilauit meßiam stellæ, & non significat ortum stellæ, ad indicandum natiuitatem eius, ut patet, ex eo quod dicit stellam ex* Iacob *orituram seu incessuram: hæc ille,* Falsa *igitur est ecclesia, & uniuersus doctorum cœtus, qui non uiderunt quod adeo patebat, ut ait reuerendißimus.* Hieronymus *autem hoc in loco ita scribit:* Ad *cōfusionem* Iudæorū*, ut natiuitatē Christi à*

De stella quæ apparuit magis an in scripturis ueteribus pronūcietur

sti à gentibus discerent, oritur stella in Oriente, quam futuram Balaam, cuius successores erant uaticinio nouerat. Augustinus, Chrysostomus & alij omnes idipsum prorsus testantur. Cyprianus in sermone de stella & magis planißimè declarat, Ecclesia confidenter assumit in sancto Epiphaniæ die, testificans tunc impletam Balaam prophetiam. Sed iam nihil isti morantur doctorum & ecclesiæ uocem. Audiant ergo tādem ipsummet Caietanum qui locū illius prophetiæ, Orietur stella ex Iacob exponēs, ita scribit, iuxta Hebræū habetur, Direxit stella ex Iacob: lege euangelium, & impletum cerne ad literam, quòd natus Meßias ex Iacob direxit stellam indicem natiuitatis, ducem magorum ad uidendum & adorandum ipsum &c. Hæc ille. Quo in loco etiam uides, quàm euidenter secum pugnet. Quod meritò his accidit, qui à patrum & ecclesiæ sententijs tam facilè recedunt. Quare Herodes circiter biennium distulerit innocentū necem, Nescitur, inquit Caietanus, cùm tamen ex historijs afferatur causa profectionis ad Cæsarem, apud quem accusatus fuit, cum quo postquam composuit, reuersus conceptam insignē cladē exercuit: lege Iosephū & alios chronographos, & ita inuenies.

Inconstantia doctrinæ.

¶ *Quòd Christus tribus annis tantùm fuerit in Aegypto & quartò inde reuersus, & Herodem regnasse 5. annis, non à nobilibus chronographis Caietanus accepit, cùm iuxta illos & iam communem existimationem septem annis Christus manserit in Aegypto.*

Ex 3. cap.

COlumbā descendētē in baptismo domini nō fuisse uerum animal contra Augustini & Thomæ do-

ctrinam

ctrinam, & probabiliorem sententiam, putat se conclu dere, quia dicit scriptura quòd Spiritus sanctus descen dit sicut columba, minus perpendens quod non notatur his uerbis similitudo columbæ fictæ ad uerã, sed simili tudo columbæ ueræ ad Spiritum sanctum, ut intellige- remus quòd Spiritus sanctus non uerè erat illa colum- ba, sed aßimilabatur ei propter nos, ut caperemus ex columbæ proprietatibus eximiam personæ illius purita tem atque candorem, unde ortus est Christus purißi- mus & immaculatißimus.

NOn puto propriè nec nisi absurdè dictũ: Decuit Christum, in ieiunij opere aßimilari excellẽtibus prophetis. Ipsi enim potius aßimilati sunt Christo, sicut & aßimilari illi decẽs fuit. Nam & in hoc figurã Chri sti gessere, ut sacri doctores tradunt: Ipse tamen aßimi- latus est nobis, suscipiens infirmitates nostras, non autẽ in his quæ sunt uirtutis & fortitudinis. Ex c.4

¶ Sentẽtiã domini, Nõ de solo pane uiuit homo, nõ pu- to cõuenienter ab illo exponi, & ostẽdit hoc in loco, se nec scripturã ueterem intellexisse, nec quid appellatione panis significaretur. Nec aduertit quòd hac responsiõe iuxta intellectum suũ non erat satisfactum tentationi diabolicæ, hæc uerò in prius æditis annotatiõibus latius explicui, in dialogis autem etiam uberius, hic satis du- xi innuere sapienti. Ad Philip. 2.

¶ Dominus dixit, Vade Satana: & nõ dixit, uade post me, etiam in Græcis, licet contrà notet Caietanus, licet apud Lucã in Græcis quibusdã habeatur, est tamẽ cõtra Luc.4.

Origenis & Hieronymi annotationem, qui in hoc, Petrum rectè distingunt à diabolo, quòd Petro *dictũ est,* Vade *post me* Satana: Diabolo *autem absolutè,* Vade Satana: *quod certè uerisimilius uidetur.*

¶ *Quod ait non constare Ioannem traditum à Iudæis fuisse, est contra id quod apud eundem* Matthæum *est cap. 12. ubi* Christus *expreßè ait, de scribis & Iudæis quòd fecerunt ei quæcunq; uoluerunt, quod ibidem non potuit ipsemet negare.*

Inconstantia doctrinæ.

¶ Petri *uocationem de qua* Matthæus, *non fuisse illã de qua* Lucas *cap. 5. & si asserat, nõ tamẽ probat, nec rẽ uerisimilem dicit, ut in dialogis noto.* Et *quod promittit apud* Lucam *se tractaturũ, utra prior fuerit, nõ soluit; hac enim de re prorsus uerbũ nullum.* Notat *quod euangelista non dixit, relictis omnibus, sed relictis retibus, ut significaretur, quòd non fuit abdicatio proprietatis rerum, sed promptitudo obedientiæ.* Dogma *certè potißimum, contra omnes doctores catholicos, & hæreticis fauens ad religionis destructionem: denique contra euangelium, quia apud* Lucam *dicitur, relictis omnibus secuti sunt eum.* Et *ipse* Petrus, Ecce *nos reliquimus omnia.* Quin *ipsemet fatetur quòd profitentibus* Apostolicæ *uitæ perfectionem necesse est, renunciare de facto omnibus bonis, & quòd hoc mandat dominus,* Nõ *ergo fecerunt hoc apostoli? hem.*

Nota pie lector.

Luc. 5.

Caiet. apud Luc. c. 14.

¶ *Nescio etiam quo spiritu illud addit, quod discipuli eius posteaquam secuti sunt dominum piscationi uacarunt, quum illis incumberet cura domus, cuius rei signũ affert, quòd etiam post resurrectionem domini* Petrus

uaca-

uacabat piſcationi: At uerè hoc non eſt aliud quàm diſcipulatum illum, & ſequelam ueram Ieſu, uelle deſtruere. Nam quod poſt reſurrectionem fecit Petrus, non ut artem repeteret, & uacaret illi fecit, ut Grego. eleganter notat, ſed ut tunc uſu ueniebat: non enim interdictũ eſt piſcari diſcipulo Chriſti, ſed arti illi intendere ad lucrum proprium, ſicut ante faciebat, hoc interdictum eſt. Greg. in homil.

Similiter autem & de filijs Zebædæi notat quòd non ait, relictis omnibus, ſed relictis retibus & patre, quaſi uerò non omnia conſequenter reliquiſſe intelligamus filiosfamilias, quum audimus reliquiſſe patrem. Et uide quæſo, quàm uigilarit hic uir ad obruendam hanc perſuaſionem profeſſæ paupertatis: Nam quòd etiam de Matthæo Luc. 5. tam explicitè dicitur, relictis omnibus ſecutus eſt eum, ſic exponit, imò ſic deſtruit, relictis omnibus, ſcilicet negotijs. Quàm friuolè autem moueatur ad hæc, pudet in eius gratiã dicere. Et de Petro quidẽ: quia dicit euãgelium quòd dominus iuit in domũ Petri, tanquam non poſsit dici domus Petri, quæ olim erat Petri, aut in qua olim habitauerat Petrus. De Matthæo autem arguit, quia fecit ei conuiuium magnum, tanquã non ualeat ſic res componi, ut primùm quidem animo renunciauerit omnibus, ſicut euangelium narrat. Deinde iuxta quod animo concepit, diſpoſuerit: ac interim non iam ut dominus, ſed ut diſpenſator uolẽte domino, conuiuium de ſuis olim bonis illi parauerit. Nam candidati religionis, & ſi animo iam reliquerint omnia, de rebus tamen ſuis interim ipſi diſponunt, ut & dominus Nota.

mandat:

mandat: nõ enim unico momento hæc fieri possunt. Sed
Inconstantia ut perpetuam doctrinæ inconstantiam agnoscas, hoc
doctrinæ. idem docuit aliquando ipsemet Caietanus, quærens in quodlibet. de nouitio qui abrenunciauit omnibus, quo pacto poßit se extricare de bonis malè adeptis, cum mo riatur mundo, nec debeat se rursus implicare sæcularibus solicitudinibus & negocijs: Et cũ determinet, quòd per seipsum id debeat curare, respondet quòd peracto negocio poterit se explicare ab hac re, ac deinde liberè nudus nudum sequi Christũ, Et addit, Matthæus enim non ante restitutionem pauper pauperem secutus est Christum, cum Zachæus Luc. 19. legatur restitutionem pollicitus: Nec Euãgelista de usu rerum simpliciter, sed de affectu quidem simpliciter, de usu uerò, pro tunc dixit, relictis omnibus secutus est eum. Nam postmodum conuiuium magnum fecit ei in domo sua proprijs sumptibus. Hæc ille. Nonne uides quàm elegãter (ut solet) semetipsum expugnat? Imò etiam atq; etiam uide, hoc ipsomet in loco, ubi notat quòd non reliquerunt omnia sed solum retia, paulopost hæc uerba subiungit. Nec est mirandum quòd isti & illi, id est, Iacobus & Ioannes, Petrus & Andreas statim secuti fuerint Iesum, quia interiori operatiõe Iesus mouebat motione non inuitatoria, sed efficaci, corda eorum ad relinquendum omnia
Nota admirabilem incõstantiã. ad sequendum illum. Hec ille. Quid expreßius, ut uideas quòd cum effectu reliquerunt omnia, quoniam ad hoc permoti sunt operatiõe domini non inuitatoria sed efficaci? O ueritas quantæ es potentiæ, ut sæpe ab imprudẽte prodeas atq; inuito. Quod lunaticum accipiat,

pro

pro eo qui malum caducum patitur, non est probatum ab eruditis. Firmius enim aliter docet, est enim lunaticus qui temporum interuallis, & præsertim Lunæ mutationibus furore corripitur aut quouis modo uexatur.

N*Ouem beatitudines noua & inaudita doctrina nobis dum profert, etiam octonarij numeri sacramentum (quod odit diabolus) à nobis eripit si ei credimus. Hic enim numerus triumphum Christi de Diabolo significat. Qua autem ratiõe motus sit Caietanus, hic profectò nõ proferam, aliàs confutaui, & facile est uel puero uidere inefficaciam argumenti. Adde hic tamen quòd cum quod apud Lucam dicitur, beati qui esurітis, non intelligat de esurie iustitiæ, sicut apud Matthæum, sed de esurie corporis, iam fient decem beatitudines in hac doctrina.* Ex cap. 5.

¶ *Hic etiam rursum, ut illa ueritatis actus, pugnat in ea, quæ superio. cap. annotauit. Ait enim. Prædicauit Iesus relinquenda omnia non solum affectu, sed effectu, ad sequendum ipsum si perfectio desideratur &c.* Nota inconstantiam doctrinæ.

¶ *Proponit etiã quæstionem, cur Iesus mendicos spiritu, dicat beatos, cum ipse totius perfectionis exemplar non fuerit mendicus, secundum rei ueritatem, sed potius dans eleemosynam mendicis, Ioannis decimotertio. Ibi enim, inquit, clarè habetur, quòd se & suos non connumerabat inter mendicos. Idem patet Ioannis quarto quando discipuli ierant in ciuitatem, non ut manducarent, sed ut cibos emerent, & in pluribus alijs Euangelij locis idem habetur. Et demum resoluens*

quæstionem dicit, quòd Iesus non fuit mendicus quia nunquam legitur petisse nisi à Samaritana potũ aquæ, quod constat non propriè esse mendicare, cùm hoc cuilibet maiori poßit accidere, quamuis alibi, sequendo alios, aliter scripserimus. Sed fuit in paupertate mendicorum, quia nihil omnino habuit proprium nisi uestes, ex quo cœpit prædicare &c. Iuxta illud uulpes foueas habent &c. Viuebat autem non ex mendicatis rebus, sed ex oblatis à deuotis personis, iuxta illud: Iudas loculos habebat, ea quæ mittebantur portabat. Et clarè dicitur Luc. 8. quòd mulieres ministrabant Christo de facultatibus suis: nec hoc beatificat mendicos, ut nominantur ab actu mendicandi, sed à paupertate mendicorum, quòd scilicet non habent unde uiuant de suo, unde nec apostolos instituit uiuere de mendicatis, sed de oblatis. Hæc ille. Quæ *quoniam derogant statui mendicantium. & hoc iniuria summa; contra sanctorum doctrinam & sacrosanctæ ecclesiæ, pro meritis tractanda sunt.* Negat *primò Christum fuisse mendicum, secundum rei ueritatē: ergo ipse Christus falsum dixit dicens,* Ego *autem mendicus sum: at* Caietanus *hoc ad* Dauid *non ad Christum refert.* At Hieronymus, Augustinus *& alij summi uiri & gloriosi doctores ad Christum referunt secundùm implementum sensus. Cui enim obsecro id potius congruit, ut esset mēdicus, illine* Dauid, *an Christo qui est uerus* Dauid? O *doctrinam carnis.* Nam *& similiter quod alij exponunt de Christo:* Beatus *qui intelligit super egenum & pauperem, non ad Christum, sed ad genus humanum refert* Caietanus. At

Paulus

Paulus inquit, quòd pro nobis factus est egenus, ut nos diuites essemus, imò Græcè legitur ἐπτώχευσε quod est idem quod Latinè, mendicauit, ut eruditi exponunt: uerbum est enim actiuæ significationis, unde & actum significat mendicandi, quanquam etiam significet egenum esse & inopem. Quare miror quòd cùm etiam non malè interpretatus sit interpres Latinus dicens, Egenus factus est, ipse Caietanus uoluerit inficere, loco ly egenus substituens, pauper, ut minus significaret, cùm tamen ipsemet hoc in loco eandem uocem significare mendicitatem fateatur, ut uideas ubique conatum hominis, si fortè posset efficere, quod totus infernus, & mundus, & quicquid est uirium in creatura, nõ potest, quia est uerbum Christi, quod stabit in æternum: sed redeo ad rem: dicet enim aliquis: Non negat Caietanus Christum mendicum fuisse, imò profitetur, sed illum nõ mendicasse. Verùm unde hoc nouit? An fortè malũ erat mendicare, & hanc etiam uilitatem in se assumere? tum ad satisfaciendum abundè pro superbia nostra ac petulantia, nos enim rapuimus arroganter cibum non nostrum, sed prohibitum (quod & aßiduè facimus) ipse uerò quod suum erat summißè & humiliter quasi alienum petit ex gratia: ut uerum fuerit, Quæ non rapui tunc exolueram. Tum uerò & ad hoc nobis humilitatis præbendum exemplum, ad edomãdam superbiam nostram? Sic te teneo hæretice, non loquor nunc cũ Caietano, qui subdidit sua omnia iudicio ecclesiæ, sed cũ hæretico loquor. Responde mihi, fuit ne malum Christum adigere se ad mendicitatem, id est, ut uult Caietanus

2. Cor. 8.

Nota.

nus

nus ad paupertatem mendicorum? si hoc asseras apertè blasphemas. Postquam ergo se ad hunc statum & ad hanc paupertatem mendicorum adegit, erat quæso malũ illi mēdicare, ut exerceret actum, quod assumpserat in habitu & statu? An non merita contrahuntur ex actibus magis quàm ex habitu aut statu? Quid hic potes respōdere rectũ? Sed noui spiritũ Satanæ aduersantis ueritati, noui spiritũ hominis qui nō sapit quæ dei sunt. Ani
1. ad Cor. 2. malis enim homo nō percipit ea quæ sunt spiritus Dei: uerũ aduerte hic, si fateri coactus es, quòd Christus se in hũc statũ cōiecit mendicitatis, quid, quæso, prohibet ut etiã fatearis, quod cōsequēter uenit, scilicet quòd etiã mēdicauerit, ut sic exolueret quæ nō rapuit humiliando semetipsum, & ut daret exēplum nobis ac methodum
Io. 9. ad acquirendum diuitias cœli? Quis enim mendicus, & nō mēdicat? De cæco nato illo qui dicitur fuisse mendicus, dicitur etiã quòd mēdicabat: Et de alio cæco similiter mēdico dicitur, quòd mēdicabat, de quo apud Marcũ 10. & Luc. 18. Et Lazarus mēdicus, qui iacebat ad ianuã diuitis, & cupiebat saturari de micis, opinor quòd mēdicabat. Quin quũ discipulos misit sine sacculo & sine pera, & sine pecunijs, nonne mendicare sic illos instituit? Certè D. Thomas id inde colligit, ante quem & alius quidam, si rectè memini, Theophylactus, sic ait, Vide qualiter discipulos mendicare instituit. Et tamen hoc ex eodem loco Caietanus oppositum haberi
Nota. docet, O claritatem tenebrarum. Interim quis probet statum ipsum mendici, & cum hoc actum & exercitiũ improbet, nisi imprudens? huc enim se coniecit Guliel-

mus

mus de sancto Amore *qui & hoc nomine dãnatus est ab ecclesia, sic & noui hæretici dicũt: sed si hic actus mẽdicandi re uera est actus magnus humilitatis & subiectionis, & uilitatis, nonne & hic illum maximè decebat, qui se eximaniuit, & humiliauit usque ad summum, ut amplius cogitari non posit? An hæc quæ fatemur esse difficiliora, ac multò maioris perfectionis, hominibus sanctis dabimus, Christo nõ dabimus, ut sint discipuli super magistrũ: & sint ipsi nostrũ primũ exẽplũ, siue exẽplo? Certè aut derogare mẽdicitati coguntur, quæ actu fiat, & uolũtariè, amore Dei: aut cõfiteri, quòd si quid addit meritorij supra cõmunẽ paupertatem, quòd & hanc sibi Christus assumpsit, ne quod seruis & discipulis tribuũt, id tamen domino negent atque magistro in eius iniuriã, cùm etiam uiliora & multò maiora sit passus propter nos & ad superbiam edomandam. Quòd si nihil confert hæc mẽdicitatis professio, qua actualiter cogimur mendicare, cur uel in hoc gloriamur mendicantes? cur & super alios priuilegia impetrauimus hoc maximè prætẽdentes? Cur patres nostri summi & apostolici uiri, Franciscus, Dominicus, & alij id mandauerũt, id docuerunt cum uerbo, tum exemplo, ac præscripto ut hanc abiectionem amore Christi suscipiamus? Cur id probauit ecclesia, & tam mirificè commẽdauit? Cur sic docuere summi doctores, Hieronymus, Augustinus, Bernardus, & alij, scilicet & quòd Christus mendicauit, & quòd apostolos docuit mendicare? Cur pro hac ueritate dimicantes etiam particularia condiderunt uolumina, Thomas & Bonauentura, qui uiri sancti iuxta

Nota.

Bern. in med. de puero Iesu, quando inuentus est in templo.

xta ac docti etiam hunc articulum contra illum hæreticum asseruerunt & uendicarunt à calumnia: unde & hæreticus est damnatus? Ergo licebit toties damnata defendere, & extincta suscitare, ac reuocare ab inferis? Dicet aliquis, Caietanus sic ait tandem. Ergo tot clarissimorum uirorum sententiæ, tot sanctorum exempla, tantus tamq; diuturnus ecclesiæ consensus ac persuasio, tanta põtificum approbatio & commendatio, adijciã, uelint nolint contradicentes hæretici, tanta rationis uis & scripturarum, (ni proteruire uelimus) tam urgentia testimonia, hac sola Caietani assertione infirmabuntur? Nec saltem, uel à semetipso poterit infirmari Caietanus? Cogor cum dolore & indignatione loqui Fateor, non possum mihi modum in his præscribere, si modò est excedere modum, in re tanti ponderis, cùm uideã destrui q̃uod uerbum domini commendauit, sed non destruetur. Cœlum & terra transibunt, non autem uerbũ eius. Itaque mittens alios antiquos doctores, quos in proprio tractatu adduxi, solùm produco nunc eundẽmet Caietanum aduersum seipsum sic olim differentem atque asserentem.

In cõ. super 2.2.q.187. ¶ Ex his quæ scripta sunt in euangelio, apertè intelligi potest, quòd dominus Iesus non est dedignatus etiam in propria persona mendicare, iuxta glos. & Hieronymi autoritatem: Nam Luc. 22. mendicauit locum, ubi pascha cum apostolis celebrauit. Mendicauit quoque asellum super quo uenit Ierusalem. Nam ab illius dominis petitus est dicendo, quia dominus illius operam desiderat. Luc. quoque 8. mendicasse insinuatur uictum à mulie-

mulieribus, quæ secum ibant, ministrantes ei de facultatibus suis: nam ipsum ad hoc ministerium induxisse illas credendum est. Luc. quoque 19. mendicasse legitur à Zachæo hospitium. Vt enim patet in litera, pauperem petere necessaria aduictum, est mendicare. Ex his autē *scriptis cùm multa dominus fecerit, quæ non sunt scripta, credi rationabiliter potest, multis alijs uicibus dominum mendicasse, ut impleret scripturam, Ego autem mendicus sum, ut nullum reliquerit uilitatis humanæ genus inexpertum à se, ut exemplum cæteris relinqueret tantæ humilitatis.* Hæc ille olim. Heus igitur quisquis es te appello lector, ac per ipsam ueritatis pulchritudinem de tua conscientia illam exquirens exculpere uelim. Responde mihi, cui credendum Caietano nunc recedenti à communi sanctorum & doctorum sententia, & consensu ecclesiæ explorato: & iterum dicā, uelint nolint maligni, à testimonijs scripturarum: an eidem potius Caietano, quādo alijs à quibus institutus erat, præsertim in huiusmodi, consentiebat? Nam circa mores his maximè est credendum, in quibus uiguisse maximè constiterit spiritum Christi, quales fuerūt probatissimi patriarchæ & sancti Dei, qui honorem & gloriam consecuti sunt in ecclesia. Adde quòd in hac priore doctrina non tam doctorum autoritatem, quàm rationum momenta uidetur secutus: nam rationem adiecit, quā certè nec unquam soluit, nec enim solui potest: nam uera est, & inuictissimè probans, quòd Christus etiam actu mendicauerit. Sed nota etiam, quæso, mirabile: ex quibus scripturis olim dixerat apertè intelligi

Inconstantia doctrinæ.

Christum mendicasse, nunc ex illismet asserit, clarè apparere illum non mendicasse. Dices, Quomodo ergo eius argumenta resoluis? Audi. Arguit primò, Discipuli ibant in ciuitatem ut cibos emerent, ergo non mendicabant? Bone Deus, quì ualet hoc? Quasi uerò nos qui assiduè mendicàmus, non etiam cibos emamus ex mẽdicatis? Arguit secundò, Iudas portabat loculos, & quæ ibi mittebantur à deuotis recipiebat, ergo non mendicabant. Quis non miretur argumentum? unde magis debuit colligi: Ergo mendicabant. Sic enim & nos mendicamus, mittentes aliquem è nostris cum loculis ut sic petat, & recipiat quod ibi mittitur, & afferat. Arguit tertiò, Quòd Christus dabat egenis, at hoc exigebat status mendicitatis, ut quod superesset erogaretur in pauperes. Sic & faciebant beati Franciscus & Dominicus, & sic fieri mandabant. Denique quod addit de mulieribus quæ ministrabant ei, rectè contra ipsum retorquetur, uel ipsomet autore, qui rectius cogitans bene dixit quòd dominus, utpote mendicus, illas ad hoc induxerat. Ecce ergo iam uides ita resoluta eius argumenta, ut etiam militent in suum dogma: quo autem pacto ille nostra resoluat, molestum est indicare, quoniam non aliud sonant eius responsiones, quàm quod hæretici commenti sunt, de aqua enim quam petit à Samaritana, ait quòd non fuit propriè mendicare, eò quòd cuilibet maiori possit accidere, Sed quid ad rem? Nunquid enim quod maior petit ex autoritate, non potest peti à paupere ex necessitate ac mẽdicitate? nouit Deus quòd ego aliquando ex itinere fessus ut mendicus aquam pe-

Nota hæc omnia ueritatis amator.

tij à quadam muliere, nec ualui obtinere. Parcat illi dominus, quam tamen si quis locupletior quasi suo iure petijsset, proculdubio habuisset. Et de hospitio Zachæi quod mendicauit dominus, mirum quàm toruè respondeat. Ait enim non mendicandi gratia, sed studio impertiendi doctrinam & salutem id fecit, quia non deerant Christo hospitia. Quis & hic non miretur? Nõne Christus ait, uulpes foueas habere, & uolucres cœli nidos, sibi autem non esse ubi reclinaret caput? ubi ergo illi abundabãt hospitia? Et quid prohibe[?], etiã simul utrũq; facere, uidelicet & gratia suæ necessitatis hospitium petere, ac multò magis gratia impertiendæ doctrinæ ac salutis? Sic enim faciebant & patres nostri Dominicus & Franciscus, & sic docuerunt nos facere. Augustinus dixit de petente aquam à Samaritana, quòd petijt illam aquam egens, tanquam accepturus, & promisit suam tanquam satiaturus. Thomas dixit quòd blasphemũ est dicere quòd sit illicitum mendicare, idq; non alio argumẽto magis probat quàm quia Christus mendicauit. Sed quid nunc est Thomas & Bonauentura & Bernardus, & Hieronymus, & tot alij egregij uiri ad Caietanũ, & apud illos quos tamen nescio quis spiritus fascinauit, ut seducantur à ueritate.

Nota.

Thom. in opusc. contra impug. relig.

¶ Etiam collegia mendicantium plus satis improbare uidetur, in eo quòd ait, quòd dominus beatitudines quæ sunt singulorũ non profectiones collegiorũ tractat, de collegijs enim apparet uerificari, quod non possunt durare sine tẽporalibus, propter multorũ minorem perfectionem. Hæc ille. Ergo insipienter fecerunt collegio-

rum huiusmodi institutores, Beati Franciscus & Dominicus & alij. Et si uerum est, ut piè creditur, quòd Christus inspirauit regulam Beato Francisco, nonne est antichristi opus, id improbare? Talia effutiebat hæreticus ille, contra quem B. Bonauent. post multa sic arguit. Quod si dicas fuisse speciale priuilegium Francisci & familiari spiritus sancti consilio esse factum, quomodo hoc tradidit in legem & regulam, in qua ad mendicitatem inuitat, si sibi soli pro seipso est inspirata? Si dicas quòd ex capite proprio, non per inspirationem, quomodo non est damnatus, qui ad actum irreprehensibilem tanquam perfectionis inuitauerit? quomodo sedes romana de consensu Cardinalium, hoc approbauit? Sed si errauit hoc approbando, constat ergo secundum dictum unius huius hominis, quòd uniuersalis ecclesia tota errauit & decepta fuit. Hæc ille. B. etiã Thomas in opusc. contra impugnantes religionem, ostẽdit quòd collegia, quæ nihil habent etiam in communi, perfectioris sunt uitæ, quia etiam altioris paupertatis: & hanc fuisse Christi paupertatem & collegij Apostolici. Vnde & B. Augustinus præfert primitiuam Iudæorum ecclesiam, his qui postmodum ex gentibus aggregati sunt, eo quòd illi nihil haberent, etiam in communi: & in uitis sanctorum patrum celebriora habebãtur monasteria quæ nihil poßidebant, uel in communi. Et Isaac de quo in dialogo Gregorius, in monachos interpellantes ut permitteret eos in communi habere, ita respondere solebat: Monachus qui in terra quærit poßeßiones non est monachus. Neq; uerò impoßibile aut

difficile

difficile est sic diu durare collegia, ad hoc enim respon det D. *Thomas rectè dicens,* Nihil *est difficile, aut impossibile confidenti in deo. Omnia possum (inquit* Paulus*) in eo qui me confortat.* Augustinus *in hominem talia cogitantem ita inuehitur.* Tu *Christiano, tu dei seruo, tu bonis operibus dedito, tu domino suo charo, aliquid existimas defuturum? An putas qui Christum pascis, à Christo ips non pascitur? An putas terrena deerunt, quibus cælestia & diuina tribuuntur? unde hæc incredula cogitatio? unde impia & sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo dei perfidum pectus? Quid? qui* Christo *non credit, appellatur* Christianus? *Pharisæi sibi magis congruit nomen.* Hæc *ille.* Adde *quòd si, ut fatentur, inspirat* Deus *quosdam particulariter, cur non magis collegia? Nonne bonum quantò communius tāto diuinius, & tāto magis* Deo *gratum? An fortè poterit* Deus *particulares pascere, non uniuersos? aut nō magis gaudet sua prouidentia ibi adesse, ubi multi con gregati fuerint in nomine eius?* Neque *multorum imperfectio, quos, ut ait* Cardinalis, *necesse est in collegijs reperiri, obstabit benignæ prouidentiæ* Dei, *si tamen maiores, quāuis pauci perfecti reperiantur.* Erant *enim & ipsi* Apostoli *ab initio imperfecti, quum mittebantur sine sacculo & pera, nec tamen eis quicquam defuit,* Domino *supplente pro illis. semper etiam tempore* Dominici *&* Francisci *fuerunt imperfecti multi, neque tamen deerat* Deus *abunde prouidens bona.* At, *inquit, experientia compertum est talia collegia in eo statu, non diu durare: imò experientia obseruatum est,*

Ad Philipp. 4.

ea collegia maximè bonitatem diuinam experiri, & abundantius pasci, quæ sine possessionibus degunt ac Deo fidunt, quàm quæ ex diffidentia quærunt possessiones, & habent. Quòd si quædam non diu durant, non hoc imputandum est diuino consilio aut prouidentiæ, sed nobis, qui potuissemus durare si mansissemus in fide. Nam simili modo etiam uidemus plurimos regularium poßidere proprium. An idcirco non bene cōsuluit Dominus paupertatem uolentibus? Iudæi non durarunt in obseruantia legis: nunquid ideo lex nō bona, non sancta? Quis etiam nunc Euangelicam legem custodit? an propterea insipienter nobis tradita est seruanda? Quis

Act. 4. *ausit hæc blasphemare? Legitur in actis Apostolorum quod erāt illis omnia communia &c. Quæro igitur ab eo, nunquid talis forma erat à Deo, an nō? profectò ibi ipse fatetur quòd à Deo, & tamen ibidem annotat his uerbis, optima distributiōis forma, sed paruo tempore durauit. Non igitur quia collegia quædam non perdurarunt in mendicitate, colligēdum erat non fuisse instituta à Deo. Causæ autem quare talia collegia non diu*

Inconstantia doctrinæ. *durant sine poßeßionibus, à nobis ueniunt, non à Deo. Volo honorem dare Reuerendißimo ubi meretur. Vide eius cōmmētarium super. 2. 2. q. 188. art. 7. Ibi enim*

Notent hæc prælati religionum. *ueras exprimit rationes huius nostræ miseriæ, scilicet quia recipiuntur ad monasteria multi temerè, & sine delectu, ac debita probatione. Et quia ueram paupertatem non custodimus, sed diligimus loca pulchra, uestes sumptuosas uentrem saturum, & huiusmodi: Deniq; quia minime perfectioni studemus, nec iam Christi bo-*

nus

nus odor sumus. Et cùm hæc ita sint, adhuc tamen mira mur stolidi, quod non durent collegia, sed nec sic duraſ ret S. Dominicus, nec S. Franciscus, nec illa quæ illum lactauit uberibus suis, quia Beati qui audiunt & custo diunt uerbum Dei. Luc. 11.

¶ *In eo uerbo, Beati estis. Ineptè notat huic soli Beati tudini sub ratione debiti promitti mercedem, cum uni cuiq; operi sub eadẽ ratiõe: uidelicet debiti, destinetur merces, ut Paulus docet. Nam nec potus aquæ frigidæ exhibitus uni ex minimis Iesu. carebit mercede sua, Et in parabola uineæ, cuilibet operanti promittitur mer ces. Hoc ergo potius debuit notare Caietanus, quòd huic soli nõ merces simpliciter, sed copiosa merces pro mittitur propter heroicam ueritatem, quæ est in tolerã tia terribilium. Nec est propria beatitudo ista ijs qui uenerunt post Christum, sed & ijs qui ante, similia paſ sis. Non enim est noua causa patiendi. Nam & prophe tæ propter Christum paßi sunt, ut Stephanus testatus est. Licet aliter Caietanus hic doceat, ponderans quæ non sunt ponderanda: Videat qui uolet.* Matth. 20. Act. apo. 7.

¶ *Illa uerba, Nõ ueni soluere legem &c. Sic exponit, Dominus negat se uenisse personaliter ad exercendum officium absoluendi à uinculo legis, non enim dixit. Nõ soluam, sed non ueni soluere: quod est uerum, quia quã diu fuit uiator non soluit. Hæc ille. Ego uero, imò non ego, sed scriptura dicit, quod Christus nunquam soluit legem, neq; per se, neq; per alios: nam Paulus dixit, le gem ergo destruimus? Absit. Sed legem statuimus. Imò si Christus aliquando soluisset legem etiam post mor*

tem suam, rectè diceretur uenisse ad soluendum legem, sicut rectè dicitur uenisse ut uitam mundo daret, quan quam post mortem hoc impleuerit. Sicut & uerèdixit, Veni ignem mittere in terram. Quod tamen tunc impletum fuit quãdo iam mortuus, & in cælum euectus, sedensq; ad dexteram patris, misit spiritum sanctum. Adde quod non hoc tantũ dixit dominus, Nõ ueni soluere legem, sed adiecit, sed adimplere: ut intelligas nunquam soluendam legem, quæ maxime implebatur post mortem eius. Non enim adimplere legem est soluere legem: Neq; uerò putanda est soluta lex, quia cessant ceremoniæ legis, & iudicia. Nõ enim hoc fuit solui legẽ. Solui enim est idem quod destrui, iuxta illud non potest solui scriptura. Cessare autem ceremonias non est destrui legem, sed magis consummari & perfici, quia finis legis est Christus, ipsa ueritas, qua certè adueniẽte, implebatur lex, nõ soluebatur. quod ego alibi quàm latißimè declaraui. Verum est tamen quòd si per legem intelligamus mãdata illa ceremonialia quæ decreta potius, tanquam ad tẽpus interposita, dicuntur, nihil prohiberet fortè dici sublata esse aut euacuata, ut sic intelligatur quod dictum est. Lex & prophetæ usq; ad Ioannem. Vnde & Paulus dixit ad Eph. 2. legem mandatorum in decretis euacuans &c. Non dixit legem simpliciter, sed legem mandatorũ in decretis. Decreta autem dicuntur, quæ quasi ex consilio & ad tempus interposita sunt, donec ueniret semen cui erat promissum: quæ & ipse Paulus declarat, cùm ait, Si mortui estis cum Christo, quid adhuc tanquam uiuentes in mũdo de-

Nota.

Ad Gal. 3.

Ad Coll. 2.

do decernitis? ne tetigeris, ne gustaueris &c. Nota quòd ait, decernitis. Vt intelligas decreta illa esse quasi ex instanti opportunitate & cõsideratione deliberata, illa ergo decreta appellat. Ne tetigeris, ne gustaueris &c. quæ ad significandum & ad ligandum data erant pro tempore. Vnde adueniente quod significabatur, & tempore alio, cessare aut extingui, & euacuari debuerunt. Ita ergo lex & prophetæ usq; ad Ioã. Lex inquã præfigurans, & ita ducens ad Christum, sicut & prophetæ prænuntiantes Christum, non prophetæ simpliciter. Alioquin post Ioannem etiam fuere prophetæ, uel ipse dilectus discipulus. Item Agabus, & filiæ Philippi, & alij, ut ex historijs ecclesiasticis patet. Sed & hoc animaduerti uelim ab his qui studiosi huius doctrinæ fuerint, quòd in hoc ipso cap. ut probaret quòd Iesus post mortem suam erat soluturus legem, produxit eorum testimonium, qui aduersus Stephanum testificati sunt eum dixisse quod Iesus nazarenus mutabit traditiones moseos, mutabit enim dicunt, in futuro non in præterito. Solutio nanq; uinculi legalis erat unum illorum de quibus dixit Iesus. Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo &c. Hæc ille. Videtur ergo acceptare horum testificationem pro uera, quæ tamen erat falsissima: Sed falsum dictum non poterat nisi à falsis testibus comprobari. Quo in loco etiam ut magis huius doctrinæ inconstantiam uideas, lege quæ scripsit super cap. 6. act. Apostolorum de huiusmodi testibus & testimonio: Ait enim super eo uerbo testium, & mutabit traditiones &c. Nec hoc dixisse Stephanum creden-

Inconstantia doctrinæ.

credendum est, quoniam didicerat, non ueni soluere legem, sed adimplere: Sed quemadmodum destructionē templi futuram falsò testantur, adiungendo quòd Iesus destrueret illud, ita adimpletionem falsò testantur, uertendo illam in mutationem. Hæc ibi ille ad literam. I ergo qui plus iusto faues huic doctrinæ, & explica, quibus semetipsum nectit Reuerendißimus nodos, si modo potes.

¶ Circa illa uerba, Qui soluerit unum de mādatis istis minimis, & docuerit sic homines &c. Cardinalis ait, per minima mandata ea intelligi quorum transgreßio est mortalis, alioqui dura nimis esset hæc domini sententia, quòd dicens uerba otiosa, & docens alios, dicenda esse uerba otiosa, cognoscatur, habeatur & nominetur in regno celorum, minimus: tum quia hoc nō est ex suo genere mortale, tum quia adulteri, blasphemi &c. sunt longe minores istis, cùm tamen non detur minimo minus. Hæc ille parum attendēs quòd aliud est dicere uerbum otiosum, aut àlium inducere ad dicendum uerbum otiosum: aliud est docere dicendum esse uerbum otiosum. Qui dicit, aut, ut alius dicat hortatur, peccat quidem fortè uenialiter, sed non dicitur soluere mandatum ullum. At qui docet esse dicenda uerba otiosa, dicit consequenter non esse malum hoc, ideo soluit mandatum hoc, & si minimum, & ideo mortaliter peccat, imò etiam blasphemat. Facit enim mendacem Deum: Deus enim docuit esse malum, dicere uerba otiosa: ipse
Isa.5. autem docet non esse malum & ita ponit malum bonum, & tenebras lucem: ac propterea dignus est haberi mini-

ri minimus in regno cælorum. Illud uerò mirabile quòd cum minima mandata uocet Reuerendißimus ea, quorum transgreßio est mortale, sequitur non esse minora illa, quorum transgreßio est ueniale, quoniam minimo minus dari non potest, ut ipse docet.

¶ Annotat ideo dixisse dominum, Nisi abundauerit iustitia uestra plusquàm scribarum & pharisæorũ, & non plusquàm iustitia legis & prophetarum, quia ferè cuncta præcepta quæ Iesus subiungit erant apud legem, & prophetas, sed nõ apud Scribas & Pharisæos. Hæc ille. Quæ non solùm falsa sint, quia manifestè Dominus illico comparat legem suam, & suæ legis iustitiam ipsi iustitiæ legis antiquæ, & non Scribarum & Pharisæorum, sed etiam sunt contra ipsiusmet Reuerẽdißimi expositionẽ, qui penè in omnibus subiectis Christi legibus, ubi ait, Audistis quia dictũ est antiquis, ego autẽ dico uobis &c. apertè fatetur hoc in loco iustitiã Christi antiquæ legis iustitiæ cõparari atq; præferri. Incõstãtia doctrinæ.

¶ Quòd ait dominus nõ resistere malo, uult sic esse dictũ, ut nõ negatiuè accipiatur, ne cogamur fateri quòd sit obligatio ad semper, & quòd sit contrarietas rectæ rationi, quæ dictat licitum esse resistere malo. Denique quòd sit diminutio uocabuli, quia resistere significat actum exteriorem, & non animi præparationem: uult enim hic reprehendere communem sanctorum intelligẽtiam, ideoq; dicit debere hoc accipi tanquam si dixisset dominus, Ego autem dico uobis sustinere malum. Sed hac expositione & si alia cessarent absurda, unum certè maximum sequitur: uidetur enim notari dominus tanquam

quam nescierit commodis uerbis explicare sententiam suam, si non idem ualeat, non resistere malo, quod ualet, sustinere malũ: aut si ista sunt idem, & nihil interest inter hæc, non resistere malo, & sustinere malum. Ergo alterum quoduis eorum per alterum exponi posset: si enim dixisset, sustinere malũ, posset exponi, nõ resistere malo, & redirent obiectiones. Ergo res ita potius componenda erat, & fatendum quòd resistere malo, non debemus unquam, nisi quãdo fuerit opportunũ, ita ut etiam ipsa defensio non ui tamen præcepti, sed ui saltẽ consilij fuerit à domino improbata. Quæ autẽ consilij sunt, nõ omnibus nec semper cõueniunt: uerum hac de re latius in dialogis, nam hic locus multam considerationem poscit.

¶ *Illa sequentia domini præcepta, Præbere maxillam percutienti, & Dare pallium contendenti super tunica, & Angariãtem per miliarium, sequi etiam amplius. Dũ uult intelligi secũdũ effectũ, ubi tamẽ ratio hoc dictat, & non in animi præparatione, tanquam non admittens communem doctorum expositionem, non uidet quòd uolens nouum quiddam afferre, non aliud dicit quàm quod alij. Sed alij longè conuenientius, quoniam nouerunt tropum & figuram hyperbolem: dicere enim Præbe maxillam iuxta tropum, est perinde ac si dixisset, compone te in animo talem, ut si id opus fuerit, etiã poßis hoc facere: Absit autem, quod dominus de eo præcepit factam, quod uix unquam accidit ut fieri debeat. Et sic cætera debent intelligi. Potuissem & alia ex hoc capite annotare in illũ, sed parco, & relinquo alijs.*

VBi legitur, Attendite ne iustitiam uestram, Et nō probo, quòd ex Græcis mutat, iustitiam, in eleemosynam: Sunt enim & Græca exemplaria interdum corrupta, & sæpenumero uaria: Et certè sermo doctius procedit, ut primò sit mandatum generale, deinde ad casus particulares descendatur. Ex.c.6.

¶ Annotādum est & id quod ait dominus à præcipuo opere inchoare, quod est eleemosyna respectu ieiunij & orationis. Hoc enim absolutè dictum, falsissimū est: quoniam eleemosyna est de externis, quæ multo minora sunt bona. Doleo quòd hæc est etiam nouorum quorūdam opinio hæreticorum.

¶ Nec probo quod ait, eos qui eleemosynam faciunt propter inanem gloriam priuari solum mercede illius operis à patre cælesti, non autem sibi damnationem acquirere. Nam qui huiusmodi sunt qui finē cuiusuis operis sui præstituunt uanam gloriam, & sic postponunt Deum inani gloriæ, non dubito quin sint digni omni damnatione: quia in omni actu nostro quem facimus de liberatè, præponendus est Deus, & non postponēdus, unde dominus non dixit, receperūt mercedem suam pro hoc opere, sed absolutè receperunt mercedē suam, quia hypocritæ (nam de hypocratis manifestè loquitur) quibus cecinit longum uæ, qui non habent partem cum Deo, eo quòd magis gloriam hominum dilexerunt quàm Dei.

¶ Ex eo quod dominus dixerit, Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater cælestis delicta uestra, Sic ait. Crediderim ego hominem qui tanto Dei

to Dei amore agitur, ut hominibus offendẽtibus ipsum remittat ex corde propter Deum, & si in fornicatione perseueret, tandem à Deo conuerti, ita quòd Deus remittet ei omnia peccata sua, conuertendo cor eius ad ueram pœnitentiam, unde dominus non dicit quòd uobis dimittentibus Deus remittit, sed dicit in futuro remittet, ita quòd hanc specialem prærogatiuam seu gratiam significauit Deus, per hanc conditionalem, intelligendo literã ut sonat: Nouit enim solus Iesus quàm acceptum gratumq; sit Deo remittere alijs offensas: & ideo ipse solus potuit reuelare hoc. Hæc ille. Quæ certè nouum & infandum dogma introducunt, & multa falsa & impoßibilia. Primò enim mirandum ualde quòd domini hæc reuelatio in euangelio tam expressa tanto tempore, ecclesiæ fuerit abscondita, & nunc demum soli huic homini patefacta, aut eius ingenio tantùm comperta. Secundò, uerba domini huic expositioni minimè aptantur, Non enim dixit, Si dimiseritis, Deus conuertet uos & ita dimittet: sed dicit, Si dimiseritis, dimittet deus uobis, ut propterea dimißioni pro præmio dimißio primũ aßignetur, nõ cõuersio, ac deinde dimißio. Tertiò hæc doctrina siue causa uidetur cogere Deum ad conuertendum etiam perseuerantem in peccato: sed ait, magna est causa: nam qui tanto Dei amore agitur &c. O eximiam dilectionem. Magno agitur Dei amore qui uult manere in peccato. Apage obsecro à me talis charitas siue dilectio. Iacobus dicit, Qui in uno offendit, factus est omnium reus: & Cardinalis dicit, mereri conuersionẽ, ac pro hoc dimißionem peccatorũ omnium.

Nota.

Nota hæc.

Quartò

¶ Quartò, quod pestilentius etiam est, præbet doctrina hæc occasionem delinquendi ac persistendi in peccato: homo enim qui delectabitur fornicari, aut adulteriū committere, aut furari, aut quodlibet patrare facinus, dicet secum, Dimittam iniurias & offensiones in me factas, & securus sum: dominus enim conuertet me aliquando.

¶ Quintò, ex hac etiam doctrina potest aliquis certus esse speciali Dei reuelatione de salute sua. Hæc & fortè alia contingunt absurda huic nouitati. Tutius ergo erat ambulare uiam regiam, & à communi sanctorum sensu non recedere & uerbum domini, Si dimiseritis, intelligere cum suis circunstantijs, id est, si dimiseritis ex uera charitate, quæ secum non compatitur peccatum: aut si dimiseritis non habentes aliud crimen: nam quod & aliàs dixit, Omne peccatum & blasphemia dimittetur, quis intelligat ita insanè, ut putet omne peccatum & blasphemiam remitti cuiquam, nisi eum pœniteat? Oportet ergo subaudire in huiusmodi dictis congruas & legitimas circunstantias, quæ faciant dignum remissione. Denique quod dixit dominus, dimittet, bene est: respicit enim tempus iudicij extremi, quando erit certa dimißio.

Qvod notat dominum cautè dixisse, Petite & dabitur uobis, & nō adiunxisse, dabitur quod petitis, uanum est, quia aliàs dixit: Quodcunq; petieritis patrem dabit uobis: sed potius dicēdum erat, quòd loquebatur de petitionibus quas ipse fieri præceperat, & cum suis circunstantijs, nā semper dat illas Deus. Ex. c. 7.

Item laborans, ut declaret, quomodo potuerint admirari turbæ de sermone in monte, cui non affuerunt, nesciuit resoluere. Non enim aduertit, quod tunc admiratæ sunt turbæ, ut ait Matthæus: Cùm consummasset Iesus uerba hæc. hoc autem tunc fuit quando & descendens
Luc. 6. in mõte eadem ferè repetijt aßistentibus turbis, ut Lucas ait. tunc enim uerè consummasse sermonem dicitur, & tunc admiratæ sunt turbæ. Ostendit etiam se non intellexisse uerba prophetæ dicentis. Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotatiões nostras ipse portauit, exponendo tulit aut portauit, id est, remouit uel abstulit. Nam Esaias Christi paßionem declarare intendit nobis debitam, ab illo in seipsum susceptam. Sed in dialogis hoc declaro. Et quare se dominus uocat filiũ hominis, ibidem declaro.

¶ De illo qui dixit permitte me primũ ire & sepelire patrẽ meũ, ait Caietanus non rogauit tempus ad sepeliendum patrem mortuum, sed petijt tempus paternæ uitæ, sicut dixit mater Beatæ Luciæ. Tege primùm oculos meos. Noua omnino expositio. Sed hinc illam accipit, quia non dixit patrem meum mortuum, quasi uerò sepeliantur homines uiui. Adde quòd uerba Euangelij huic sensui uix accommodantur: Ad expectandum enim patris mortem non erat necesse dicere, permitte me ire, satis erat dicere, permitte me sepelire.

Ex. c. 9. QVod ait Euãgelista, Obtulerũt ei hominem mutum dæmonium habentem, Non potest sic exponi, ut ly mutum iungatur, cum ly, Dæmonium, ut patet ex Græca litera, quàm hoc in loco nõ cõ

suluit

fulsit Caietanus.

QVod dominus prohibet discipulis ferre duas tunicas, ipse exponit aut potius addit, scilicet mutatorias, & similiter de calciamẽtis. At hoc apud Marcũ reprobatur ubi expresse uetuit eos indui duabus tunicis. At inquit. Dominus pluribus tunicis est indutus, quia milites in quatuor partes diuiserũt, quasi uerò quatuor habuerit tunicas Dominus, & non considerauit quòd milites sciderunt uestimentum unum in quatuor partes, & super una tunica, non scissa, sed incõsutili miserunt sortem, ut dicit scriptura: non ergo habuit plures tunicas, sed unam super quam etiam gestabat pallium, ut honestas patitur. quod illi sciderunt, & super partes miserunt sortem, Aliud enim est tunica, & aliud pallium: porrò ridiculum est ad calciamenta supplere numerum binarium, quasi prohibuerit dominus duo calciamenta, & unum portari permiserit, uidelicet pro una tibiarum. Item ridiculum metuere ne discipuli supra duas tunicas mutatorias deferrent in uia, quod uix locupletißimi facerent. Reliqua circa hæc in quibus errat, discutientur apud Marcum. Ex.c.10. Mar.6.

LOquens dominus de Ioanne dixit, Si uultis recipere, ipse est Elias. Caietanus hæc uerba sic interpretatur: Ponit Christus in auditorum libertate acceptationem huius commendationis, dicendo, Et si uultis recipere, ipse est Elias. Et hoc ideo quia non secundùm literalem sensum, ipse est Elias: docuit siquidem optimus magister Iesus, ut non cogam auditores ad mysticos sensus sacræ scripturæ. Hæc ille. Quæ si uera sunt, sequitur Ex.c.2.

quòd dominus posuit in eorum libertate posse respuere interpretationem suam, & sic posse credere, quòd nō ita esset sicut ipse docebat, & cōsequēter quòd falli posset, quod horrēdū est uel cogitare. Quòd igitur ait, Et si uultis recipere, eò pertinet sicut exponit Chryso. ut significaret nolle se liberū cuiusquā uiolare arbitriū sicut alibi ait, Si uis ad uitam ingredi serua mādata, nec tamen potuit in libertate cuiusquam impunè seruare aut non seruare mandata.

¶ Quòd item ait, Noli disputare de causa electionis & reprobationis, hinc enim habes primam & supremam, & ultimam causam esse, quoniam sic placitū est Deo, respectu reprobationis falsum est atque impium: quoniam non ex puro beneplacito reprobat ullum dominus, sed ex meritis: quoniam reprobatio & reiectio
Nota. praesupponit culpam reprobati atque reiecti: alioqui
1.Tim.2. Deus uult omnes homines saluos fieri, & neminem adi-
Sap.2. git ad peccatum.

Ex.c.12. Laborans in exponendo quomodo Christus faceret iter in Sabbatis (sic enim in Graecis legitur, nō in sabbato, ut habet nostra aeditio) intelligit, per sabbata dies festiuitatum habentium plures dies, ut erat phase & tabernaculorū, & dicit fuisse, illa sabbata phase, quia tunc sunt spicae quae poterant fricari à discipulis. At hoc uix est quòd in luna primi mensis, iam sint spicae. Et praeter hoc non uidit quòd illa sabbata non uio-
Nota. labantur ex illa fricatione, sed solùm uerum sabbatum id est, septima dies hebdomadae, in qua omne opus prohibebatur. Bene ergo intelligit interpres exponendo nu

merum

meru plurale pro singulari, ac si dixerit, ibat per sata uno ex illis sabbatis atiquis: unde & bene dicitur, quòd dixerunt qui reprehendebant, quòd non licebat facere sabbato, & non dixerunt, sabbatis, ut etiam habet Græca lectio, si sequi tenemur eam. Et de tali sabbato patet quòd loquitur reliquu euangelij perito lectori. Vnde Luc. 6.
apud Lucam dicitur, quòd fuit sabbato secundo primo. Et postmodu altero sabbato uenit in synagogam.

¶ Ibidem ubi legitur, In spiritu Dei, ipse exponit tanquam si diceretur, in digito Dei, sicut apud Lucam: sed hic error humanus est, & nullo modo imputadus: quoniam & magnis uiris accidit, nec exprobrandi gratia id posui. Absit: sed ut & hinc noscant qui nimium afficiuntur, quòd & ij quos pro dijs habent tanquam nec in magno, nec in paruo potuerint errare, homines fuerunt. Illud uerò displicuit, quòd spiritum Dei hic non accipit pro persona, cotra omnes quos legi.

MAtthæus illud psalmi, Aperia in parab. os meu. Ex. c. 13.
in Christo impletum testatur. Caietanus autem inquit, quòd Matthæus transsumptiuè hoc traxit ad Christum, quia ad literam textus ille loquitur de similitudinibus gestorum, ipse autem utens sensu mystico applicat ad similitudines methaphoricas. Vtraq; enim conueniunt in ratione parabolæ, seu similitudine sermonis. Hæc ille. Quæ & falsa sunt & periculosa. Falsa inqua, quia supponunt uerba illa uerificari ad literam de illo Asaph. Sed quid erat ille, ut ei secundùm literam conueniret dicere, Attendite popule meus legem meam: quē ipse populum sub se habebat? aut quam legem poterat

cuiquam præcipere? Et qua fronte ait trahi locum istũ transsumptiuè ad Christum, cum euangelista testetur impleri in illo, quod secundum ueritatem intelligi debet, de parabolis ijs quas dominus proferebat, quæ nõ erant quid uerè gestum. Quòd uerò ait similitudines uerè gestorum cõuenire in ratione parabolæ cum similitudinibus metaphoricis & confictis non nisi ualdè æquiuocè uerum est. Item inconuenienter alterum præcisè dictum ad alterum traheretur, etiam si in ratione generica conuenirent. Sermo enim præcisè de asino loquens ineptè traheretur ad hominem, ob istam gratiam, quia homo & asinus in ratione animalis conueniant: in Christo ergo ad literam uerificatur locus ille, ut omnes catholici receperunt, quia id euangelista testatur, & uerba ipsa: ipse enim est uerus Ioseph, qui uenit ut dispersa colligeret. Ipsi datus est populus ad instruẽdum, ipse denique propriam legem ore proprio tulit & docuit. Caue ergo, si sapis pie lector, ab hac doctrina quæ tam manifestè pugnat cum sensu doctorum, & compertissima ueritate.

Isaiæ.c.6. *AD hæc putat prophetiam Isaiæ, Auditu audietis &c. nõ probare quòd nõ sint aliquo tempore cõuertendi Iudæi, & sanandi. Sed quia permanebunt longissimo tempore pertinaces, ideo dictum esse ne quando uideant &c. non quasi nunquam conuertendi. Tu autẽ audi potius apostolum exponentẽ mysterium hoc, quòd*
Ad Rom. 9. *cæcitas ex parte contigit in Israel, & de hac parte loquitur propheta, quæ nunquam erat sanãda. Dolui etiã quòd in hac parabola per fructum trigesimum, sexagesimum*

ſimum & centeſimum intelligit fructum incipientium, proficientium ac perfectorum. omittens quòd lōgè erat uerius, & à ſanctis uiris expoſitum, diuerſorum ſtatuū merita, quin & uerba domini eam intelligentiam non admittunt, quod prudens lector poterit ex ſe colligere: hanc autem expoſitionem ſimiliter reddit ad parabolam ſatorum farinæ.

¶ Super parabola quoque zizaniorum dicit diuinum eſſe præceptum quòd mali in genere non extirpētur ex hac uita, ſed nō in ſpecie, & quòd hoc præceptū eſt ne ceſſariò adimplendum: ego uerò ignoro quid ſibi uelit, & cui, aut quibus intelligat fieri hoc præceptum: equi dem dubito ne cogitationes metaphyſicales hic impor tunè ſeſe admiſcuerint practicis. uideat qui uolet. Nota.

¶ Ibidem quòd granum ſinapis euangelium eſſe dicat, & ideo minimum, quia minima annunciat: ſcilicet Ieſum crucifixum: quo dogmate, ut ait, nihil eſt minus, nihil eſt abiectius, mirum in modum me commouit: non enim minima annunciat euāgelium, ſed maxima & ma gnalia Dei, Dei iuſtitiam, Dei iram, beatitudinem æter nam, nec ſolùm Ieſum crucifixum, ſed adoratum ab angelis, uiſitatum à regibus, teſtimonio cœleſtis uocis pro batum, uirum electum, potentem opere & ſermone, in ſignis & uirtutibus, & portentis, & prodigijs ſine numero, reſurgentem ab inferis, aſcendentem in cœlos, & captiuam ducentem captiuitatem, ſedentem ad dexteram patris, mittētem ſpiritum ſanctum in igne & lin guis, uenturum in fortitudine & gloria cum omni mili tia cœleſti, cui flectentur genua omnium cœleſtium, Ad Rom. 1. Luc. 1. Matth. 2. & 4. Act. 2.

terrestrium & infernorum. Haeccine, quaeso, sunt minima & abiecta? Quae igitur erunt gaudia? Paulus enim admiratur & stupet, quòd sibi sanctorū minimo, ut aiebat, hoc datū esset, euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti. Ad Eph. *Quòd si crucifigi Christum fuit abiectum, & indignum Deo, ex parte, uidelicet sua innocētia ac celsitudine consideratis, non tamen propterea ipsum dogma crucis dici debuit abiectum & minimum, in quo mortui sumus peccato, & Deo uiuimus, & stamus, &* Ad Rom. 5. *gloriamur in illo, quod est fortius & nobilius omnibus* 1. Cor. 1. & 2. *hominibus. Adde quòd ipsum dogma de Christo crucifixo non crescit, sed idem est. At hoc semen sinapis crescere dicitur: non igitur debuit omitti communis & uerior sanctorum interpretatio, ad quam relego lectorē.*

¶ *Alia quoque indigna & periculosa annotaui in expositione parabolae de sagena.* Inconstantia doctrinae. *Primum quòd per captos in sagena intelliguntur Christiani inuoluntarij: nam ut ipsemet iam exposuerat, per sagenam intelligitur uerbum Dei & praedicatio: quae tamen uolentes trahit. Deinde quòd supponit ecclesiam capere inuoluntarios, falsum est: hoc enim nec fecit unquā, nec fieri uult. Quòd si fortè aliter fit aliquando, id nō ab ecclesia est. Tertiò minimè potest dici inuolūtarios esse infantes qui baptizantur, quibus suppletur uolūtas per maiores & ecclesiā. Quartò non rectè excusaretur ecclesia, ut uidetur excusare Caietanus, si quos cogeret, propter hoc quòd aliqui ex ijs salui fierent: quoniā nō sunt faciendа mala, ut eueniant bona.* Ad Rom. 3. *Quintò, quòd ex eius uerbis*

elici

dici pōt quòd in primitiua ecclesia nō caperētur tales inuolūtarij, id est, pueri, omnino falsißimū est, & quòd faueret anabaptistis. Sed absit à Christiana mēte ut admittantur hæ nouitates & insulsæ & infandæ.

NOn probaui quòd Iosepho uidetur magis tribuere quàm ueteri historiæ, quā Hiero. sequitur circa Herodiadē, nec rectè Iosephū defendit, qui manifestè pugnat cū euāgelio, in eo quòd illā nō Philip. sed alterius Herodis uxorē fuisse scribit. uideat qui uolet. Quòd itē uult Herodē non fuisse regē, quoad titulū, cū tamē rex ab euāgelista dicatur, nescio quid illū mouerit. & cū dicat euangelista, & cōtristatus est rex, quod etiam nolit fuisse uerum: sed quòd finxerit Rex se contristatum, hoc nō est Euāgelistā exponere, sed peruertere: sed audi illū: Ait enim: Optimè pinxit cōtristatū non herodē, qui affectabat occidere: sed regē, quia exteriori suo signo officiū cōstituti regis ostēdit: simulata ergo fuit cōtristatio illa. Ego uerò picturā hāc optimā nō satis perspicio, Si enim uerè contristatus est Rex, & Rex sit Herodes, cogor confiteri iuxta meā logicam, etiam contristatum fuisse Herodem: & si Herodes uult occidere Ioannem, etiam Rex uult occidere: & si Rex fingit nolle occidere, etiam Herodes fingit hoc, Idem enim Rex ille & Herodes. Adde quòd Marcus hanc picturam non admittit qui ait: Herodes autem metuebat Ioannem, & non dixit, Rex metuebat Ioannem, aut metuere simulabat: & adiecit: Quia sciebat illum uirum iustum & sanctum. Sciebat, inquit, & non ait, Fingebat se scire: & addit, quòd illum libenter Ex.c.14.

audiebat, & eo audito multa faciebat: unde postmodum eo timore correptus putabat eum resurrexisse, & aiebat. Quem ego decollaui &c. At inquit Cardinalis, Herodes erat uulpes: ita enim appellatur à Christo, fateor, sed nunquid idcirco oportet illum in omnibus simulasse? non enim opinor, semper simulat uulpes, sed canes fugiens, non simulat se timere, nec fugam simulat, sed ue-
Luc. 23. rè fugit. Scribitur autem de Herode, quòd uiso Iesu gauisus est ualde, & quòd à multo tempore erat cupiens uidere Iesum, & quòd multa de eo audierat, & sperabat ab eo signum uidere. An, quæso & hæc simulabat? Si tales positiones defendantur, paruo negotio omnis histo-
Ad Gal. 2. riæ ueritas destruetur, & defendemus iterum Paulum non uerè reprehendisse Cepham, sed simulatoriè, & sustinebimus Christum non uerè sed simulatoriè crucifixum, & tandem quodcunq; aliud libeat, sed hoc est iterū Christum crucifigere in scripturis suis.

Ex.c. 15. Minimè probat quòd Pharisæi accusassent discipulos in hoc, non quòd omnino non lauarēt, sed quòd non sæpius lauarent manus ante prandium. Nam simpliciter dicitur in Euangelio quòd non lauabant manus, cum panem manducarēt. Et similiter Marcus ait, Communibus manibus, id est, illotis siue inquinatis: & dominus etiam simpliciter eos excusat & dicit, Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. Nec dicit Marcus, quòd Pharisæi in eodē prandio sæpius lauarent manus, sed quod non manducabāt nisi sæpius lauissent, quod poterat fieri diuersis temporibus, unde discipuli tanto magis incusabantur de abie-

ἐta pœnitus obseruantia: Sic & aliàs Dominus simpliciter quòd non lauit manus, incusatus est semel, quod sæpius etiam fecissent, si de crebra manuum lotione quæstio fuisset. non enim est credendum dominum seruasse illam eorum superstitionem, quam & uituperat & exprobrat in eos, quod latè patet. Luc. 2.

¶ *Eundem locum tractans, & quasi pugnans in Lutherum qui mandata hominum infringit, sic rem resoluit, quòd nec Dominus nec Propheta, ibi mandata hominũ damnat, sed cultum seu timorem Dei sustentari in mandatis & doctrinis hominum. Si enim timuissent illum, inquit, seruando mandata Dei & hominum, non reprehensi fuissent: cum seruare non solùm Dei, sed & hominum mandata sit amplioris iustitiæ. Et concludit, Venerare igitur Lutherane Ecclesiæ mandata, non ut diuina, sed secundo loco, scilicet post diuina, quia sic oportet nos implere omnem iustitiam. Hæc ille. quæ quoniã inclusam continere uidentur falsam ac fallacem doctrinam, lector attende. Ego enim audenter assero, in hoc Euangelio, & apud Isaiam, simpliciter reprobari mandata hominum, quia ex se prima erant, & reprobatiõe digna; utpote superstitiosa uel etiam irritantia mandata Dei: nam hæc propriè mandata hominum dicũtur in scripturis. in hoc enim sensu scriptum est, Et sapientia hominum non est mecum: & iterum: Sapientia hominũ inimica est Deo. In hoc sensu uocat homines Paulus quando ait: Cùm sit inter uos zelus & contentio, nonne secundum hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat Ego sum Pauli: alius autem, Ego Apollo, nonne homines*

Prou. 39.
Ad Rom. 8
1. Cor. 3.

nes estis? Hic enim manifestè homines appellat, qui contra Dei spiritum & sapientiam sapiebant. Et alibi: No-
1. Cor. 15. *tum (inquit) uobis facio* Euangelium, *quod euangelizatum est à me, quoniam non est secundum hominem, & tamen erat secundum Christum, qui erat homo, & secundum cæteros Apostolos, qui erant homines.* Capit *ergo & ibi hominem, ut aduersatur spiritui* Dei. Et *alibi modo hominibus. seu homines, suadeo, an* Deo, *siue* Deum? *an quæro hominibus placere?* Si *adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Ecce *quod & hic perpetuò capit homines, ut aduersantur sapientiæ Christi.* Alioqui *aiebat* Paulus. *Per omnia omnibus placeo.* Tales *ergo erant traditiones* Pharisæorum: *quarũ aliæ euidenter irritum faciebãt mandatum dei: aliæ uerò erant uanæ & superstitiosæ,* Dei *cultum ac religionem ponentes in his quæ erant uana, nec promouebant ad uerum cultum.* Nam *una illorũ traditio contra quã primò inuehebatur dominus: hæc erat.* Si *dixisset homo patri uel matri Corban, id est donum quod ex me est, tibi proderit, immunis fiebat ab amore debito parentibus, & ita irritum faciebat mandatum* Dei, *sicut apertissimè dixit* Dominus, Rescindentes *uerbum* Dei *per traditionem uestram.* Alia *autem traditio erat crebra illa manuum lotio & baptisma hominũ, urceorum, calicum, æramentorum, lectorum, & huiusmodi: quæ etsi de seipsa solam inutilitatem contineret, & per hoc satis reprobabilis esset, habebat tamen etiam errorem noxium adiunctum, quia putabant ab illa corporis munditia uel immunditia, animæ simul munditiam & immũ-*
ditiam

dictiam contrahi: propter quod execranda erat. Vnde & Marcus despicabiliter & irrisoriè illa enumerat, adeoq; diligenter, ut etiam addat quòd multa his similia faciebant. Vnde Dominus ob hoc prophetiam illam inducit, & propter hæc in illis uerificatam. Sine causa, id est, in uanum me colunt, id est, inutiliter, & ideo superstitiosè, quia solis labijs, id est, exterioribus ceremonijs, quæ nihil ad pietatem, ad fidem, ad spem, ad Charitatem Dei promouere aut mouere possunt, sed ad errorem: quia à corporali immunditia illa, putabant etiam cordis immunditiam procedere. Vnde dixit Dominus discipulis suis: Adhuc & uos sine intellectu estis. Non quod intrat in os coinquinat animam, ac si apertius dixisset: Ita insanitis sicut hi Pharisæi, ut putetis sorde corporea inquinari animam? aut per carnis munditiam & uasorum, & lectorum, mundari cor ipsum? Quare & mox, quia de hoc uerbo scãdalizati erant Pharisæi, docens apertè, quòd ista plantatio eorum, quæ erat talis doctrina, & talia mandata, non erat ex Deo, sed digna eradicari in spiritu: quodammodo exclamat, & ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos. Cæci sunt, & duces cæcorum. Quid est igitur quod dixit. Sinite illos? Nisi, contẽnite eiusmodi doctrinas. Nam & paulopost: Cauete (inquit) à fermento Pharisæorum, quod non sanè intelligentibus discipulis & putantibus de pane eum dicere apertè declarauit, esse doctrinam & hypocrisim istam: qua exteriore munditia, interiorem, qua carebãt, mentiebantur. Vnde & alibi comminatur: Væ uobis Scribæ Marc. 7.

scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis. Impiè ergo & stultè hinc accipiũt hæretici quòd dominus docuerit cõtẽnẽda esse mãdata prælatorũ, quæ alioqui non mala essent nec superstitiosa. Cardinalis autem non exactè considerauit, putans nõ simpliciter damnari hic mandata hominum, cum apertissimè damnentur, sed quæ hominum sunt nõ prælatorum, id est, quæ humano spiritu decreta, nõ quæ
2.Thess.2. ut à sedentibus super cathedram Petri profecta sunt in ædificationẽ. De his aliter scriptura loquitur. Ait enim. Itaq; frates state, & tenete traditiões quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Talia enim tanquam Dei mandata proculdubio sunt seruanda, quia à spiritu Dei sunt, & ideo non hominum, sed Dei censenda. Idcirco Paulus ne quasi hominum mandata putarentur, ac ideo spernerentur, postquam quædam
1.Cor.7. mãdauit & hortatus est, subiecit. Puto autẽ quòd & ego spiritum Dei habeam, scilicet ad mandãdum ea quæ secundum Deum sunt, non secundum hominem, id est secundum humanum spiritum. At de traditionibus
Col.2. hominum ita dicit: Cauete ne quis uos decipiat secundũ traditiones hominũ. In hoc igitur periculum est in Reuerendissimi doctrina (præter id quod (ut uidimus) falsa est, quo ad intelligentiam scripturæ huius) quia nescio quam distinctionem facit inter mãdata Dei & hominum: id est, ut ipse intelligit, Ecclesiæ prælatorum, etiam quæ bona sint & utilia. Ait enim: Si timuissent Deum in seruando mandata Dei & hominum, non repræhenderentur: cum seruare nõ solum mandata Dei,

sed

sed etiam hominum sit amplioris iustitiæ, tanquam iustus ponatur qui mandata Dei seruet, negligens mandata Ecclesiæ, licet magis iustus qui utraq; seruet, aut, quasi quisquam mandata Dei seruare dici poßit, qui Ecclesiæ mandata non seruet, cum dicat Dominus: Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit: & iterũ. Si meum sermonem seruauerunt, & uestrum seruabũt. Ideo ambo illa falsa sunt & periculosa, & dogmati hæreticorum propinquißima. In eodem enim gradu habenda sunt Ecclesiæ præcepta si bona sint, quo & ipsius Dei, quo ad hoc, quòd similiter ligant sub pœna damnationis æternæ, ut B. Thomas pluribus in locis probat: & in.2.2. de obedientia ita scribit. Exigit charitas Dei ut eius mãdatis obediatur: & ideo inobediẽtẽ esse diuinis præceptis, est peccatũ mortale, quasi diuinæ dilectioni contrarium. In præceptis autem diuinis conti netur, quòd etiam superioribus obediatur, & ideo etiã inobedientia qua quis inobediens est præceptis superiorum est peccatum mortale, quasi diuinæ dilectioni contrarium: secundum illud. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Contrariatur autem dilectioni proximi inquãtum superiori proximo subtrahit obedientiam quam ei debet. Hæc Tho. sanctè quidem & catholicè: & hæc est doctrina scrupulis & ambagibus carens.

Nota. Thom.2.2. q.105.ar.1. Ad Rom.13.

¶ *Ibidem resoluens quomodo, omne quod in os intrat in secessum emittatur, melius dicit quàm olim in uentriculo, & quãquam aliquid etiam sit, quod non probẽ, omittam tamen, non enim ita craßè errat, ut ibi uideat qui uolet.*

Ibidẽ

¶ Ibidem quærens quomodo inter peccata quæ procedunt ex ore Dominus cōnumerat furta, & homicidia, & adulteria: respondet, quòd naturali suo progressu fiunt, mediāte sermone, quod de adulterio fortè dici potest: de furto autem & homicidio nō uideo. Qui enim furatur cauet maximè ne cui dicat, & ita qui occidit: & manu patrātur hæc, nō ore. Aliud igitur oportebat hoc in loco comminisci.

Ex cap. 16. IN confessione Petri dicentis, tu es Christus filius Dei uiui, ex ui uocis illius, Viui non satis exculpitur generatio naturalis, ut ipse uult: Nam & nos uerè dici possumus filij Dei uiui, & sic dicimur apud Oseam. Non tamē dubitandū est quouis modo quòd eo modo intellexerit Petrus, quod ex alijs magis manifestatur, scilicet ob insignes articulos, & singularem appellationem: de nullo enim singulariter dicitur in scripturis, quòd sit filius Dei, aut simpliciter filius, nisi de domino nostro qui solus est naturaliter filius & unigenitus.

Osee. 1.

Ex. 6. 16. PEtro soli inter discipulos factam reuelationem à patre, inefficaciter colligit licet enim Petrus primus & solus respondit, ob fidei feruorem, tamen nō pro se tātùm, sed & pro alijs respōdit. Sicut & alias apud Ioā. 6. Nec est uerisimile quod ipse ait, Dominū hactenus nō exposuisse mysterium trinitatis discipulis suis uerbis, eo quod dixerit patrē reuelasse. Nihil enim prohibet exponente filio per sonum uerborum, & sic suo modo reuelante, patrem quoq; internè per spiritū persuasisse ac sic reuelasse. Reuelatio enim interna non prohibet, imo supponit externum magisteriū, quod est

1. Corin. 3.

plantatio

plantatio quædam accipiens desuper incrementum. Illum locum, sunt quidā de hic stantibus, nō puto rectè ab eo expositū, sed nō hic disputabo. Alibi enim latius.

Qvod ait exigi orationem & ieiunium ab eo qui uexatur, & quòd hoc ratio suadet, è diametro pugnat cum eo quod ipsemet apud Marcum dixit, quòd etiā uerius est, & hoc ratio magis suadebat. Ex.c.11. Inconstantia doctrinæ. Marc.9.

¶ Ibidem quod ait, Perpende hinc quanti fiat à Deo ieiuniū, ex hoc quòd ad opera ardua ieiunij concursum requiri explicauit, non damno, sed probo, & quammaximè. Illud uerò improbo, quòd cū nos hæc perpendere iusserit, ipsemet alibi minimè perpēdit, qui ieiuniū ferè contemnit, & ad modicum ualere ait, & alia de quibus inferius suo loco.

¶ Et locum illum de uerbis domini ad Petrum, Ergo liberi sunt filij, non uideo explanatum ab illo, ut & illustris habeatur, & utilis doctrina, ut decet. Sed non hic locus explicandi: sat est admonere lectorem; alibi tracto.

¶ Et quòd demum notat quòd Iesus, quāuis communes haberet loculos penes Iudam, noluit communibus uti ad proprium personaleq; debitum persoluendum, exemplum præbens prælatis, ut communibus ecclesiæ bonis non utantur ad propria, sed ad communia: non probo. Primò enim inconuenienter accipit quòd dominus semper habuerit loculos, & in loculis pecunias. Secundò etiam falsò supponit quòd illud esset debitum domini proprium ac personale, cùm apertè euangelista contra-

dicat. Fil j enim liberi erant. Tertiò nequaquam exemplum præbetur in hoc prælatis, qui nihil habẽt propriũ, ut erat Christus: non enim hi proprium ullum possunt habere ciuile pecuniarium debitum. Quòd si tyrannicè angeriarentur, aut exigerentur, possent se redimere de communibus bonis, ut Christi pauperes. Denique quomodo dat nobis hoc facto exemplum dominus? Quotusquisque enim est qui poßit iubere, Vade ad mare, & ex ore occurrentis piscis cape staterem. Verè tamen in hoc nobis exemplum præbet, quòd & si liberi simus, tamen ad euitanda scandala, bonum est non uti libertate hac filiorum Dei, sed cogitare quòd dominus prouidebit in omnibus, qui sua prouidentia curat omnia, ac præcipuè filios. Non me latet quendam doctorem præstantem tale quid annotasse, sed apis prudentis est, flores deligere meliores.

Nota in quo habemus exẽplũ à domino de solutiõe tributi.

Ex. c. 18.

Quòd dixit dominus, hic maior est in regno cœlorum, malè emendat, loco maior substituens maximus: non enim Græci codices ei suffragantur.

¶ Et quomodo necesse sit uenire scãdala, credo melius docuisse Chrysostomum. Ego etiam alibi.

¶ Notat ex illis uerbis, Angeli eorum semper uident faciem patris mei, non colligi singulos homines habere singulos angelos ad custodiam. Fateor quòd uerba non cogunt, sed cùm non repugnent, sed magis consentiant, & cùm ratio faueat, & cùm hinc theologi dogma istud accipiant, & cùm iam omnibus persuasum sit: & cùm promoueat ad ædificationem, excitans charitatem in Deũ,

&

& ex nobis prouocãs gratiarum actiões in Deũ ipsum pro tanta erga nos ipsius prouidentia, & in ipsos angelos, pro peculiari eorum cura in nos, & non communi. Et cùm faueat etiam alibi scriptura, quæ innuit peculiarem Angelũ Petri fuisse custodẽ, quod & ipsemet Caietanus notauit, non debebat quouis modo uocari in dubium. Porrò quàm inepta sit eius expositio, quam ex uerborum proprietate ad nos affert, dicens, Angeli eorum, id est, nuntij eorum, non laborabo manifestare: nã sat notum quòd uox illa, angelus, iam translata est ad significandum cœlestes spiritus Dei ministros: & nostri dicũtur, non quia à nobis mittũtur, sed quia nos curant atque custodiunt: quòd ergo ait: Angeli eorum, cũ sit sermo de particularibus hominibus, magis significat singulos angelorũ. Quòd enim mihi particulariter seruit, magis meum dicitur.

¶ Circa præceptum correctionis, primò nõ puto quòd bene exposuerit hoc mandatum: Si peccauerit in te frater tuus, notans illud, in te, quasi positum ad differentiam peccati in alium: Nam offensa in corpore cuiusuis membri, offensa est omnium membrorum offensa, & principaliter capitis. Hoc dixi, ne putet quis ex hac huius uiri expositione, fraternam correctionem non iuberi, nisi illi qui sit particulariter affectus iniuria. At longè minus placet; quòd ait, non artari hunc sermonem ad peccata secreta: quia secretis peccatis non correctis, nõ possunt adhiberi testes correctionis, & rursus, in secretis non est procedendum ad ulteriora. At certè aliter docent alij, & D. Thomas, & Augustinus in regula quã

ipsemet professus erat, quæ non nisi impiè negari potest. Ait enim Augustinus, *quòd crudeliter occulta fratris silentur, & misericorditer indicantur, ne deterius putrescant in corde: sed quia lõga est hæc materia, etiã alibi seruanda est.*

¶ *Circa uerba illa, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus, iam superius disseruimus, ostendentes quòd non est alia doctrina &* Pauli *&* Ecclesiæ *ab ea quæ hic est* Christi, *licet aliter, nec satis piè, hìc iste doceat.*

¶ *Illa uerba, si duo uel tres consenserint super terram non aptè exponit, uolens hoc quod ait super terram, referri ad materiam super qua consentiunt.* Falsum hoc omnino. Nam *& pro defunctis petimus, & cælestia petimus: imò materia super qua consentimus uigilanter à* Domino *exprimitur, qui ait, de omni re quamcunq; petierint.* Inepte *deniq; totus locus exponitur, licet rei ueritas non lædatur.* Videat *qui uolet.*

¶ *Quòd annotat etiam dominum dicere,* Ego *sum in medio eorum, & non dicere, in futurum, ego ero, quia nesciat futurũ Deus, qui æternitate sua adest omnibus, leue est & instantijs retũditur.* Alibi *enim iuxta* Hebraicam *ueritatem, ut declaret æternitatem suam, dixit,* Ero
Exo. 3. *qui ero, quam literã etiam ipsemet probat, & ad* Moysen *dixit.* Ego *ero tecum.* Potius *ergo per hoc quod dixit:* Ego *sum,* Iam *decretum suum præsens, & firmam uoluntatem ac celerem fore aßistẽtiam significat suam. Sic & alibi dixit,* Ecce *uenio citò.*

¶ *Illa quoque uerba serue nequam omne debitum dimisi &c. minus congruè exponit, uolens quòd non arguitur*

tur seruus ille quia debitum non dimiserit, sed quia non est misertus, non enim (inquit) propterea tenebatur cō seruo dimittere, quia rex sibi dimisisset. Repugnant au*tem uerba* Regis, *huic expositioni, qui id exigebat dicens modum misericordiæ*, Nonne *oportuit te misereri conserui tui, sicut ego tui misertus sum?* Et *ipse dominus, sic & pater cœlestis faciet uobis, si non dimiseritis fratri suo unusquisque de cordibus uestris*. Sed *in hoc falsus est reuerēdißimus, quòd putauit hic agi de pecuniario debito, sed in hoc typo quasi pecuniarij debiti, agebatur de debito offensæ.* Et *adhuc idem esset in pecuniario debito, quando rex dimittit, & per hoc factū suum legem intendit condere uniuersalem, sicut hic intelligere oportet, quia charitatis & misericordiæ lex inuicem inter nos in eo quòd Deus uniuersaliter fecit omnibus nobis fundata est: ideo dixit in alia parabola, Vade & tu fac similiter. Et ideò si dimittimus, securi sumus quòd & dimittimur: quia iam prius dimißionem primi ac magni debiti simul omnes accepimus.*

QVomodo hic fallitur in expositione illorum uerborum, Propter *hoc relinquet homo &c. ac simul de dogmate bestiali quod hic probat, id est, omnes alias personas, præter primi gradus ascēdētium ac descendentium, id est, præter patrem & filiam, matrem & filium, habiles esse ad coniugium inuicem. Similiter & de pluralitate uxorum, quam tamen hic solus inter catholicos facit licitam, inferius suo loco disputabo.* Illi *autem quæstioni. An & quomodo ex causā fornicatiōis liceat uxorem dimittere nolui me admi-* Ex cap. 19.

ſcere. Ego enim ſi de facto conſulor, ſequor iudicium eccleſiæ. Si res in quæſtionem ponitur, multa ſunt quæ me turbant, quæ tamen alibi fuſius tracto.

¶ *Illud uerò omnino improbandum cenſui atque explodendum quod ait:* Attende prudens *lector, quòd nullũ indicitur uotum à Ieſu uolenti uitæ perfectionem aſſequi: quia non in uinculis uotorum, ſed in operibus conſiſtit perfectionis aſſecutio.* Apud Luc. quoque cap. 14. *ita ſcribit:* Renunciare *omnibus quæ poßidemus mandatur à* Chriſto *tãquã profitẽtibus apoſtolicæ uitæ perfectionem, & intelligo renunciare, facto, quicquid ſit de uoto. Illa enim eſt uera renunciatio, quam in act.* apo. *legimus, & in ſ. patribus antiquis,* Ambroſio, Antonio, Paulo, Benedicto. *Hæc ibi, & alibi eadem confirmat, quæ manifeſtè* Lutheranam *&* Eraſmicam *doctri*-

Auguſtinus pro uotis apoſtolorũ. *nam adiuuant: quare funditus euertenda ſunt.* Primò *igitur contra hæc, eſt* Auguſtini *ſententia, qui de apoſtolis ita ſcribit:* Dixerant *enim potentes illi. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Hoc *uotum potẽtiſsimè uouerant: ſed unde hoc eis? niſi ab illo de quo cõ*-

Gregorius. *tinuò hic dictum eſt, dans uotum uouenti?* B. Gregorius *ſuper* Ezech. *ita docet:* Cũ *quis omne quod uiuit, omne quod ſapit, omnipotenti* Deo *uouerit, holocauſtum eſt, idq́; ad eos pertinere qui præſens ſeculum deſerunt.* Qui *ergo negat hoc apoſtolos factitaſſe, etiam nega*-

Tho. 2. 2. q. 86. art. 6. *eos ſeculum dereliquiſſe.* B. Thomas *non ſolùm it hanc ſententiam concedit, uerumetiam optima rationn illam probat. Iuſsit enim dominus diſcipulis ut ſequerẽtur ſe, & non hodie, aut cras, ſed perpetuò & immutabiliter*

biliter. Hoc autem non fuisset nisi promißione seu uoto firmassent, quod etiam ex eo apparet, quod dixit dominus, Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei: de qua sententia elicitur quòd non licet ad ea quæ semel dimissa sunt reuerti: liceret autē nisi uoto firmatū esset propositū sequēdi Iesū. unde & adiecit exemplum uxoris Loth, quæ certè typus est omnium qui cum sæculo abrenunciauerint, ad ea quæ dimiserunt reuertuntur: nec me latet hunc locum noua expositione ipsum reuerendißimum peruertere: sed non est bonum super quocunq; sollicitari. Ad hæc maxime facit, quod extra controuersiam est apud doctos, longè maius & gratius Deo èsse, consilia dei suscipere etiam emisso uoto, quàm solo proposito non intendendo se obligare deo per uotum. Qui enim uoto, idest firma promißione abrenunciat, non solum opus exhibet Deo, sed & uoluntatē astringit, sibiq; facultatem aufert, ne poßit non dare promissum. hoc autem proculdubio maius est, & ideo perfectius. Et propterea Gregorius dixit holocaustum esse idest integrū atq; perfectum sacrificium. Quod si ita est, cur igitur non hæc potius sit abrenūciatio, quæ est ex uoto, quàm quæ sine uoto, si maior ac perfectior est, immò si hæc sola perfecta? & cur non credamus dominum deum quod perfectius est instituisse, idq; Apostolos suscepisse? Profectò ineuitabilis ratio hæc est. Sed ut magis etiam expugnetur, idest, a semetipso reuerendißimus. Nullum (inquit) indixit uotum Christus. Quid est igitur quòd paulo ante ait, Sunt eunuchi qui se castrauerunt pro-

Nota rationem fortißimam.

Inconstantia doctrinæ. pter regnum dei? profectò sub castratione hac uotũ intelligitur, quod ipsemet coactus tandem à ueritate fatetur, ita ibi exponens. Castratio significat non solùm abdicationẽ usus, sed etiã potestatis: & propterea insinuat uotum, quo homo se priuat potestate utendi seipso ad officium generandi propter regnum cælorum. Hæc ille. Et addit, ut penitus seipsum expugnet in hoc uidelicet in castratione suijpsius consistit uis & ratio perfectionis: non enim placet Deo negatio naturalis officij nuptiarum, nisi cùm ordinatur ad regnum cœlorũ expeditius assequendum. Hæc ille. Quis ergo non miretur tantum uirum in eodem penitus loco, tam manifestè loqui pugnantia? Falsum igitur omnino quod ait, & quasi despicabiliter. Non in uinculis uotorum, sed in operibus consistere perfectionem, si simpliciter uincula uotorum à perfectione excludat. Scimus enim non satis esse uouere, nisi operibus uota impleantur: & tamen cũ hoc fatemur, opera quæ sine uoto facta sunt non esse holocaustum perfectum. Quamobrem & hic rectè docet. B. Thomas his uerbis: Ad statum perfectionis requiritur obligatio ad ea quæ sunt perfectionis. Manifestũ est autem quòd ad Christianæ uitæ perfectionem pertinet paupertas, cõtinẽtia, obediẽtia, & ideo religiõis status requirit quòd ad hæc tria aliquis uoto obligetur. Hæc. B. Thomas. Falsum etiam est quod addit, illã abrenunciationem, de qua in act. apo. non fuisse cum uoto, quod etiam ibi probare contendit, eò quòd Petrus dixerit Ananiæ: Nonne ager manens tibi manebat & uenundatus in tua erat potestate? Nam si non aliunde, ex

2.2.q.186. art.6.

Nota pro uotis efficacissima argumenta.

ijs ipsis Petri uerbis uotũ elicitur manifestè, ut nobilissimi expositores declararũt. Arguitur enim Ananias à Petro *quòd fraudarit de pretio agri: non autem fraudasset nisi iam uoto abrenunciasset. Suum enim adhuc mansisset, nec fraus fuisset mendacium illud simplex de re sua.* Ad hæc, *arguitur quòd mentitus sit nõ hominibus, sed spirituisancto ipsi* Deo. *Hoc autem falsum, nisi* Deo *promisisset abrenunciando in manibus* Petri: *& hoc erat uotum: hoc est enim quod ait* Petrus: Nonne manẽs *tibi manebat? id est, nõne si nõ promisisses* Deo *ac uouisses, tibi manebat, manens, id est, si noluisses uendere: & uenundatus, id est, si maluisses uendere, nonne erat in tua potestate scilicet pecunia? quæ rei nomine loco succedit, ut aiunt iurecõsulti.* Nam & . B. Hieronymus hũc *locum ita declarat: Qui uel in corde suo promisit, si aliter fecit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit, quod enim licitum erat, per uotum sibi fecit illicitũ: sicut Ananias & Sapphyra, quibus post uotũ de pretio possessiõis suæ retinere nihil licuit, illicitè tenuerunt, ob quã causam subita morte prostrati sunt.* Alibi *quoq; ita scribit: Ananias & Sapphyra corde duplici, & ideo condẽnati, quia post uotũ abstulerũt quasi sua, & non eius cui uouerant, partemq; sibi iam alienæ substantiæ reseruauerant, metuentes famem, quam uera fides non timet: & præsentem meruere uindictam, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo.* Gregorius, *quoque in epistola ad* Venantium: Ananias, *inquit, pecunias* Deo *uouerat, quas Diabolica uictus persuasione subtraxit. Ad hæc scriptura ibi dicit, quòd erant illis o-*

Ad Demetriadem uirginem.

Ad Paulinũ de institutione monachi.

Grego.

mnia cõmunia, & nemo dicebat aliquid suũ. Hoc autẽ *falsum esset, si quod quisque cõferebat, uolebat sibi manere: & ita manebat, ut intelligit reuerendißimus, & ita fuisset suũ, & uerè potuisset dicere suum.* Ad hæc,

Paulus. 1. ad Th. 5. *apud Paulum celebratur profeßio quæ fiebat ex uoto: unde & aduersus uiduas illas quæ luxuriatæ iam in domino ad nuptias redibant, excandescit, quòd primam fidem fecerunt irritam: uotum proculdubio insinuans,*

Dionysius. *ut & ipse Cardinalis ibi fatetur.* B. quoque Dionysius *in hierarch. ecclesi. hunc statum religiosorum, uotiq; profeßionem, etiam ut ab apostolis traditum refert, atque commendat.* Quare *nihil mirum, si apostatæ hunc librum* Dionysij *esse illius* Ariopagitæ *negant, à quo confunduntur:* Et *miratus sum, quòd & reuerẽdißimus etiam in hoc secutus sit illos.* Cæterùm *quod affert de sanctis patribus,* Antonio, Paulo, Benedicto, Ambrosio, *quod sine uoto abrenunciauerint, suum commentũ*

Antonius. *est: de* Antonio *enim legimus, quòd tanquam sibi dictũ accepit illud. Si uis perfectus esse & cætera: quæ certè uerba uotum implicant, ut rectè docet* Thomas. Benedictus *uerò etiam per regulam, uouendi modum tradidit.* Arroganter *autem id fecisset, nisi hoc primum ipse seruasset atque ad perfectionem attinere nouisset, scilicet ex apostolorum & Christi traditione.* De Paulo *idem credendum, & post episcopatum de* Ambrosio, *nouerat enim quòd erat holocaustum domino acceptabile in odorem suauitatis: quare non est fas arbitrari id negasse domino sanctißimum uirum.* Sed *quid moror, cùm omnes sancti patres in Ægypto, & post eos,* Basi

lius

lius, Augustinus & cæteri duces apostolicæ uitæ talem semper seruarint abrenunciationem quæ uoto fit. Neque uerò quisquam mihi Cardinalem excuset: quia dicit, Laudabilia sunt uota &c. Nam eò magis suspecta est mihi hæc laus, quò illi statim impia detractio annectitur. Laudabilia, inquit, sunt uota, sed apostoli ea non susceperunt. Laudabilia sunt uota, sed non erant in primitiua illa ecclesia: & prisci patres ea ignorauerunt. Laudabilia sunt uota, sed uera renunciatio est quæ absque uoto est. Laudabilia sunt uota, sed non in uinculis uotorum consistit perfectio. Laudabilia denique sunt uota, sed ex hominum nata traditionibus, & humanis (ut Erasmus impiè blacterat) constitutiũculis. O laudem uotorum mirificam, quæ Christus non docuit, quæ apostoli nec susceperunt, nec tradiderunt, quæ sancta illa primitiua ignorauit ecclesia, quæ prisci patres non agnouerunt, in quorum uinculis non cõsistit perfectio, quæ tandem hominum sunt inuenta: quod certè est dicere, superstitiosa esse. Quod enim humana traditione susceptum est, si ei nomen religionis adiũgitur, superstitiosum esse diffiniunt S. doctores: laudabilia tamen esse dicuntur. Quid igitur si ego quoque similiter reuerendißimi nostri doctrinam collaudem atque dicam? Laudabilis profectò hæc doctrina: sed non est desursum à Christo, non est ab apostolis, ecclesia ignorat illam, prisci & sancti patres imò & ueteres & noui illi contradicũt, deniq; humana est, imò ipsius Reuerẽdißimi. An, quæso, quisquam has, quasi uerè laudes has agnosceret? & tamen uera me loqui putarem, & si minimè lauda-

Augustini elegans sẽtẽtia hæc est.

laudarem. Hic tamen non omittenda erant innumera testimonia sanctorũ Patrum, & Pontificum decreta, & Synodorum comprobationes, sed quia particulari libro hunc articulum tracto, libuit hoc in loco studere breuitati.

¶ Suspectum quoq; mihi est quod dixit exponens domini sententiam illam: Non omnes capiunt uerbũ hoc, sed quibus datum est. Ait enim, non dixit, Sed qui uoluerint &c. Adolescenti enim in quo generaliter omnibus loquebatur dominus consiliũ dans, dixit. Si uis perfectus esse, ut ostenderet id poni in uoluntate nostra, nisi forte iam alligati sumus contrariæ rei, unde ibi rectè Chrysost. Ideo non omnes capere possunt, quia non omnes uolunt, palma proposita est, qui concupiscit gloriam non cogitat de labore: nemo uinceret, si omnes periculum timerent. Ex eo ergo quod quidam à proposito continentiæ cadunt, non debemus circa uirtutem castitatis fieri pigriores, sicut & qui in pugna cadunt, non exanimant cæteros: quod ergo dicit, quibus datum est, illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acciperemus, nihil nobis ualeret. Hoc autem auxilium gratiæ uolentibus non denegat: dicit enim dominus, petite, et accipietis: hæc ille. Beatus quoq; Hieronymus ita scribit. nemo putet sub hoc uerbo quod ait, sed quibus datum est, uel fatum, uel fortunam introduci, quod hi sint uirgines quos ad hoc casus perduxit: sed his datum est à deo qui petierint, qui uoluerint, qui ut acciperent laborauerint. Hæc Hieronymus. Cyprianus quoq; postquã uirginitatis consilium à domino & Paulo, uolentibus proposi-

Hieronymus

Cyprianus.

propositum suis laudibus extulit, ita adiecit, Quod si diuinis cōsilijs obuiauerint tentamenta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus, adest deus fortis: ne spem ponat homo in homine, nec in brachio carnis suæ confidat: quia qui mundum uicit, uictoriam suis promittit militibus. Sed obijciunt Apostatæ, de Apostolis qui uxores habuere. Sed illas prius habuerant quã profiterentur, & cum quibus postquam professi sunt nunquã habuerunt rem, ut Hieronymus & alij Catholici testãtur, quod & ex euangelio discimus, in eo quod dixit Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, qui enim omnia dicit, nihil excludit. Ergo & uxoris illam possessionem, sicut dominus respondens, etiam particulariter declarat. Sed aiunt: non est prudentis uouere, ac tanto se oneri alligare, Cur igitur dominus cõsulit nobis uota? & scriptura dicit, Vouete & reddite domino? Et Isaias ad laudem prædicit hæc uota, uouebunt domino & soluent. At multi pœnitentia ducuntur, quòd uouerint, fateor, sed eorum culpa est, quia non audiunt sanctos uiros, & Augustinum qui ait, non te uouisse pœniteat, imo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset.

¶ Superius annotatum est de foramine acus ridiculum commentum, quòd esset proprium nomen portæ.

¶ Sed quod penè præterieram, illud maximè considerãdum quod annotat circa uerba domini: Et erunt duo in carnem unam: Notat enim quia dominus dixit simpliciter, erunt duo in carnem unam, & non dixit, erunt ad horam, uel ad tempus, ideo non conuenire meretriciæ,

aut alij commixtioni illicitæ, esse duos in carnem unã. At hæc ratio perimitur instantia. Nã apud Paulum hoc simpliciter dicitur etiam de meretricia commixtiõe, ex quo fit ut ista quoq; coniunctio inducat perpetuam affinitatem, quæ etiam cõtractum dirimat matrimoniũ, & non ad horam? Certè si ad horam cõtraheretur affinitas in meretricia commixtione cessante hora illa, cessare deberet impedimentum matrimonij, aut errarunt tot summi Pontifices, & contra scripturas determinarunt, quos & omnes theologi sunt secuti, nec ullus perspexit, quod adeo patebat, ut ait iste: Nõ miretur autẽ quisquam, si ex corporũ coniunctiõe etiam illegitima, perpetua tamen contrahatur affinitas, quia hoc naturaliter ipsum factũ exigit, & si alia mens coeuntium sit. Sicut enim qui adhæret deo unus spiritus fit cũ eo, idest illa adhæsione obligat se illi, ita qui adhæret etiã meretrici, ex ui & natura copulæ unum corpus cũ illa efficitur, & ita nascitur affinitas naturalis, & uinculũ affinitatis: quamuis enim talis copula non probetur à deo, ut frustra inter ipsos & legitima, non tamen improbatur quin operetur effectus quo ad coniunctos & propinquos inuicem. Sicut enim dominus circuncisionẽ reprobans, tamen in hominem circuncidentem se, patitur nasci obligationem, quæ alioqui ex ipsius rei natura nascebatur quando circuncisio probabatur, quia obligatur ad faciendam uniuersam legem, ut ait Paulus, in odium eius. Ita in proposito permittit deus nasci uinculũ affinitatis perpetuũ quod ex natura rei, talis copula inducit, & si illegitima sit. Adde quod olim in ienta

Nota hæc, quia sunt subtilia & uera.

Nota pro intellectu apostoli ad Gal. Ad Gal. 5.

culis quoque suis manifeste ostendit se ignorasse quid hoc significaret, esse duos in carnem unam. Ait enim, hoc quòd mas & foemina sint unum generatiōis principiū perfectū & iustum, facit ut una caro dici possit, quod nō est nisi in cōiugibus legitimis: scilicet quorū matrimoniū approbat dominus: quæ expositio directè est cōtra Apostolicā Pauli doctrinam, imò & contra ipsummet etiam Cardinalem, qui saltem ad horam concedit esse carnem unam eos qui illegitimè cōmiscētur, sed plura etiam alia obstant huic declarationi: quæ non imperito lectori possunt facilè occurrere. alibi propria quæstione tracto illud quoq; admirandum super illis uerbis Petri, Ecce nos reliquimus omnia &c. quod exponens ait, ac si apertè dicat, nos non fecimus totum quod exigis ab adolescente, si uult perfectus esse, quia non uendidimus omnia nostra ad dandum pauperibus. At hoc certè in iniuriam Apostolorum dicitur, quasi quicquam omiserint quod faceret ad perfectionē consultum à domino, aut quasi uendere suas res &c. attineat ad perfectionē, modò aliter bene collocentur: nam quòd dixit Adolescenti, Vende &c. erat proprium ad illum pertinens, non enim omnes debent uendere, quoniam nec honestè facerent, sed cum scandalo, quāquam unde scit ille, quod aliqui Apostolorum non uendiderint quod habebant? Nunquid omnia scripta sunt in euangelio, nonne satis hoc uerbum ad perfectionē probandā: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Inconstantia doctrinæ.

NOn placuit in parabola operariorū quod per diurnū denariū exposuit certū beatitudinis gradū. Ex.c.20.

sic

sic enim exposuisse constat Iouinianum, qui & ob hoc reprehenditur à Hieronymo & cæteris.

¶ *De Iohanne quomodo calicem biberit paßionis, sicut est dubium, ita uoluissem illũ ut dubium se habere, quoniã quũ sunt diuersæ sententiæ, nulli absq; ratione præiudicandum est.*

Ex. 21. cap. QVod euãgelista producit ex uetere scriptura dicite filiæ sion &c. Reuerẽdißimus sic excusat, quasi hoc nõ esset in scriptura: quia non erat apud Zachariã, nõ cõsiderãs quod euãgelista duos simul prophetas, ut concordes adducit: eat enim apud Isaiam. c. 62.

¶ Et frustra notat, quod dominus dixit, Venit Iohannes, & non dixit, ueni ego, ne se exosum proponeret eis: Nam alibi frequenter dicit de se in eos, ut ibi, Venit Iohannes, non manducans neq; bibens &c. Venit filius

Matt. 2. hominis: & alibi, ego ueni in nomine patris mei &c. Et hic & alijs locis non curauit se exosum illis

Io. 5. proponere, multo etiam duriora dicẽs, ut erãt meriti: nec euangelistæ ubiq; commemorant omnia.

¶ In parabola uineæ quod exponit peregrinationem esse subtractionẽ gratuiti auxilij seruãtis illos à malo,

Nota. puto falsum ac periculosum: quoniam si hoc fecisset, iniuria fructus peteret, & in alijs parabolis profecto

Matt. 25. peregre domino, reddunt tamẽ illi lucrum talentorum

Luc. 19. & mnarum, quod non esset, si talis peregrinatio id significaret, uidelicet subtractionem auxilij diuini.

Ex. 22. IN parabola ubi Rex ait: Amice quomodo huc intrasti &c. notat quod rex non contumeliose increpat, sed

sed amice, ut doceat nos etiam in notorio facto, nõ esse iudicandum inauditum, & absq; contumelia & conuitio examinandum reum. Vera quidem hæc sunt, sed non ex hac litera accipiuntur: nam uerba hæc non sunt examinationis sed increpationis. Non enim interrogat unde uestẽ habeat, sed approbat quod erat notorium, ut in audacem & temerarium, quòd uestem nõ habens tamen illuc intrarit. Nõ enim tunc seruabitur iudiciarius iste ritus interrogandi, quia omnia erunt tunc nuda & aperta, ut etiam patet in parabola iudicis, quia primũ segregantur oues ab hœdis, & nulla interrogatio fit, sic & superius increpat serue nequam, sine quæstione ulla aut interrogatione. Quod uerò ait Amice, ironiã sapit ac derisionem.

¶ Ad hæc ibidẽ etiam malè notat, subdens, Quid si cũ ueste sordida uidisset conuiuam? quasi uerò uacuus charitate possit carere ueste sordida quæ est amor proprius ædificans ad gehennã. Quòd si non habuisset sordidam uestẽ, ut quid iuberetur ministris, ut ligatis manibus ac pedibus mitterent eum in tenebras exteriores ubi est fletus & stridor dentium?

¶ Dominum in Sadducæos non probasse simpliciter resurrectionem mortuorum ait Caietanus, sed solum immortalitatem animarum, resurrectionem uerò ad hominem: quia radix negandi resurrectionem illis erat mortalitas animarum, quam credebant. At longè melius ac subtilius D. Thom. qui domini argumentum declarans sic ait: Ad hoc ut deus qui est deus uiuorum, sit deus Abraam, non sufficit quòd sola anima

Abrae uiuat , quia anima Abrae non est Abraam, exigitur ergo quòd Abraam ipse uiuat: quod licet nõ tunc esset quando hæc uerba dicebantur, erat tamen secundum decretum resurrectionis: unde dominus per illa uerba subtilißimè & efficacißimè probat resurrectionem. Hæc D. Tho. & rectè. Non ergo ad hominem argumentatus est dominus, sed simpliciter, dicit enim dominus exprobrans in Sadduceos, de resurrectione enim non legistis quod uobis dictum est à Deo, Deus Abraham, ex hoc quòd illud de resurrectione dictum esse testatur, non de immortalitate, quod miror hunc uirũ nõ aduertisse. Neq; uerũ est quod ipse ait probata immortalitate animæ probari ad hominem resurrectionem. Non enim, sicut hoc apparet per se, si anima est mortalis, non est resurrectio, hoc euicto quod sit immortalis per se appareret est resurrectio. nõ enim expugnati in illo cogerentur hoc aliud confiteri, quod ex se patet.

Thom. in 4. sent.

¶ *Mandatum de proximo de quo Dominus, Diliges proximum tuum sicut teipsum, ait non debere intelligi de dilectione ex charitate, & probat, quia hoc præceptum præsupponit propriam dilectionem quæ potest impleri sine charitate, ut patet apud seruantes præcepta omnia secundæ tabulæ sine charitate, & sic nõ præsupponit dilectionem ex charitate. Non ergo præcipitur dilectio proximi ex charitate. Hæc ille primo. At falsum est quod ipse sumit, ut confessum, uidelicet posse impleri præcepta secundæ tabulæ absq; charitate & gratia Dei, imò secundum Aug. sententiam Pelagianũ est. Ni-*

Nota.

est. Nibil enim probiberet etiam sine charitate impleri posse precepta primæ tabulæ, quod & ipse Caietanus fatetur. Et sic sine gratia & charitate posset impleri uniuersa lex & prophetæ, & exundaret superfluo nobis Christus. At hoc ipsissimum Pelagij dogma est. Addit secundum argumentum & dicit, Hic præcipitur dilectio proximi ab exemplo dilectiõis propriæ certæ & indubitatæ, id est, sicut de facto diligis teipsum: Sed dilectio proximi ex charitate non est certa & indubitata. Hæc ille. Et hoc item quod sumit est falsissimum, quia non præcipitur nobis dilectio proximi, sicut nos de facto diligimus nosmetipsos, sed sicut rationabiliter tenemur diligere nosmetipsos, sic enim interpretari oportet uerba legis, ne alioquin si quis se perperam de facto diligat, ut sunt operantes iniquitatem lĩbẽter, etiam mãdatum acciperent sic diligendi proximum, quod est insanum fateri. Nam & illud, quæcunq; uultis ut faciãt uobis homines, non sic intelligitur, Quæcunq; uultis de facto, sed quæcunq; uelle debetis rationabiliter deputando, ut ipsemet ibi exponit Caietanus, & rectè. Et quod tertiò adiungit, ideo non præcipi dilectionem proximi ex charitate, quia superfluò præciperetur, cum in mandato primo de dilectione Dei contineatur implicitè, hoc est profectò quod eleganter euertit suam expositionem. Nam si in primo mandato continetur mandatum dilectioni; proximi ex charitate, iam superfluit mandare, ut non ex charitate diligatur, cum sit satis imò & plus, diligere ex charitate. Non enim gratia destruit naturam, sed perficit. Adde quòd si primum mãdatum de

Notá. Notá. Inconstantiá doctrinæ. Notá.

I 2 dilectio-

dilectione Dei intelligitur ex charitate: & hoc secundũ dicitur simile illi, ut ait Dominus, certè similiter intelligi debet ex charitate, alioqui ualde dißimile esset, & distaret, sicut distant à luce tenebræ. Vide ergo ut paßim decipitur, & in ipsis, quod dicitur, errat foribus. Sunt enim hæc principia fidei nostræ. Ipse enim & super Deut. c. 6. scribẽs uult ambo hæc præcepta ibi tradita. Diliges Dominum Deum tuum &c. non intelligi ex charitate. Quod si uerum est, falsum ergo esset quod ait Dominus, illud fuisse mandatum maximum: non enim esset maximum quo daretur longè maius, uidelicet diligere ex charitate. Item falsò uitam æternam promisisset facienti illud: Sic enim dixit: Hoc fac & uiues. Et falsum esset quòd hinc uniuersa lex & Prophetæ penderent. Et falsum quòd esset maius omnibus holocaustomatis &c. Nunc uide quomodo hæc doctrina aliena est à sanctorum doctrina, & ut pulchrè per eos

Aug. de trinit. c. 8. euertitur. Augustinus hunc locum tractãs in hunc modum doctè & eleganter scribit: Cũ duo præcepta sint, in quibus tota lex pendet & Prophetæ, dilectiõis Dei & dilectionis proximi, non immeritò plerũq; scriptura pro utroq; unum ponit, siue tantum Dei, sicut est illud: scimus quoniam diligentibus Deum &c. Et il-

Ad Ro. 8. lud, Quisquis diligit Deum cognitus est ab eo, & illud, Quoniã charitas Dei diffusa est in cordibus nostris &c. & alia multa, quia qui diligit Deũ cõsequẽs est, ut & proximum diligat, quia hoc præcipit Deus: siue tantum proximi, sicut est illud: Inuicem onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Et iterũ: Omnis lex

lex in uno sermone impletur in eo quod scriptũ est: Dili*ges proximum tuum sicut teipsum.* Et in Euangelio, *Quæcunq; uultis ut homines uobis faciant, facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ.* Hæc & pleraq; talia re*perimus, in quibus sola proximi dilectio ad perfectio*nem præcipi uidetur, & taceri de dilectione Dei, cum in utroq; lex pendeat & prophetæ. Vnde dicendũ est, quòd ex una eademq; charitate Deum & proximum diligimus, sed Deum propter Deum, proximum propter Deum, hæc ibi in summa. Talia autem in Epistola Ioannis Apostoli frequenter confirmat per innumeras pene scripturas, & concludit, in alterutro præcepto alterum contineri, ut alterum sine altero impleri non posSit. Hoc idem B.Greg.homi.22.eleganter docet manifestè hunc locum Matthæi referens ad dilectionẽ quæ est ex charitate. B.Thom. similiter ita exponit: *diliges proximũ tuũ sicut teipsum,* id est, eo fine quo teipsum, uel eo modo quo teipsum. Ideo, fine, quia non debes diligere te propter te, sed propter Deũ. Idem apud Paulũ ad Rom. ubi ait: *Qui diligit proximum, legem impleuit:* ita scribit: Dicendum est quòd illa dilectio proximi ad charitatem pertinet, & legem implet, quà proximus diligitur propter deũ: & ita in dilectiõe dei inclu*ditur dilectio proximi.* Hæc ibi: quæ etiam multis scripturarum testimonijs comprobat. Et in opusc. de dilec. Dei & proximi exponens quomodo hoc mandatum secundum sit simile primo, tripliciter inquit simile: Nam idem est actus in specie qui utrobiq; præcipitur, scilicet dilectio. Idem numero habitus charitatis à quo uterq; actus

Thom. in opusc. de dilect. Dei & prox. Item. 2.2.

actus elicitur, & unus idemq; finis, id est, Deus, in quē uterq; dirigitur, quia & Deus, & proximus propter Deū diligitur. Cū ergo proximus diligitur propter deū, solus Deus diligitur propter seipsum. Arist. ubi unum propter aliud, ibi unum tantum. Origenes similiter hoc præceptum, sed & subtilius exponens ait ideo simile hoc esse primo, quia idē officij & meriti est in utroq;. Neq; enim aut Dei sine Christo, aut Christi sine Deo utilis esse potest dilectio ad salutem. Hæc ille. Ad hæc interrogatus Dominus quæ facerent ad salutem, respō-
Matt.19. *dit, serua mandata. Rursus rogatus, quæ mandata, ea solum exponit, quæ sunt secundæ tabulæ, & ad proximū pertinent. Si hæc ergo satis sunt ad salutem ex cha-*
1.Cor.13. *ritate mandata esse intelligūtur. Alioqui ut Paulus ait: Si distribuero in cibum pauperum omnes facultates meas, charitatē autem non habuero, nihil mihi prodest. Vana ergo redditur noua ista Cardinalis expositio, cū ex doctrina sanctorum, tum uel maximè ex scripturis ac uerbo domini.*

Ex ca.23. *Illud omnino onerosum, quòd notat dominum prohibere nos uocari Rabbi, & non uocare, & prohibet uocare pater, & non uocari. Et intelligit quòd prohibemur uocare aliquem patrem secundum animam. At cur nō etiam prohibet uocare Rabbi secundum interiorem illuminationem? Tu ergo considera quòd licet aliter pronuncientur hæc mandata in uerbis, sensus tamen est unus: quia in utroq; prohibetur ne homines sibi usurpent quod est proprium Dei. Nam & dominus unam rationem adhibet in utrisq;, quia unus est magister, &*

unus

unus est pater, quæ ratio ita uiget ut prohibeat uolentem uocari, sicut & uocantem, siue Rabbi, siue magister. Credo tamen quòd quia appetitus noster in eo magis est, quoniam uolumus magis uocari Rabbi à scientia & magisterio, quàm pater ut pater, unde sunt iam tot magistri nostri, & quia nos facilius patrem uocamus, quàm magistrum, ideo dixit fortè Dominus de magistris & Rabbi, nolite uocari, & de patre, nolite uocare. Quicquid sit, sensus est clarus, & paria sunt mandata, & unam habent eandemq́; rationem, ut sit peccatum tam uocare magistrum quàm patrem. Si arrogemus hominibus quod est Dei, & similiter tam uelle uocari magistrum quàm patrem.

¶ *Docens nos Caietanus humilitatis uirtutem agnoscere in nobisipsis, sic ait: Si non intelligis, quomodo actus uirtutis sit humiliare se, distingue te hinc, secundum quòd [tuus] es: Inde secundum quòd Dei es, & discernẽdo inter te tuum, & te Dei, uidebis congruere, ut deijcias te tuum, non autem te Dei: Nã humiliare te Dei, est deijcere quæ Dei sunt in te, siue naturalia, siue gratuita bona: humiliare autem te tuum, est deijcere quæ aliunde quàm à Deo in te sunt. Affectus itaque ad se, secundum quod quisque suus est per pronomen se, significatur in humilitate, & superbia. Hæc ille. Quæ aut non intelligo, aut certè uanitatem potius docent quàm humilitatem. Primò enim omnis Christianus nescire debet hanc distinctionem inter se suum, & se Dei. Quis enim suus est? Empti estis pretio magno, & non estis uestri. Et hæc doctrina docet me respicere me meum.*

Quid autem habemus quod non acceperimus nisi peccata? At hoc non tam deijcere seu humiliare, sed prorsus abijcere atq; expellere debemus. Quod si dicat, peccata nostra sunt occasio ad humiliandum nos, bene, sed non minus Dei dona: ait enim scriptura: Quātò maior, tantò magis te humilia in omnibus. Et semper id quod humiliatur Dei est. Christus humiliauit se plusquā quilibet alius in immensum, & puto quod nihil suū humiliauerit, ut homo erat: sed quod Dei erat. Ipse enim totus erat Dei. Humiliauit ergo seipsum coram omnibus hominibus, & Anna, & Caypha, & Pylato, & Herode, qui nō solum erat Dei sed Deus, ut noluerit amore Dei reputari Deus, quod tamen erat, nisi ex necessitate & ad salutem nostram. Nec est indignū humiliare seipsum etiam secūdum dona & uirtutes, quæ Dei sunt, Deo & creaturæ, propter Deum tamen, cuius sunt omnia, cui omnia humiliari & curuari debent secundum quòd ipsius sunt, imò propter hoc ipsum quòd ipsius sunt. Quid enim est quòd nō humile sit & nihil coram Deo? Itaq; nō debemus nos placere nobismetipsis, sicut Christus, qui non sibi placuit, sed humilioribus consentire. Deniq; nisi fallor, uirtus humilitatis tutius est ut ab Apostolo & alijs sanctis, quàm à Reuerendissimo nostro discatur saltem hoc pacto.

Ecclesiastici. 2.

Nos itaq; nō debemus placere nobismetipsis.

¶ De camelo, quòd pro camelo nobis musconem uel asilum reddiderit, superius annotatū reliquimus. Sunt autem quædam talia, ut & lachrymas mihi simul & risum excutiant: nám & quod exponit de ornamentis sepulchrorum Prophetarū, quomodo in illo ornatu red-

derent

derent testimonium in Pharisæos, equidem non capio.

ETiam illud uel non intelligo, uel uanum est, quum exponens quod ait Dominus, Refrigescet charitas multorum: primum ait, quòd charitas uel significat amorem, uel formam amandi, quæ est uirtus theologalis. Ego enim non puto aliud esse charitatē quàm amorem qui dicitur in euangelijs ἀγάπη, nec uideo quomodo poßit charitas esse forma amoris, id est, uel sui ipsius, uel alterius amoris, ut ipse uult, usu quæsiti, cum & pueri per sacramentum, & hi qui statim charitatē acquirunt non prius amantes, habeant charitatem non formam talem. Neq; impoßibile est charitatem frigescere, ut putat, hoc enim manifeste uidemus, homines non sine charitate negligenter & tepidè operari, quod est frigescere. Quod uerò Greg. ait, si est amor magna operatur, intelligitur uel ut exponit B. Th. secundum propositum. Qui enim amat magna proponit, non tamen necessariò exequitur, uel de uero & perfecto amore, secundum quendam modum loquendi, quo quæ perfecta non sunt necesse quodammodo intelliguntur. Ex cap. 24. 2. 2. q. 24. ar. 15.

¶ Quòd autorem libri Macchabeorum ausus sit, licet obliquè, sed falsò & malè piè, reprehendere, indicaui superius primo libro. Illud ineptè (nisi ualdè fallor) exponit quod ait dominus in percussorē, quod ueniet ex improuiso & diuidet eum, uolens quòd loquatur de sectione animæ à corpore, cum longè rectius de sectione hominis ab Ecclesia intelligatur, à qua ut morbidū atq; inutile, abscindetur omnis impius & præuaricator.

Ex.c.25. Licet in Græcis exemplaribus in parabola uirginum non habeatur Sponso & sponsæ, sed tãtùm spõsæ, antiqui tamen Græci etiam habebant sponsæ, nec est uerisimile interpretem adiecisse de suo, aut casu adiectũ. certè sic legit Chrysostomus, & alij plures, & præsumptio est facilè ac tã leuiter antiquare uelle tã probata.

¶ Expositio eius parabolæ quam facit, meo quidem iudicio, non solum parum illustris est, uerùm & in multis peccat. Illud specialiter annotandum est, quòd has decẽ uirgines intelligit non omnes fideles, sed eos tantum quorum opera bona luceant, quos & dormientes & Nota. dormitantes ponit, non de somno mortis intelligẽs, sed negligentiæ: & dicit dimidiam partem horum saluandam, uult enim claudi etiam uiuentibus regni ianuam. Terribile omnino iudicium, sed iuxta nouum & inauditum commentum.

¶ In parabola talentorum, præter alia quæ non placent, illud est quod ait, non est quærendum quomodo hæc propriè uerificentur de Deo, utputa illud, Metis ubi non seminasti, cùm falsæ existimationes sint. Miror primò dicendi modum & confidentiam. Prohibet quæri quod ipse non inuenit, acsi sit impossibile inuenire quod non inuenit ille. Proinde non esse falsas existimationes uerbum patrisfa. satis arguit, qui non dixit id falsum esse, sed admittens ut uerum, ait: Ex ore tuo te iudico, laborat similiter in applicando quomodo seruatũ fuerit talentum integrum: sed poterat hic locus diligentius considerari, & aptari ueritas uerbis istis de quo tamen nos in dialogis.

Et

¶ Et illud miratus sum, quòd ignem æternum in quem dominus in iudicio reprobos eijcit, primò dicat esse corporeum: quia scriptura uocat ignem, & sic intelligere nullum habet obstaculum, & tamen paulopost dicit, insurgere difficultates, ex eo quòd hic ignis paratus dicitur Diabolo & angelis eius qui non possunt pati ab illo igne. Et apud Marcum cap. 9. ait, rationabiliter conijci quòd sicut uermis damnatorum non est naturalis, ita & ignis: sed uterq; metaphoricus. Hæc indicaui non ut quæstionem determinarem, sed ut doctoris incōstātiā monstrarem. Inconstantia doctrinæ.

NOn placet expositio eorum uerborum, Bonum erat illi si natus non fuisset ille homo, ut restringantur si in utero materno mortuus fuisset, cùm simpliciter uera sint, quod alibi suo loco declaro. Ex. c. 26.

¶ Quòd narrat euangelista: Accepit panem & benedixit, ad benedictionem laudis trahit non consecrationis, suo commento & absque ratione. Sancti enim doctores, &. D. Thomas oppositum docēt: sed & hoc alibi tracto.

¶ Ex eo quòd ait dominus, non sicut ego uolo, sed sicut tu, colligit cōtra hæreticos in Christo duas uolūtates: humanam ex eo quòd dixit: non sicut ego uolo: & diuinam, ex eo quòd addit, sed sicut tu. Miratus autem ego sum hic uirum alioqui acutum, cùm hinc solùm habeantur duo appetitus, uidelicet secundum partem inferiorē sensus, & secundum rationem: alioquin ad quemlibet bonum hominem pertinet dicere, non sicut ego uolo, sed sicut tu. Ergo quilibet talis, esset Deus.

Quòd

Ex cap. 27. QVòd exponit uerbum domini, Quicunq; acceperint gladium, gladio peribūt, referens hoc non ad euentum, sed ad meritū, rectè exponit: in ientaculis autem, quia aliter dicit, non rectè, ut uideas etiam doctrinæ inconstantiam. Declarans uerba dicentium de pretio Iudæ, non licet eos mittere in corbonam, sic exponit, uerè colantes culicem, & glutientes asilum ubi loco scripturæ seipsum citat. Nota.

¶ Sōniū uxoris Pilati nō fuisse ab angelis, sed à dæmōe existimat, q uolebat liberare Iesū. Scio & quosdā sic putasse, quibus nequeo cōsentire: de quo tamē alibi tracto.

¶ Quòd ait Iesum à Pilato flagellatum, quia arbitrabatur flagellis corripiendum, quia se fecisset Meßiam, omnino procul à uero est: quoniā sæpius acclamauit Pilatus eum esse iustum, & per inuidiam sibi traditum, & satis innuitur apud Io. (quod & Caietanus aduertit ibi) quòd Pilatus ut furorē ac rabiē Iudæorū mitigaret, dedit dominū flagellis, non quia mereretur, sed ut sic satiaret illorū dirū sanguinis appetitum. Et indignū est omnino quòd existimat Pilatū spreuisse ac tradidisse Christū morti tāquā fatuū, de quo apud Io. differemus.

¶ Modum quo factæ sunt tenebræ in cruce existente domino incertū ponit, hoc probat tamē tāquā certè mirabilius, sine interposito aliquo corpore fuisse subtractos solis radios à tota hemisphęrij diurni terra. Id uerò cōtra Dionysij testimoniū, ac D. Tho. autoritatē qui meritò magis illā eclipsim probat, etiā ut mirabiliorem. (Thom. in. 3. q. 44. ar. 2.)

Ex. c. 28. LOngiore sermone per una sabbati, nō significari diē dominicū differit, & diffinit, & ideo apud Io.

20. dicit

20. *dicit, oẽs euãgelistas cõcorditer scripsisse una sabbatorũ. At certè falsò ambo hæc: Marcus enim ut etiam in Græcis legitur, dixit una sabbati: & Hiero. ad Ebidiã. q. 3. declarat per hoc idẽ significari, id est, dominicũ diem.*

¶ *Ex uerbis angeli dicẽtis, ubi positus erat dominus, colligit diuinitatẽ nõ separatã à corpore Iesu sepulto: alioqui nõ uerè dictum fuisset positũ ibi dominũ, sed corpus eius. Quod colligit procul dubio uerissimũ est. Sed unde colligit nõ placet, quia mille instantijs perimitur. Dominus enim de Lazaro interrogat, ubi posuistis eum? Et de Stephano scribitur, quòd uiri timorati curauerunt eũ, cùm tamen curauerint corpus eius. Itaque nollem rẽ alioqui probatam, his emendicatis, aut potius extortis probari argumentis, quæ licet nouitijs uideri possunt subtilia, lectionis tamen diuturnioris uiris futilia sunt.*

¶ *Dixit dominus, baptizantes eos in nomine &c. Caietanus hic rectè notat, Hinc habetur regularis forma baptismi. Ego te baptizo: seu baptizetur iste in nomine patris & filij, & spiritus sancti: hoc annotaui, quia aliter aliàs docuit, de qua re & nos inferius.*

¶ *Dixit dominus: Docentes seruare omnia quæcunq; dixero uobis. Caietanus hæc sic exponit: Mãdaui ego, non mandabitis uos, mea enim mandata seruare necessarium est ad salutem, uestra autem esse possunt mortifera. Hæc ille. Ego uerò (ut sermonis congruentia propter dictionem aduersatiuam uidebatur exigere expectabam, ut simplicius diceret, Vestra autem non est necessarium seruare ad salutem, & huius loco audio,* *Inconstantia doctrinæ.*

uestra autem possunt esse mortifera. Nam cui dubium hoc erat? nō est hic sermo omnino purus, & propter hæreticos saltem magis explicari debuit ueritas: Nam & Dominus hoc mādauit, Seruari à nobis apostolica præcepta.

¶ *Quod etiā exponit ideo dixisse Dominum, Ego uobiscum sum, & non ero, ut significaret præsentiam diuinam, non corporalem, non est probandum: cum & de sacramēto id rectè intelligatur, in quo est nobiscum corporali præsentia licet inuisibiliter.*

Annotata ex commentarijs Caietani super Marcum.

Ex primo. c. PRo eo quòd legimus, In Isaia Propheta Caietanus mauult legere, In Prophetis. Verum non tam prōptuli debemus esse ad mutandum, præsertim quum Græci etiam codices uariè habeāt. Hoc dico, quia & id passim facit Caietanus nec ualde consultò. Hieronymus autem & graues autores non ita. Quare & hoc in loco ipse Hieronymus id non probat.

Hieronymus de optimo Gen. interpret.

¶ *Ex uerbis Ioannis, Non sum dignus soluere corrigiā calceamentorum, quòd Dominus portauerit calceamēta ineptè colligit. Nam hic erat tropus dicēdi. Lotio autem pedum eius à peccatrice, oppositum magis suadet.*

¶ *Quòd etiam hic, & alijs multis locis, asserit dæmones nō cognouisse Christum meßiam & Deum, nec ue-*

rum

rum nec probabile puto, certe leui mouetur argumēto, nec opposita resoluit.

Notat hic & bene, Aliorū meritis nos iuuari & circa corpus & circa animam. & tamē alibi eū aliter docuisse ostendimus. Ex.c.2. Inconstantia doctrinæ.

Omisit hic ista uerba, Et clamans uoce magna dixit: Et post hæc sequitur, Quid mihi & tibi. Nō tamen hunc errorem pro magno reputo. Ex.c.5.

Notat hic, quòd ex industria dixit Marcus quòd misit Dominus calceatos sandalijs prout erāt calceati, ne erraremus in Matthæo intelligendo ipsum prohibuisse calceamēta. Sed non uidit Caietanus aliud esse sandalia, quæ hic permittuntur, aliud calceamenta, quæ apud Matthæum prohibentur. Sandalia enim iussit Angelus Petro ut sumeret, nō caligas. Nam & Romæ una solearum illarum Petri ostenditur ueneranda. Sunt enim Sandalia soleæ quæ pedum plantas defendunt ab humo & lapillis. Ex.c.6.

¶ Item notat hic quòd Dominus nullum de indifferentibus præceptum dedit, quod uel ex hoc loco euidentissimè confutatur, ut patet Luc.22. ubi hoc mādatum reuocatur. Quin & ipsemet Caietanus Luc. 10. de his præceptis sic scribit. Hinc habetur quòd gratia materiæ secundum se indifferentis, in hoc & similibus præceptis excluditur urgens necessitas. Inconstantia doctrinæ.

¶ Quod uerò ait: Ab uniuersa doctrina euangelica discrepat, mandare de cibo, potu, uestibus, barba, capillis, & huiusmodi quæ indifferentia sunt, utpote res indigna tanto ac tali doctore, & ut per hoc cognoscamus

ipsum

ipsum esse Deum qui fecit omnia, cui omnia seruiunt, cui nil horum displicet, qui uniuersis in toto orbe nationibus leges dabat, omnibus & singulis congruas, nulliq; incommodas, nulla exceptione alicubi aut aliquãdo egentes &c. Hæc ille. Quæ profectò, ut parcißimè loquar, falsa sunt, & hæreticorum pernitiosis dogmatis

Gen. 2. consentanea. Si enim hæc indifferentia sunt, & nõ sunt curæ Deo, cur igitur Deus à principio mandauit de cibo, & præcepit ut se abstinerent ab eo? & hoc in statu innocentiæ? nunquid incusabitur Deus? aut fortè quod nõ fuit indecẽs in statu recto, erit indecẽs in statu peccati & luctus? Et cur laudatur Ioãnes in euangelio de cõtẽptu ciborũ, si hæc, ut ait, indifferẽtia discrepant ab

Gen. 3. euangelica doctrina? Et de uestibus nonne sollicitatus est dominus à principio, faciens peccatoribus tunicas pelliceas? Et in euangelio non extulisset tãtopere dominus Ioannem à cultu aspero uestium, & obliquè taxasset

Matth. 2. molliores, quum ait, Quid existis in desertum uidere? hominẽ mollibus uestitum. Ecce qui mollibus induũtur, in domibus regũ sunt. Et euangelista cur tã diligenter illum nobis depingit cum uestimento de pillis camelorũ & zona pellicea? Et de colore, nonne sollicitatur dominus cùm uituperat diuitem induentem byssum & pur-

Gregorius. puram? unde Greg eleganter ibi. Sunt qui cultum subtilium pretiosarumq; uestium, non putant esse peccatum. Quòd si culpa non esset, non tam uigilanter sermo Dei exprimeret, quòd diues qui torquebatur apud inferos,

Augustinus. bysso & purpura fuisset indutus. Hæc ille. Augustinus ut Christi pauper de pretiosa ueste erubescit. Laudat Paulus

Paulus, qui melotis & pellibus caprinis tegebātur. Et mulieribus præcipit, ne intortis crinibus, aut auro & margaritis se ornent, aut ueste pretiosa, sed modestiam & uerecundiam seruent. Et. B. Petrus extrinsecus capil laturam, & aurum circundans interdicit eis. In Deute ro. uirilis habitus mulieri, & muliebris uiro prohibe-tur. In prouerbijs meretricius uituperatur. Isaias mirifi cè uaticinatur in fœminas, quæ his ornamentis plus satis incumbunt. Et commemorat lunulas, olfactoria, inaures annulos, gemmas in fronte pendētes, & alia multa, pro lixiore sermone, quæ longum esset recensere: nec etiam omnes omnia decent: non idem lenonis habitus est, qui est ciuis aut philosophi, nec plebeius consularem, aut senatoriam uestem, sine uituperio sibi sumet. Christus ueste alba & purpurea in derisionem induitur, ut hinc accipias, non omnibus omnia conuenire. Quis mollem habitum probet in professore Apostolicæ uitæ? aut pur puream, aut sericam uestem? Prudēter aiebat Socrates, Sicyonios calceos aptos quidem pedibus, sed Socrati nō conuenire. Si naturali ratione homines agnouerūt hanc discretionem ad honestatem & mores attinere, cur di- cemus ab euangelica discrepare doctrina? Credimus & nos. B. Virginē habitum nostrum album accepisse. Quid igitur? discrepuit illa à doctrina filij sui? Adiecit & de barba & capillis nihil dominum præcepisse. Sed principes apostolorum id commemorarunt, quorum al- ter capillaturam extrinsecus, alter intortos crines uitu- perat, & uituperium uiro asserit nutrire comam. Cre- dibile est ex apostolorum traditionibus uenisse, clericos

Marginal notes: Ad Heb. 11. — 1. Tim. 2. — 1. Petr. 3. — Deut. 22. — Prou. 7. — Isa. 3. — Luc. 23. — 1. Pet. 3. — 1. Cor. 9.

Hieron. AdEustoch. tonderi, ac radi capillos in uertice. Hierony. in eos qui circa hæc peccabant sic eleganter & pro suo more inuehitur. Sũt (inquit) quæ uirili habitu ueste mutata erubescant fœminæ esse, quod natæ sunt, crinẽ amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas. Sunt quæ cilicijs uestiuntur, & cucullis fabrefactis imitantur noctuas & bubones &c. Et paulopost. Viros quoq; fuge, quos uideris catenatos, quorum fœminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientia frigorum pedes &c. Et paulopost. His

Augustinus. In lib. de opere monachorum. cura est de uestibus si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat, crines calamistri uestigio rotantur &c. Augustinus etiã uehementer in eos excandet, qui contra Apostolicum præceptũ nutriebãt comam, & cauillosè scripturam eludebant. Non igitur adeo discrepant hæc ab Euangelica scriptura, quæ Euangelici & Apostolici uiri tantopere curauerunt. Fateor tamen quòd Dominus Iesus noluit de his, quæ poterãt commodius ab Apostolis & alijs discipulis specialibus traditionibus edoceri ac præfiniri, explicitè sermonem facere. Sed quid est quod ait, Non dedisse Dominum talia præcepta, ut cognosceremus eum esse Deũ qui fecit omnia, cui omnia seruiunt quasi uerò non sit eousq; cognitus Deus in ueteri testamẽto, qui multa huiusmodi præcipiebat & uiliora, & proculdubio indifferẽtia? Et quid est quod addit, cui nihil horum displicet? Imò uidemus displicere. Et quid est etiam quod a diecit, dedisse leges nulli incommodas? Non ergo arcta est uia quæ ducit ad uitam, discipuli duram uxoriam legem dicunt, uel ipso Christo

Matth. 19.

probãte

probante: Et ipse Christus difficile esse (inquit) diuitem intrare in regnum cælorum. Et Paulus, per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Et nũc audimus leges domini nulli incommodas: Verum est tamen uerè diligentibus Deum, quibus nihil tam difficile & arduum quin fiat facile atq; peruium, non esse incommodas leges Christi. Nec est uerum quod adiunxit, pestiferè, omnia mandata domini omnibus congruere. Hieronymus enim ait: non omnibus præceptum est, ne duas tunicas habeant, ne cibos in perá, æs in Zonis, uirgam in manu, calceamentum in pedibus, ut uendant uniuersa & dent pauperibus. Et Petrus non temere interrogat. Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Sciens nõ omnibus eadem præcipi, propter diuersos status atq; officia, quanquàm hæc noui hæretici confundãt improbè atq; impiè. Act.14. Luc.12.

DE surdo illo ac muto dicit quòd non erat mutus, sed uix ualens loqui, sed quomodo id probat? Itẽ quod bene legitur, Misit digitos suos in aures eius. Ipse sic mutat improuidè, Expuẽs in aures eius; solùm enim legitur, quod expuens tetigit linguam eius. Ex cap.7.

LEgitur in hoc capite rectè: At illi ignorabant uerbum, & timebant illum interrogare. Falsò autem ipse ait has octo dictiones esse superfluas. Ex cap.9.

FAciens sibijpsi quæstionem, quomodo dimittentes uxores suas dominus magnificet, non aduertit, in eius solutione quòd homo potest dimittere uxorem, uolente ipsa tamen, gratia amplioris frugis & status perfectionis imò ipsa quoque inuita, si non sit consumma- Ex cap.10.

tum matrimonium copula carnali. Item quòd satis dimittit qui amputat sibi facultatem habendi: ac similiter de filijs, quos etiā si habeat dimittere potest, modò non indigeant particulariter eius cura.

Ex cap. 11. *Nec probabile est, nec ullo mō necesse, quòd Marcus aliam eiectionem è templo, uendētium & c. narrauerit, quàm quæ narratur à Matthæo, ut omnes putant, quanquam nullum sequi huic inconueniens cernat Caietanus, ut ait.*

¶ *De ficu maledicta & statim arida facta, Quod ait Caietanus, quòd non uiderunt discipuli continuò ipsam aridam factam, contra Euangeliū est, Matthæi, ubi admirati discipuli describūtur, & dixisse: Quomodo cōtinuò aruit? Non obstat autem quòd ex Marco uidetur Petrus recordatus dixisse quasi altera die, Rabbi ecce ficus & c. Quoniā ficū à longe maledixit, quæ cōtinuò aruit dicto uerbo, Sed cū alia inter eundum occurrerēt, cū postmodo prope eā uidisset Petrus, recordatus est uerbi Iesu & maledicti. Et sic omnia bene procedunt.*

¶ *Hic & alibi multis locis notat, quòd olim orātes stabāt, quod meo iudicio nō debebat accipi quasi regula: legūtur enim multi flexis genibus orātes & adorātes, nec etiā semper hoc uerbū stare significat corporalē situ*
Matth. 26. *Certè Iesus cū orauit, in faciē suā procidit. Lucas ait*
Luc. 22. *positis genibus. Et sic Stephanus. Et de Salomōe, Danie*
Act 7. *le, Esdra, & alijs legitur quòd genibus flexis orarunt.*

Ex cap. 13. *Miratur Caietanus eos, qui censerent mutandum esse uerbum. uidete, in cauete, cum in Græco legatur, βλέπετε, id est, uidete uosmetipsos. At certè*

hoc

hoc monebat Dominus, ut cauerent sibi ipsis: Alioquin quid est uidere seipsos, nunquid in speculo, aut umbra? Hoc tropo etiam usus est Paulus, dicens, Vide ne cadas, id est, prospice, caue. Credo autẽ, quòd sit tropus oĩm linguarũ certè tusca lingua sic dicimus, nec uerò uerbũ uerbo semper reddẽdũ est ab interprete fido, ut quidã rectè. Quòd si obseruasset Reuerẽdißimus in psalmorũ expositiõe, qui nimis (aut ualde fallor) superstitiose affectauit uerba & fidẽ adhuc perfidis habuit, felicius ipsum sensum in multis assecutus fuisset. Nã & hic & apud Matthæũ notat tribulationẽ futurã in ultimis dierũ, nõ quãtitate, sed qualitate superaturã oẽm aliã, quia dixit Euãgelista talis qualis, & nõ tãta quãta, quasi uerò qualitas peior in tribulatiõe, nõ augeat in quãtitate tribulationẽ, & quasi nõ sit per illã futurã tribulationẽ omnis caro destruẽda, nõ minus quã per illã diluuij, & quasi nõ dicat Matthæus tribulationẽ magnã qualis &c. Vt notetur illa qualitas pertinere ad magnitudinẽ, sic dicitur de grandine & pluuia, grãdinẽ multã nimis, qualis nõ fuit in Ægypto: unde declarãs ait quòd tãtæ fuit magnitudinis quãtæ nũquã apparuit &c. Et alibi, & terræmotus factus est magnus qualis nunquã fuit sic magnus: Imò in hoc ipso capite in principio quũ dicitur, Aspice quales lapides, & quales structuræ, procul dubio magnitudo ibi lapidum & structurarũ significatur, ut ibi declarat statim Dominus dicens, uides has magnas ædificationes. Sunt autem & pro hoc instantiæ plures in scripturis, quas tædium est inquirere, nec in his oportet si quis proteruiat, esse contentiosum.

Matth. 24.

Exod. 9.

Apoc. 16.

¶ *Nec puto bene expositum ab eo quod ait Marcus, à summo terræ usq; ad summum cæli, sed ut dixi, tædiū est insistere.*

¶ *Nec illud quod ait, neq; filius scit, puto esse benè expositum, intelligendo de notitia naturali. Non enim illustris est sensus, sed ob hoc non dicitur scire filius, quoniam nescit ut doctor & magister noster, nō habent potestatem reuelandi illud. Pater autem dicitur scire, quia potestatem habet reuelandi cui uult. Sed non omnes capiunt hæc, quæ sunt propria scripturarum, & mirificè dicta.*

Ex cap. 14. *VBi legitur nardi pisticæ secundum Græcam ueritatem, ipse mauult unguenti pistici: non enim timetur, inquit, adulterina nardus, sed unguentum: imò nardus adulterina timetur, cùm sint tot nardi genera:*
Nota. *unde quidam purum appellauit quod euangelista fidelem, illius puro distillent tēpora nardo. Plinius ait quòd adulteratur pseudonardo herba. Porrò quî posset esse unguentum falsum uel adulterinum, nisi ex quibus fieret, ipsa essent adulterina? Quare cogor sæpe mirari hunc uirum.*

¶ *Ait Marcus, quando pasca immolabant, exponit iste proculdubio Iudæi, idq; contra dogmatizantes Iesum præuenisse diem quo Iudæi immolabant pascha. Hæc ille nimis audacter profectò. Est enim opinio cui assentior, quòd Christus illo anno comedit agnū feria quinta, quæ fuit illo anno parasceuæ pasch[illegible] iuxta ritum legis. At Iudæi suum pascha die sabbati celebrarunt, non ex lege sed ex traditionibus patrum, quæ & nunc seruant:*

uant:ut cùm ex lege contingeret paſcha in paraſceue ſabbati transferrent feſtum, in ſabbatum, quia non erat conueniens in feſto tanto eſſe paraſceuem. Annotauit *& hoc*. D. *Paulus* Burgenſis. *Quæ res tunc maximè fa uit ut implerentur ſcripturæ*. Nec *obſtat quod ait* Mar *cus, quòd uenit primus dies azimorum quando immola bant nimirum* Iudæi *paſcha: non enim dicit quòd ille fue rit primus dies azimorum quando, aut in quo* Iudæi *im molauerunt, & cautè id quidem, ſed ut morem eorum tantùm notaret, quòd in primo die azimorum ſolebant* Iudæi *immolare paſcha iuxta ritum legalem* : Et quòd *dominus elegit illum diem, quando ipſi ſolebant immo lare, non dico diem* Veneris, *ſed diem primum indictum azimis ex ipſa lege, non aduertit reuerendiſſimus, uim uerbi, quod eſt temporis præteriti imperfectionem fa cti ſignificantis*. Alioquin *poterat ueriſſimè dicere, im molauerunt: hanc tamen quæſtionem alibi ſeruo tractã dam latius.*

¶ Ineptè *ac falsò notat, dominum apud* Marcum *mi tius fuiſſe locutum cum* Petro *dicentem, priuſquam gal lus cantet bis, ter me negabis: nam apud alios, inquit, pe iora prænunciauit, uidelicet ſimpliciter antequam gal lus cantet, ita ut uelit ante primum galli cantum ad mi nus ter illum negaſſe, quod certiſſimè eſt contra ipſum met* Marcum *& alios euangeliſtas, de quo aliquid inſe rius.*

DE *hora tertia quòd irrationabiliter ſuſpicetur mendosè legi, ſuperius annotauimus.* Ex cap. 15.

¶ De *heloi etiam non erat ſuſpicandum corruptum lo*

cum esse: quoniam apparet Christum frequenter Chaldaicis usum dictionibus, ut peritiores notant: unde etiã magis mihi placet, quod quidam ait eruditus in ijs (licet ille mihi summopere displiceat, quia primam fidem irritam fecit) quòd dominus dixerit lama sabactani, ut etiam Græci legunt, & non lama asabthani, ut Cardinalis accepit à suis rabbinis.

Innuit apostatam Sebastianũ Munsterum.

ANNOTATIONVM IN COMMENTARIA EIUSDEM SUPER LUCÃ & IOANNEM, LIBER III.

De erratis eiusdem super Lucam & Ioannem.

Ex primo capite Lucæ.

ANGELVS AIT, ET IPSE *præcedet ante illũ: manifestè per illum demonstrat dominum Deũ ipsorum, id est, Christum, ut deus & dominus hic apertè Christus significetur, nec oportebat exterius quærere, quid referret ly illũ, quod facit Caietanus.*

¶ *De scriptura Malachiæ puto non aduertisse Caietanum*

nũ, quòd nõ minus loquitur de Ioãne Baptista, quàm de Elia. quòd utrũq; aduẽtũ ponit: sed hac de re in dialog. ¶ Secutus Erasmũ quòd B. uirgo dixit in cãtico: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, negat esse dictum de humilitatis uirtute, sed ut sit sensus quòd dominus dignatus sit aspicere ad exiguitatem, seu infirmitatem ancillæ suæ: unde in eis uerbis non seruatur uirtus humilitatis, sed magis exercetur opere, & hoc magis quadrat humilitati. B. uirginis, quàm cantare uirtutem humilitatis suæ aspectam à Deo: hoc enim sonat ad meritum propriæ uirtutis respexisse Deũ, quod dicere procul est ab humilibus. Hæc ille. Et adiecit. Intellige autẽ exiguitatem quò ad merita ex parte sui, non ex parte donorum Dei in ipsa. Quo in loco uiri prudentiam desidero, qui à communi doctorum sententia recedere, etiã eorũ qui Græcæ linguæ fuere peritißimi, ut Origenes, & Hieronymus, & Ambrosius, & alij permulti, non dubitauit. Quàm feliciter autem, & in quot offendat, breuiter explicabo. Primò quidẽ, ut periti linguæ aiũt, ea uox ταπείνωσις non propriè paruitatem, cui magnitudo opponitur, sed magis infirmitatem, cui opponitur altitudo: imò nec propriè infirmitatem, quæ potiùs ταπεινότης dicitur, sed demißionem siue humiliationem significat, nec propterea errauit interpres, qui uertit humilitatem: nam sæpe eodem nomine & habitus & actus significãtur. Sed actus sunt, qui ut digni præmio à domino respiciuntur: ideo dixit dominus. Qui se humiliat exaltabitur: unde qui magis se humiliat, etiã magis exaltabitur: & qui maximè, maximè. Secundò offen- Luc. 18.

dit, quia falsum est quod ait, quòd exiguitas Mariæ quoad merita respecta fuerit à Domino, cum respicere hoc in loco sit probare, & afficere præmio. Maria autē ex parte sui, sequestratis Dei donis, nullo modo erat respicienda, quia ex se nihil erat. Deiectionem ergo illam & humiliationem suijpsius, quam humilitatis uirtute exercebat. B. Virgo, respexit Dominus, & hāc, in spiritu exultans, prædicat Dominum respexisse, iuxta quod scriptum est, Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & humilem, & contritum spiritu? Tertiò nec uerū est procul esse ab humilibus, quod & hic ait Erasmus, canere uirtutes suas esse respectas à Domino, si id fiat in spiritu, ex charitate, in gloriam & laudem Dei, cum gratiarum actione, & sui cognitione ac bonitatis diuinæ, præsertim ad aliorum excitationem & ædifica-
Matth. 2. tionem, ut fecit. B. Virgo. Sicut & Christus cùm ait, di-
Io. 8. scite à me, quia mitis sum et humilis corde, & alibi,
Psal. 131. Ego eius uolūtatē facio semper: & Dauid clamat. Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius. Et alibi, Iudica me Deus secūdum iustitiam meam, & se-
1. Cor. 2. cundum innocentiam meam super me. Paulus ait, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Lege Iob cap. 21. qui pene dixerim in immensum nō solùm humilitatem, sed cæteras heroicas uirtutes suas prædicare uidetur,
Ad Gal. 2. & Paulus quanta de se? Sed aiebat, non ego, sed gra-
2. Cor. tia Dei mecum. Paßim autem huiusmodi prædicationes
1. Cor. 15. de seipsis sanctorum uirorum reperias in scripturis, si animaduertas. Quare exigebat uerè Christiana humilitas, ubi nihil erat offensionis in sensu, imò audeo dicere,

re, cum hic solùm sensus illustris sit (non enim à Deo respicitur, ut præmio afficiatur, quicquam, præter uirtutes & actus uirtutum) & uerba non repugnabant, & sancti doctores, ita interpretati sunt, tũ doctis & gloriosis etiam sanctitate uiris assentiri, nec putare omnes fuisse aut cæcos, aut stultos, qui nescirent uim uocum, & an liceret uirtutes proprias & humilitatem prædicare. Hac tamen de re contra Erasmum fusius scripsi.

¶ Illud mirum supra modum quòd tractans illud de Zacharia, postulans pugillares scripsit, dicens, uoluit participium, dicens, accusatiuum casum esse, ut sit sensus, scripsit rem uel scripturam dicentem, quia ipse Zacharias cum mutus esset loqui non poterat, quasi uerò scriptura loquatur, ac non potius per scripturam qui scribit, nec uidit quòd λέγων habetur in Græcis, recti casus, & generis masculini. Neq; considerauit quòd ipse Zacharias mutus, tunc id loquens, linguæ officium recuperauit, dicens simul ac scribẽs. Et propterea dicit Euãgelista quòd mirati sunt uniuersi. Alioqui quid miri fuisset, scripsisse mutum? Illud etiã quod uult in eius cantico ubi legimus, Oriens ex alto esse apostrophen & uocandi casum, & illuminare modum indicatiuũ, quis probet? Ego certè miror quomodo hæc poterat excogitare.

Nescio unde considerauerit, quòd Herodes diligẽter exquisiuit ubi fuerant magi, quasi hoc Herodem latuisse scriptura innuat: Nec uideo unde hinc arguat, quòd Christus nõ est natus intra muros Bethleẽ, Ex cap. 2.

quod

quod magis exprimit prophetia.

¶ Confusa mihi uidetur eius expositio in hymno angelico eius, quòd iuxta Græcã ueritatẽ habetur in hominibus bona uoluntas, quia ordo ultimus in priore continetur, sensum ego (ni fallor) ueriorem explico in dialogis.

¶ Circa legem oblationis hostiæ pro peccato, cùm sit quæstio utrum daretur hæc hostia pro puero, an pro muliere, annotaui inconstantiã doctrinæ. Nã olim super summã D. Tho. mordicus tenet, quòd pro puero nõ pro muliere, autoritate huius loci & Augustini & Tho. hoc in loco autem oppositum innuit, suo autem loco, uidelicet in Leuit. manifestißimè statuit.

Inconstantia doctrinæ.

Leuit. 12.

¶ Quòd legitur, factum est post triduũ, exponit non post diem tertium, sed post ternarium numerum dierũ. Insolens omnino loquẽdi modus, & ignoro radicem cur sic exponere coactus sit: certè Græcè legitur, μεθ' ἡμέρας τρεῖς, id est: post dies tres, nam & sic fuit: quarto enim die ab ipso die festo, qui fuit dies tertius disputationis, inuentus est à matre in templo.

Ex cap. 3.

PRophetiam illã, Videbit omnis caro salutare dei, planè de secundo aduentu loquens uiolenter torquet ad primum.

¶ De ætate Iesu, quòd annum expleuerit tempore baptismi trigesimum contra Caietanum & aliter opinantes proprio libello tractaui.

¶ De altero Cainãrõ esse fas admittere genealogiã superfluã iã superius ãnotaui, ne mẽdaciũ esse ullũ in scripturis cogamur fateri quod non uerentur ij noui magistri. Quomodo autẽ defendatur hoc, in dialogis scripsi.

Diffe-

Differentiam quam hic docet inter diem sabbati & sabbatorum etiam superius improbaui. Ex cap. 4.

¶ Socrum Petri liberauit à febri dominus in Capharnaum, ut ex filo euangelij patet: ipse uerò futili argumēto adductus putat fuisse hoc in Bethsaida, & huiusmodi commentis replet cōmētaria, quæ & si uera essent, ad nihil tamē utilia, nisi ad torsionē ingeniorum gratis.

Ubi & Latinè & Græcè legimus, homines eris capiēs, ipse emēdat, aut uerius corrūpit, legēs uiuos capiēs. de publicano autē quòd reliquerit omnia, satis superius tractatum est. Ex. c. 5.

Centurionis historiam nōn circumspectè puto ab illo esse tractatam: Putat enim se cogi ad exponēdum certo modo quædam, ubi uerè non cogebatur, uideat prudens lector. Ex. c. 7.

¶ Falsò ait illa uerba, Ait autem dominus, cui similem &c. non esse de textu. in Græcis enim habentur, & sine illis mutilus esset & mancus sermo.

¶ Circa peccatricē in multis aberrat. Hic pauca & strictim memorabo. Primū, quòd id quod dicitur, erat mulier in ciuitate peccatrix, exponit .i. mulier ciuilis. Secundū, quod arbitratur illam ciuitatem fuisse Ierusalem, cùm ex filo euangelij pateat quòd erat Naim ubi suscitauit filiū uiduæ. Tertiū, quòd existimat in eadē domo factā hāc unctionē, ubi facta est alia unctio, de qua cæteri euāgelistæ, quæ sinè dubio fuit Bethaniæ. Quartū quòd putat iuxta quædā apochrypha, quòd idē homo fuerit Simon leprosus & Simō Pharisæus cōtra sentētiā Augu. multò probabiliorē: nā quō cōsequēs esset quòd liberatus à domino à sua lepra tā malè existimaret statim de illo?

Quintum

Quintum, quòd ponit eandem domum habitasse phariseum & peccatricem, quod quàm sit uerisimile, genus Pharisæorum, & Pharisæi illius despectus in eam satis declarat. Sextum, quòd frustra commentatur quonam pacto potuerit stans mulier rigare pedes domini: ignorauit enim morem ueterum, qui in lectis accumbebant edentes: unde etiã illa stans poterat rigare pedes eius. Dixit enim Poëta, Inde thoro pater Aeneas sic orsus ab alto. Postremum est quòd ex ea sententia domini, Dimittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum, colligit quòd non dimittuntur nobis peccata multa nisi diligamus multum. Incidit autem in fallaciam consequẽtis, & argumentum colligitur in secunda figura assertiue: & falsum concludit, quoniam minima charitas satis est ad dimittenda omnia peccata quantum ad culpã tamen, ut docet Thom. quòd si de pœna etiam loquitur textus, aliud esset, sed hoc explanandum erat. Ostendit autem omnino se parabolã ibi Domini nõ intellexisse.

Ex cap. 8. VNde magnum argumentum ille sumit ad probandũ quòd Maria Magd. de qua in hoc cap. sit illa peccatrix, de qua supra cap. prox. ego inde magnum sumo, quòd non sit illa: Illa enim dimissa est ut iret in pace, hæc describitur iam & antea sequens Iesum illa impetrauit ueniam peccatorum, hæc curata est in corpore à spiritibus malignis, id est, à dæmonibus septem, ut clarè dicit litera, imò ipsemet exponit ibi, spiritus malignos uexantes corpus. Hic uellem æquum lectorem, & non qui iam ex præiudicio rem æstimet.

¶ Quod legitur, ut in Græcis habetur, Occurrit illi

uir

uir quidã ex ciuitate, ipse exponit, id est, homo ciuilis, quidnã uerò ad illam expositionẽ illũ adegerit nescio. Cur enim non sic exponit quod sequitur, nunciauerunt eis qui uenerunt ex ciuitate, id est, hominibus ciuilibus? Hem quid persequi cogor? Me miserum.

Christus (quamquam doceat aliter Caietanus) multoties prædicauit se esse meßiam, licet hanc prædicationẽ negauerit discipulis cõuenientißimè, quoniã primò firmanda erat propria eius attestatiõe & nõ uti testibus iam tũc parũ idoneis: imò ut dixit Pilato, In hunc mundum ad hoc uenit, ut testimonium perhiberet ueritati, id est, sibiipsi qui erat ueritas. Nam si prædicabat se Dei filium, & æqualem patri, quid obstabat cur uellet abstinere à titulo meßiæ? Nam quoties illi acclamatum est quòd esset Christus, ipso non renuente. Item Samaritani nonne faßi sunt se audiuisse ab eo, & credidisse quòd ipse esset Christus? Sed ait, hoc non fecit Iudæis, sed Samaritanis, mirum hoc, aut ridiculum potius deniq; cum rogatus est publice à Iudæis, Si tu es Christus dic nobis palam, nonne ipse respondit? Loquor uobis & non creditis opera que ego facio &c. Ex cap. 9.

¶ In eo quòd ait Dominus, Et tollat crucem suã quotidie, non superfluit quotidie, ut ipse notat & falsò, sic & in alijs multis decipitur quæ tædium est recensere.

¶ Quòd ait Petrũ in transfiguratione domini nouisse Mosen & Eliam, uel ex uerbis eorum, uel in similitudine ad pictos, hoc postremum uide an considerate sit dictum, quoniam tunc non erant picturæ sanctorum.

¶ Quod parabolam mittentis manum ad aratrum, ar-

ctet

ctet ad prædicationem euangelij, non est iuxta doctorũ sensum, & Thomæ, qui ad hominem uiam perfectionis sequentem eligant aptam.

Ex. c. 10. QVòd notat. idq; sæpius, ex dicto domini, manducate quæ apponuntur uobis, quòd Iesus nullam cibi speciem prohibet. Importunum est: fauet enim hæreticis delectum ciborum spernentibus: nã si subtilius ille locus inspiciatur, innuit potius, quòd aliàs à certis cibis eos dominus se abstinere faciebat, cùm illa potius licentia sit, quàm præceptum. Alioquin si liberum fuisset illis cum Christo mãducare quæcũq;, quid oportebat illic eam licentiam concedere? nunquam enim legitur dominum cum discipulis uesci carnibus nisi in pascha, & hoc ratione obseruantiæ ueteris mysterij. Pisces semper legis in euangelio quibus uescebatur. Durus autẽ sit & proteruus, qui uelit omnia explicitè in euangelio tradita esse. Vita sanctorum interpretatio est scripturarum, & tamen à scripturis habemus, carnes ab initio non datas à domino ad uescendum, sed solùm fruges terræ. Et cum hoc in diluuio remissum fuisset, uenisse tamen dominum ad recapitulandum, id est, ut ad principium reduceret, saltem in his qui perfectiores esse uellent: unde exemplum dedit abstinentiæ ijs, qui eum sequi non à longe, sed prope uoluerint: & luctum sanctificauit in semetipso. Aiunt hæretici, Paulus ait, Vos in libertatem uocati estis. uerum omnino. Sed & hoc aiebat Paulus, modò ne libertatem in occasionem detis carni. Hanccine ergo libertatem dedit uobis apostolus? scilicet ut à cubilibus & impudicitijs, & cæteris carnis blandi-

Pro delectu ciborũ plana ueraq; doctrina.

mentis

mētis uoluptatē capiatis?Itē aiūt, Omnia mūda mūdis, & quod intrat in os nō coinquinat hominē, Verè omnia munda mūdis: Quia oīs creatura Dei bona est. Sed im mūdus est iam, qui est cōtumax, nec paret dicto maiorū propter cibū, uerè quod intrat in os nō coinquinat animā, sed quod exit ex ore, & quod è corde processit libido, & proteruia, & inobediētia erga matrē Ecclesiā, hæc sunt quæ cōtamināt animā. Hæretici & hypocritæ sola uoce Christū prædicāt, & ingemināt Christū Christū, sed faciūt illū sibi dulcē atq; suauē, & laudāt, dum licētias tribuit, dū māducat & bibit, nec abhorret propter infirmos à uita cōi. At uerò dū ieiunat, dū esurit, dū sitit, dū pauper alget, dū mēdicat, dū pernoctat orādo, deniq; dū fert sibi ipsi crucē, & crucifigitur: Hic plerūq; solus inuenitur, & fugimus ferè oēs, & tūc cū Petro nescimus illū. Cui dubiū est quòd infirma quædā suscepit Dominus in se propter nos ut fragilitati nostræ suaui dispēsatiōe subueniret, tāquā indulgēs mater, quæ cū puerulo ludit, nō ut ipsa ludat, sed ut ludēti puero benignè cōsentiat? Sed usq; quo paruuli diligemus infantiā? Si enim uerè Christus luxit pro nobis, Christi opera sequamur, & luctū, ut filij spōsi, quos donec spōsus abest lugere decet. Sed quotusquisq; qui intelligat hæc.

Nota hæc hæretice, & hypocrita.

¶ Ex eo uerbo domini, Gaudete & exultate, quia nomina uestra scripta sunt in cœlis, collegit omnes septuaginta discipulos fuisse prædestinatos, & sic melioris cōditiōis quàm Apostoli, nō aduertens, quòd quæ generaliter dicuntur nō uitiantur si in uno aut altero nō uerificatur dictum, ut si dicimus redire saluum exercitum,

non ob unum aut alterū cadentem uitiari sermonem. Nā
Luc.12. *& Iudas erat unus inter eos quibus dictum est: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri meo dare uobis regnum. mitto quòd iuxtà scripturas non accipitur immobilis prædestinatio eorum quorū nomina scripta dicuntur in cœlis, uel in libro uitæ, quoniam deleri posse aliquos præsupponitur, ut ex Mose apparet, dele*
Exo.17. *me de libro tuo, & ex dicto prophetæ, deleantur de li-*
Psal.69. *bro uiuentium, & in Apoc. Qui uicerit nō delebo eum*
Apoc.3. *de libro uitæ. Neq; concederent doctores quòd Domi-*
Augu. *nus uoluerit illis reuelare ipsorum prædestinationem,*
Thom. *quoniam hoc obesse poterat non prodesse.*

Ex cap.11. *NOtat in parabola lucernæ, quòd caute Lucas nō dixit totum corpus tuum tenebrosum erit, sicut dixit totum lucidum, quoniam malum non est integrum*
Matth.6. *sicut bonū &c. Id uerò confutatur instantia. Matthæus enim dixit, totum corpus tenebrosum. Adde quòd nec bonum in nobis est undequaq; perfectum.*

Ex cap.12. *DEi prouidentiā ad singula indiuidua extendi non est (inquit) uertendum in dubium apud Christianos, quanquam philosophi hoc non credant, metientes Dei prouidentiam, ex his quæ apud nos cognoscimus. Hæc ille, tanquam ex his quæ apud nos cognoscimus, non licuerit, etiam philosophis coniectare huiusmodi prouidentiā Dei. Id enim hæc uerba sonant. Quod si uerum est quomodo inexcusabiles redditi sunt, ut Paulus ait, quòd Deum non glorificauerunt, neq; gratias egerunt? Ad quid enim nō egisse gratias imputandum erat illis, si de eius prouidentia nosse non poterant? Imò norant*

rant satis, quia norant Deum, deiq; sempiternā uirtutem ac diuinitatem, in quorum notitia clauditur (ut rectè docet B. Tho.) & prouidentia Dei, unde & Psalmista rationis momenta opponens in impios, eleganter aiebat. Intelligite insipiētes in populo, & stulti aliquā ..pite. Qui plantauit aurem non audiet? Qui finxit oculum non considerat? Qui corripit gētes nō arguet? qui docet hominem scientiam &c. Nōne hæc ratio ipsa probat? Atqui tandem malum sunt philosophi, qui prouidentiam dei hanc negarunt? Cur non aliquos ipse citat? Nunquid Epicurum, Democritum, Aristonem, Pirrhonē, & huiusmodi potius porcos quàm philosophos mihi producet? Profectò Tullius diuinam prouidentiā apud meliores philosophos in cōfesso fuisse testatur: & uerè hanc Socrates prædicauit. Plato etiam docuit ut ex multis eius sententijs apertißimè colligitur, quod & Platonici summi confitentur. Thomas de Aristo. sic ait, Quidam imponunt Aristoteli, quòd putarit diuinam prouidentiam non extendi ad hæc singularia. Ipse tamē negat ex uerbis philosophi hoc haberi. Ego uerò etiā contrarium haberi assero. Enimuerò in .10. Eth. lib. ita scribit: Quòd si dij curam habent aliquam humanarum rerum, ut æstimatur & creditur, rationabile est gaudere optimo & cognatißimo: hoc autem utique erit intellectus, huiusmodi uerò est mēs, & amantibus illā maximè, honorantibusq; fauere, tanquam rerum sibi charißimarum curatoribus, & rectè ac bene agentibus. Quòd autem hæc omnia maximè sapienti existunt, non immanifestum est. Deo ergo est amicißimus. Hæc ille. Quibus

Tull. in li. de nat. deorum.

In li. contra Gentes.

Nota uerba philosophi aurea.

quid apertius ut cognoscas etiam philosophū ipsum Dei prouidentiam hanc agnouisse? Quæ cum ita sint, nō potui non succensere uerbo mendacij atque scandali, propter eos qui uel nimium philosophis tribuunt, uel occasiões etiā ad perfidiā aucupātur. qui, quā metuūt ex facinoribus suis Dei prouidentiam, etiam esse nollent, ac propterea facilius roborantur & in perfidia, & in scelleribus, cum audiunt etiam philosophos id sic statuere. Nam qui dubitant paulo momento huc impelluntur. Equidem si putarem philosophos hanc prouidentiam non credere, opinarer etiam non absq; ratione illos ad hoc adduci, & inciperem meritò suspicari rationem pugnare cum fide. Sed absit, ut istam doctrinam recipiat pius lector. Quin ut à semetipso Caietanus expugnetur, ut solet: nam apud quosdam tanti fit hæc doctrina, ut à nullo potentius euerti ualeat, quàm ab ipsomet autore. Ergo illemet expugnet seipsum. Super illis enim eius psal. uersiculis, ubi nos legimus, Intelligite insipientes, ipse iuxta Hebræum sic legit, Intelligite bestiales: in hūc autē modū cōmentatur. Tractat hic propheta particulam illam, Deus ultionum ex parte radicis, scilicet diuinæ cognitionis actuum nostrorum, arguendo statim blasphemiam impiorum dicentium, non uidebit dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite bestiales homines more bestiarum uiuētes in populo. Prælati tamen populo tāquam magistri populorum & insipientes, de altißima causa malè sentientes, quando intelligetis? quando penetrabitis intellectu ueritatē? Plantans aurem nūquid non audiet? hic creās oculos, nūquid non

Inconstantia doctrinæ.

Psal. 103.

Nota pulchra pro dei prouidentia.

non uidebit? erudiens gentes nonne castigabit? docens hominem scientiam? A quatuor effectibus Dei intendit docere in Deo esse scientiam actuum humanorum, scilicet ex hoc quod fecit sensum auditus, sensum uisus, synderesim, & intellectum speculatiuum in nobis, & intendit talem rationem, quòd quicquid est perfectionis in auditu, uisu, synderesi seu ratione practica, & intellectu speculatiuo hominis, totum eminentiori tamē modo, est in deo. Meminit specialiter auditus & uisus, quia spirituales sunt inter omnes sensus: non arguit ab effectibus miraculosis, quia ad illos loquitur qui negant miracula: sed arguit ab effectibus quos ipsi philosophi fatentur produci à Deo, mediante ministerio naturæ, & fundat rationem super communi animi conceptione philosophorū, scilicet, quicquid perfectiōis habet effectus, præexistit longè excellentiori modo in suprema illius causa. Siste hic minus erudite in philosophia, seu speculatiua theologia, & scito, quod non intendit propheta inferre quòd Deus audit seu uidet: sed quòd Deus cognitiōe sua cognoscit quicquid sensu uisus uidetur, quicquid sensu auditus auditur: hoc est enim excellētiori modo uidere & audire. Ad significādā ergo synderesim, dicit, erudiēs gētes: deus enim erudit gētes mediāte synderesi indita animæ nostræ: ipsa siquidē arguit nos cū malè operamur, & instigat ad bene operādū. Est enim naturalis quidā habitus animi ad bonū, secūdū rectā rationē, probādū & cōtrariū reprobandū, qui omnibus gentibus naturalis est, ac per hoc est effectus largitoris naturæ: lumen autē intellectus agentis & habitus princi-

Nota.

Synderesis est.

cipiorum in speculatiuis significatur docens hominem scientiam: nam illo naturali lumine acquirimus scientiã, siue inueniendo, siue discendo, & hoc similiter naturale est omnibus hominibus, ac per hoc effectus largitoris naturæ. Hæc ille. Quæ ad uerbum citaui, non solum ut uideat lector inconstantiam huius doctoris, uerumetiã ut agnoscat quàm doctius & elegãtius loquitur, quum militat pro ueritate: ergo iuxta suã ipsius priorẽ doctrinã non debuit hic dicere, quamquam philosophi non credãt, qui metiũtur Dei prouidentiã ex his quæ apud nos cognoscimus, Sed hoc modo uerius debuit dicere, quanquã bestiales hoc nõ credãt, qui metiũtur Dei prouidentiã bestialibus libidinibus. Nã quantũ obsecro putamus bone lector, hũc hominẽ, & quàm multis obfuisse, quũ docuit apud Aristotelẽ animã esse mortalẽ? quod & si uerũ fuisset, longè prudentius tamen tacebatur: Nam quàm facile infirmi fide à ueritate abduci possunt hisce commentis? & quantũ roboris impij hinc sibi ad perfidiam comparant? nollent enim suorum conscij scelerum post hanc uitam quicquam esse. Saltem reueritus fuisset communem præceptorem nostrum, D. Thomam. Mitto alios etiam clarißimos uiros, & philosophos, qui aliter ex fontibus Aristotelis hauserunt. Quid enim poterat prodesse id noui nisi ad ostentationem? cùm tot illustres uiri oppositum docuissent? Neq; mihi obijciat quisquã quòd ipse antidoto curauit hoc malum, dicens non esse hæc reuocanda in dubium: Itane igitur tutò uenenum propinabitur, quòd antidotum sit paratum? Nam audi quæso te uir docte & acute. Hic noster putat se demonstrare

Nota hæc omnia pie lector ac prudens.

ſtrare ex principijs & ex philoſopho collectis, animam hominis immortalem eſſe, & ſimul docet principẽ proculdubio philoſophorũ, ſe putaſſe oppoſitũ demõſtrare. Sed quis credat in tãto philoſopho tãtã ſtupiditatẽ?

¶ *Ibidem oſtendit non intellexiſſe quid ſit nos cõfiteri in Chriſto, & Chriſtũ in nobis: quod tamẽ eſt pulchrũ & in ſe habens myſteriũ cõiunctiõis noſtræ cũ Chriſto.*

PRo eo quod interpres reddit ſtercora ipſe ſubſtituit fimũ: quia κοπρία Græcè non ſignificat ſtercora, id eſt, excrementa animaliũ, ſed lætamen. Quid hic dicam? Sed putida res de qua tractatur. Ex cap. 13.

¶ *Paulopoſt notat dixiſſe ſabbatis, & nõ ſabbato: quia ſignificabatur dies ſeptimus: ſed inſtantia retũditur hoc mille locis etiam ibidem, quia ſtatim dicitur ſabbato & die ſabbati in eadem ſignificatione.*

¶ *Dominus reſpõdens Petro interroganti an pauci ſaluentur, non ſignificauit paucos de facto ſaluari, ut uult Caietanus, ſed ſolum paucos ambulare per uiã certam ſalutis, iuxta rigorem iuſtitiæ, ſed miſericordiæ Dei non ligat manus. Noluit autem diſcipulos inniti ſolum in miſericordia quæ non datur omnibus.*

¶ *Illud, Quia non capit perire &c. hic rectius expoſuit quàm in ientaculis, quod debuit ingenuè confiteri.*

¶ *Illud, Quotiens uolui &c. dicit ſumi metaphoricè, id eſt, ad modum uolentis me habui, imò uerè erat uolens, qui uolebat ſalutem omnium, modò & ipſi uoluiſſent, qui & uelle poterant.*

¶ *De uotis quæ hic explodit, iam ſatis ſuperius.*

¶ *Neque ſal, ut ipſe putat, ſolum ad prælatos per-*

tinet. Nā hoc in loco rectè potest aptari ad eos qui sta-
Nota religiose. tum perfectionis suscipiunt, qui alijs terrenis hominibus
exēplo docēt sapientiā carnis inimicā Deo, quibus & ipsis (si euanescant) contingit, quod dominus ostendit per sal, ut ad nihilum ualeant, sed ostentui sint ac ludibrio omnibus hominibus & bonis & malis; quod utinam non plus satis hodie uideremus.

Ex.c.15. QVòd diabolus redacto in seruitutem homine, inuideat illi, quòd faciet appetitum suum delectabilibus, & ideo priuet eos ne satientur, ut augeat peccatum, non probo uerum esse, quin per hoc potius daret occasionem peccatori, ut conuertatur ad Deum, quum uideret se non posse potiri ac frui concupitis, quod manifestè apparet in hacmet prodigi parabola, qui ob hoc resipuit quòd non expleret desiderium suum de siliquis. Nec est materia inuidiæ diabolo peccatorem inuolui sordibus, imò id est quod cupit, quia illa sunt homine indigna: & præterea scit quòd ipso facto peccatum auget: nec est timendum quòd satiētur, id est, fastidiant, qui uoluptatibus & libidinibus uacant: nam auarus nunquam expletur, sed crescit amor nummi quātum ipsa pecunia crescit, ut rectè quidam: & homicida quātò magis sanguine uolutatur, tantò id magis appetit ac pro ludo ducit quod antea exhorrebat. Sic & de blasphemis est qui sunt maximè assueti, iam pro ludis habēt blasphemias. Venereis etiam bestialibus incumbentes quantò plus hoc luto se inuoluunt, uelut porci, tantò
Ecclesi.14. magis gaudent. Habes & de hydropico similitudinem, quantò plus bibit, tantò sitit plus, Cupidi oculum insatiabilem

bilem dicit scriptura, qui non satiatur in parte iniquitatis donec consumat arefaciens animā suā. Deniq; tria in saturabilia prædicantur, & quartum quod nūquam dicit sufficit. Est infernus, id est, diabolus, qui terram comedens, id est, terrenos homines, nunquam satiatur. Hæc est enim maledictio sua. Est os uuluæ. i. carnis cōcupiscētia, quæ inexplebilis est. Est terra. i. cupiditas mūdanorū. Deniq; est ignis, illa ambitio & incēsio, qua totus ignitur animus honoris & gloriæ cupidus ut ille luciferi. Itaq; dei potius bñficiū est ut peccator careat cōcupitis, quò facilius reuertatur & dicat, quāti mercēnarij in domo patris mei abūdāt panibus, ego aūt hic fame pereo. Prouer. 30. Ex. c. 16.

PArabolā uillici clarā esse, sed applicatio eius per singula ualde difficilis est, inquit, si non impoßibilis: sed quid est parabola nisi similitudo? & quæ datur similitudo non applicabilis? nunquid fortè quia ille nesciuit applicare, censere debuit esse inapplicabilem? cætera in dialogis nostris quòd ad hoc attinet.

¶ Quòd uerò exponit domini sentētiā: filij seculi prudētiores sunt filijs lucis in generatiōe sua: quā sit illustre uideāt alij. mihi qdē uidetur quòd pulchrā lucidāq; domini sentētiā sua expositiōe malè fœdet ac obscuret, uideat qui uolet: sensus enim lucidior ille erat, quòd filij huius seculi, quātū ad suos fines quos sibi ꝓponūt, sunt prudētiores (ut ita dixerim) ad inueniēda media ad eos fines assequēdos, quàm sint filij lucis in sua generatiōe. i. ad assequēdū paradisū, quod utinā nō uideremus: quid enim nō audēt mali ut potiātur uoluptatibus? at quotusquisq; est lucis filius, qui talia aggrediatur pro Christo, imò pro sua salute: uniuersaliter enim hic loquimur non de

paucißimis quos singulariter dilexit Dominus. Hem, si paterentur boni propter Deum, quæ mali propter mūdum, iamiam perfecti essent omnes ac beati.

¶ Quo fructu, & quàm prudēter ac pie in dubiū uertat, an sit parabola & non historia quæ de epulone ac Lazaro recitatur, alij uiderint. Certè sancti doctores, omnes penitus, nunquam dubitarunt. Et ipse Lazarus tāquam domini uoce canonizatus ubiq; terrarum, ut sanctus Dei celebratur & colitur, & eius nomine pauperes. S. Lazari dicūtur, qui ulceribus fœdati sunt, & à cōcionatoribus in exemplum adducitur diues ille diuitibus, ut discant misericordiam, & contrà Lazarus pauperibus, ut patientia illum imitentur. Et fortius est quod exhortatur exemplum, quàm quòd docet parabola. Nec est parua coniectura aut parum urgēs, ut agnoscas non esse parabolam, propriorum nominum recitatio, etiam ipsius Abrahæ. Quod nunquam in alia merè parabola legitur, nec decenter fieret nec in huiusmodi exigēdæ sunt mathematicæ demōstrationes. Adde quòd hæc Lazari & diuitis historia, teste Ambrosio ac Cyrillo in annalibus Iudæorum uetustis legebatur: non igitur quod tot & tantis testibus uallabatur, labefactandum erat.

Ex cap. 17. VErba illa, si habueritis fidem rectè ab interprete uersa ab eo importunè mutātur, quòd nescierit tēpus pro tēpore, & modū pro modo nonnūquam poni: uideat qui uelit. Sunt & alia in hoc & superiore cap. quæ tædio affectus prætereo, cum sint tamen annotatione digna.

Torquet

Torquet literam in parabola uiduæ uindictam implorantis, ubi uult electos non clamare pro uindicta à Domino, & directè contra clamorem martyrum in Apoc. Licet enim in terra orent pro persequētibus, tamen cum iam sint interfecti conformes omnino uoluntati & iustitiæ Dei quam uident, uindictam sanguinis in obduratos implorant. Ex cap. 18.

¶ Quòd rem fidei minui perspiciamus, & Dominus dixerit, Putas filius hominis ueniens inueniet fidem in terra? non est coniectura idonea ad colligendū non uenturam interim aliquam instaurationem ac reformationem Ecclesiæ, sicut ex sanctorū reuelationibus, & ancillarum Christi habetur: alioquin quomodo implerētur scripturæ, quòd plenitudo gentium debeat intrare? quod nō esse impletum, uel ipse Caietanus ibi fatetur, ut & hic uideas inconstantiam hominis. Inconstantia doctrinæ.

¶ In parabola Pharisæi, quanquam ille diceret. Domine gratias ago tibi quòd non sum sicut cæteri hominū &c. Notat non esse putandum, quòd iste adeo desiperet, ut sese reliquo humano generi præferret, sed quod dicitur, cæteri homines, restringitur per id quod sequitur, Raptores, iniusti, adulteri &c. Sed falsa hæc expositio, & contra literam. Primò enim quod malè restringitur, quod dicitur, cæteri homines, per id quod sequitur, raptores &c. Non enim in ijs concluduntur cæteri homines. Deinde est ipsius Euāgelistæ testimonium, qui uult manifestè hanc parabolam in quosdam esse dictam, qui in seipsis confidebant, & aspernabantur cæteros: cæteros (inquit) absolutè, & non cæteros qui

essent

essent raptores &c. Et ita Ambrosius & alij uerissime sunt interpretati his uerbis, Quid est cæteri homines, nisi omnes homines præter ipsum? quasi dicat, Ego sum solus iustus. Neq; hoc adeò mirandum, quòd ita desiperet. Tales enim sunt pharisæi & hæresiarchæ. Luterus euãgelistam se nominat, ut quintum habeamus, & soluatur euãgelistarum quadriga. Sic olim Manichæus Apostolum Iesu Christi se prædicabat, Montanus spiritus in se descendisse mentiebatur. Et scriptura in hos inuehitur. Nunquid uos soli sapientes & uobiscum sapientia morietur? Non ergo mirum si & ille Pharisæus ita esset inflatus: non tamen puto quòd se cæteris particulariter conferens, præferret, sed quodam modo generaliter, & inconfuso, non ad particulares descendẽdo.

Ex cap. 20. SI filij huius sæculi è regione distinguuntur à filijs resurrectionis ut ait, profectò nõ potuissent dici filij huius sæculi in statu innocentiæ, quod tamen ipse uult, cum resurrectio nõ fuisset nec uxorum pluralitas tunc fuisset, licet castissimæ nuptiæ. Et uerè filius dei Adam scribitur Lucæ. 3. in eo tamen statu & non filius sæculi, sed illo cadente facti sumus cum illo omnes filij huius sæculi, ut hinc & mors & nuptiarum pluralitas consecuta fuerint. *Luc. 3.*

Ex cap. 21. AIt Caiet. Bella, terræmotus pestes fames terricu lamẽta, & signa in aëre magna prædicuntur, nõ ea ratiõe ut noua aliqua aut insolita denuntientur futura, sed ut describatur mundus solitum cursum habiturus ut intelligerent Christiani, hæc spectare ad consuetum mundi cursum. Hæc ille. Declarare ergo uoluit nobis

Dominus

Dominus cõsuetũ mundi cursum, ac si nobis nõ satis ex se cõstaret, ac si prænũtiasset, in hyeme pluuias frequẽtiores ac niues, in æstate calores & æstus et huiusmodi, quæ ad solitũ mũdi cursum attinẽt. Nota & aliud mirabile. Christus (ut ait) ita prænũtiat, ut Christiani intelligãt: & nullus tamẽ hactenus id intellexit. Sancti quippe expositores, quos legi oẽs, accipiunt hæc à Domino dicta, ut signa ac portenta futurorũ, præsertim Ierosolimitani excidij, ac tremendi & magni sui aduẽtus quæ etiã teste Iosepho impleta sunt ex parte in illo excidio. Cyprianus in tractatu aduersus demetrianũ, Ambrosius Grego. Aug. Bernar. & cæteri quorũ testimonia tædet referre, ita accipiũt. Nõ placuit ergo huiusmodi doctrina, quæ auertit homines à timore ac meditatiõe diuinæ iusticiæ & iræ, ne leuẽt capita sua, & desistant ab operibus tenebrarũ, ut hic iubet Dominus. Ad hæc nota mirabile, Dominus signa uocat, & Reuerẽdißimus nihil significare asserit, sed solũ naturaliter ad cõsuetũ mũdi cursum attinere. Quomodo ergo signa, si nihil significãt? Dicẽt autẽ forte quidã, An non hæc naturalia sunt quæ prædicit Dominus, & causas naturales habentia, quæ & bonis & malis æquè accidũt? Respõdeo, nõ sic me docet scriptura diuina, ubi paßim hæc mala describũtur ut instrumẽta Dei, quibus ad castigationẽ, aut emẽdationẽ aut probationẽ, aut uindictã, summa prouidẽtia ipse utitur. Lege libr. Iudicũ, Regũ, prophetarũ, & reperies paßim tria hæc præsertim, esse Dei flagella spãlia, Pestẽ famẽ Gladiũ. Addit & Ezechiel quartũ. s. bestias malas, quod nõ incõgrue etiã ad hæreticos aptari põt, quibus Deus utitur in uindictam, plerũq; in sacerdotes

Nota hæc pie lector.

dotes malos & monachos, & ut boni magis probētur. Deniq; quis Christianus, sanctæ ciuitatis destructionē, templi desolationem, clades insignes, & Iudæorum miseram captiuitatem, & conditionem, consueto mundi cursui audebit adscribere, & non speciali prouidentiæ Dei, iræ ac uindictæ? Deniq;, quæ uidentur nobis, & sunt causæ naturales, in manu Dei sunt: ipse eas inducit, ipse propellit ad nutum clam nobis. Caue ergo si sapis lector ab huiusmodi fermento.

Ex, c. 22. Credo illum non intellexisse illud quod ait dominus, Ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei, & quæ similia dicit apud Matthæum, non explico tamen hic, sed lectorem admoneo ut cogitet quia uerba domini non indigent illa uiolentia quam facit ipse, non propriè accipiendo donec. Nam si nō erat ulterius comesturus, nonne superfluo adiecisset uerba illa, donec impleatur &c? nonne & satis erat simpliciter dicere, non comedā amplius?

Inconstantia doctrinæ. ¶ Ibi etiam exponit dominum mandasse discipulis sacramētum conficere & sumere, & dare: quod & uerum est, licet alibi aliter dixerit, quod inferius annotabimus loco suo.

¶ Quòd ibi notat, quòd non subditos, sed fratres uult haberi reliquos à Petro, & quòd dominus non officiū dominandi, sed confirmandi prænunciat & mādat, ego aliàs annotaui ut periculosè dictum, præsertim his temporibus, cum in prælatos uigeat contumacia ab hæreticorum doctrina. Neque uerò ex eo quòd uult haberi fratres, sequitur, quòd non mandauerit prælaturam: cum & præla-

& prælatura & dominatio sit etiã in fratres, & domi nus probauit uocari se dominum & magistrum ab ijs, quos tamẽ habuit ipse in fratres. Et Iacob dicitur. Esto dominus fratrũ tuorum. Paulus ait, Obedite præpositis uestris, & subiacete eis, poterat tamen taxari potestatis abusus, & ambitio dominationis, & quòd qui præsunt non præstant ministerium iuxta domini mandata, sed quod suum est quærunt, quod Iesu Christi est abijciunt. Verum surdis dicuntur hæc. Io.13,& .20. Gen.27. Ad Heb.13.

¶ Totum illum locum ubi ait dominus, Quando misi uos sine sacculo &c. latius in ientaculis tractat: quàm uerò ineptè, & hic, & ibi, & quot erroribus implicetur, non ualui continere, propter eos qui hac doctrina uelut oraculis afficiuntur: circa hunc enim textum duo conatur. Alterum, falsos intellectus excludere: alterũ, uerum statuere. Circa primum, Falsus, inquit, sensus esset existimare, quòd per hæc uerba uoluerit dominus animare discipulos ad sui defensionem. Item falsum esset existimare discipulos ita uerba Christi accepisse, uidelicet quòd eis mandauerit suijpsius defensionem. Alioquin non dixissent domine, si percutimus in gladio. Non enim dubitassent percutere, putantes hoc sibi esse mandatum: denique falsum esset etiam putare, quòd illis uerbis Deus propriam ipsorum defensionem eis mã dasset, aut permisisset in imminente illa persecutione, cũ nõ essent ipsi passuri persecutionẽ ullam, solo domini uerbo seruandi, quòd ex illo dicto domini probat. Pater quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam: & cum caperetur, dixit, Si ergo me quæritis, sinite hos abire.

re. Hactenus in summa Caiet. quæ ut expendantur aduerte. Primum, fateor dominum sui defensiõem nõ præcepisse, quanquam rationes aliquæ quas ipse pro hoc affert minimè concludant: quid autẽ opus erat alia quærere ad id probandũ, quàm quæ hic dixit dominus, oportere impleri in se quod erat præscriptum, & cum iniquis deputatus est. Quòd uerò secũdò ait discipulos nõ putasse per ea uerba sibi mãdatã domini defensionẽ, minimè probat, illud afferens quod si hoc putassent nõ rogassent, utrum percuterent. Ego enim uersa uice, possem arguere, quòd si certè aliud putassent, uidelicet quòd nollet, non rogassent illud: ergo quòd rogant, uidetur pertinere, aut ad hoc ut fierent certiores eius, quod ipsi putabant, aut fortè utrum tunc tempus esset id agere. Credibilius ergo mihi uidetur eos accepisse à uerbis domini, quòd oportebat parare defensionẽ. Quapropter & gladios tunc pararunt, & attulerunt, & cincti ferebant eos, quare & rogant utrum percutiant, & Petrus moræ impatiens ut persuasus, etiam percutit. Denique quod tertio loco adiecit, dominum non mãdasse illis aut permisisse propriã sui ipsorũ defensionẽ, prorsus nego. nã & falsum est quod affert pro ratiõe, uidelicet quòd solo uerbo seruandi essent, nec ad eos illam persecutionem attinuisse: contrà enim dominus illis prædixerat, uidelicet quòd essent dispergendi in propria, quod & fuit: Petrus autem etiam metu compulsus negat: alius relicta sindone fuga illorum manus euadit. Reliqui dispersi, & adhuc post quam surrexit dominus congregati, clausis ianuis ob metum Iudæorum latent.

tet. Quō ergo non erat persecutio? Quòd ergo patrē orauit dominus, ut seruaret illos, nō id probat quòd nō esset futura persecutio, sed contrà potius quia futura erat, rogauit ne in ea succumberent, nec tamen hoc puro miraculo, & sine eorum prudenti cautela, & humana prouidentia ne tentarent Deum: nec illa oratio pertinuit ad eos tantùm, sed etiam ad futuros discipulos, ut ibi patet: Neque uerbum domini, Sinite hos abire, ad hoc prolatum est, ut omnino carerent persecutionibus, sed ut tunc non præualerent, quia erant seruandi ad alia tempora. Nunc accedamus ad sensum quem uerum esse existimat, pro cuius indagatione plura prænotat. Primū differentiam temporum, uidelicet pacis, & persecutionis, quod accipit ex eo quod ait: Quando misi uos, & quod subdit, Sed nunc qui habet sacculum, secundum differentiam officiorum consequentem: nam tunc erat officium prædicationis, postmodo uerò non erat propter persecutionem. Tertium, rationem huius doctrinæ, quæ est, quia dominus cum iniquis erat deputandus. Quartum, notat dicendi modum, quia loquitur in tertia persona: non enim dicit, sed nunc tollite sacculum, sed impersonaliter, sed nunc qui habet sacculum. Ex his ergo (inquit) habentur duo tempora, scilicet prædicationis, & persecutionis, & non cuiuscunq; persecutionis, sed illius qua Christi discipuli cum iniquis deputandi essent. Nam ad signandum hoc tempus proposuit in persona sua talem personam patientium persecutionem, & propterea non meminit crucis aut mortis, sed solum deputationis cum iniquis: habētur ergo duo Christianorum ge- Nota lector

M nera

nera, id est, prædicatorum in apostolis & aliorum minus perfectorũ in tertia persona significatis. Est ergo sermo dominicus de tempore persecutionis indeterminatè, & similiter de discipulis indeterminatè: ita quòd illud aduerbium, nunc, non demonstrat determinatè illud tempus paßionis Christi, sed indeterminatè, præcipuè quando discipuli reputarentur iniqui. Et similiter illud relatiuum, qui, non refert determinatè apostolos, sed indeterminatè Christianum. Hæc Caietanus ferè ad literam. Quæ cum sint adeo absurda, perplexa, & ab euangelistæ sensu aliena, quanto cum dolore aut sudore recitem, & quàm inuitus tractem ac persequar, nouit dominus: hoc autem facio quia eorum me miseret, qui uiri huius doctrinam admirantur, quod esse puto plerũque, quia sæpenũerò inintelligibiliter loquitur: Multi enim quæ non capiunt mysteria esse arbitrantur. Igitur hæc mysteria uideamus. Primò statuit quòd per illud aduerbium, nunc, declaratur præsens tempus persecutionis: & ut hoc præsens tempus persecutionis amplius declaret, adiecit, non qualiscunq; persecutionis, sed illius qua Christi discipuli reputandi essent cum iniquis, & exponendo Christi discipulos, ait, Non apostolos illos ad quos erat sermo, sed futuros Christianos. Quis hæc tã perplexa ualeat explicare? Primo ait per ly nũc significari tempus præsens persecutionis, & statim adijcit, quòd illa præsens persecutio significatur, sed tempus persecutiõis indeterminatè, imò tempus futuræ persecutionis qua reputandi essent iniqui discipuli Christi: Ergo ly nunc, significat præsens tempus, quod præ-

Nota.

sens

ſens tempus indeterminatum eſt, imò futurum eſt. O me *taphyſica incomprehenſibilia.* Adde, quòd etiam adiecit *ea uerba, ſed nunc qui habet ſacculum &c. non dirigi ad apoſtolos, ſed indeterminatè ad futuros diſcipulos imperfectos. Hæc enim Caietani uerba ſunt.* Habentur *ſecundò duo genera Chriſtianorum, ſcilicet prædicatorum in apoſtolis, & aliorum minus perfectorum in tertia perſona ſignificatorũ. Hæc ille. ubi nota mirabile, alloquitur dominus illos mutans mandatum quod illis dederat, & ſermo non pertinebit ad illos.* Item, ut fatetur, *ſermo ille dirigitur indeterminatè ad imperfectos diſcipulos, & ipſi tunc erunt tales, id eſt, imperfecti, & tamen ad illos non pertinebit: ſermo igitur directus ad illos & conueniens illis, non attinebit ad illos, imò uerò ex dictione illa aduerſatiua, ſed adiuncta tempori, ſed nunc, clarè indicatur in eiſdem perſonis ratio mutandi conſilij ſiue mandati, alioquin non tam uarietas temporis, quàm (ut ita dixerim) alietas perſonarum induceret rationem mutandi conſilij, quod eſt etiam contra ipſummet, qui principio rectè ponderat ſicut alij expoſitores, temporum differentiam, quæ tunc erat, eſſe cauſam mutati mandati.* Et certè *leuiſſimum eſt quod conſiderat, ideo non pertinere ad apoſtolos illum ſermonem quia loquatur in tertia perſona: nam ſi acutè conſideraſſet, implicitè ibi habetur ſecunda perſona: ait enim* Lu*cas quòd dixit eis, ſed nunc qui habet ſacculum, quod eſt perinde ac ſi dixerit, ſed nunc qui ueſtrum habet ſacculum &c.* Nota ergo *quòd ait, ſed nunc. tunc enim nõ erant alij diſcipuli ad quos poſſet illud mandatum pertinere:*

nere: unde & ipsi ad se directum sermonem illum intellexerunt. quapropter statim gladios afferunt. Præterea *si sermo ille non pertinebat ad apostolos, quia erat in tertia persona & impersonaliter dictus (ut putat) profectò nec illud pertinebit ad eos. Qui uult uenire post me &c. &, Qui sequitur me &c. &, Qui perdiderit animam suam &c. & alij multi sermones domini impersonaliter prolati, qui re uera multò magis pertinebant ad illos, nam in illis alij instruebantur, sicut ipse dixit, Quod uobis dico, omnibus dico.*

¶ *Sed audi, quæso lector, quæ nisi legissem, nunquam credidissem:* Ait, *per illa uerba, Quia adhuc oportet impleri in me quod scriptum est,* Et *cum iniquis deputatus est, nõ intelligi propriam* Christi *persecutionem, sed potius discipulorum in tertia persona intellectorum, acsi dixerit,* Si *me persecuti sunt, & uos persequentur: si me cum iniquis deputabunt, & uos non dico apostolos, sed indeterminatè discipulos, reputabunt iniquos.* Et *addit: quòd ne per illa uerba intelligeremus præsens tempus persecutionis, non meminit dominus crucis & mortis, sed deputationis cum iniquis, quæ erat futura communis persecutio bonorum &* Christianorum *qui erãt reputandi iniqui: hæc ille: quæ adeo falsa sunt, & chimerica & contra euangelium è diametro, ut putem, nulli non obuium esse.* Nam *uerbum domini illud,* Si *me persecuti sunt, & uos persequentur, directum & in secunda persona ad apostolos, & de se pertinẽs ad perfectiores quomodo non primum & maximè ad apostolos pertinebit? & quomodo dominus nõ meminit crucis & mortis*

tis

tis, cũ dicat, Oportet *impleri in me quod scriptum est, & cum iniquis deputatus est: in me, inquit, non in alijs quod tũc uerè impletum est, quum dominus cum latronibus pependit in cruce, teste* Marco. Et *hæc sunt huius uiri mysteria.* Mitto *& alia perplexa persequi quæ longum esset, non enim minus secum quàm cum alijs pugnat in hoc ientaculo: aliquando enim uerba illa domini de non uehendo sacculum & peram mãdata uocat, & probat esse mandata pertinentia tamen ad perfectiores, paulo autem post negat esse mandata, & dicit esse licentias, quæ certè sunt imperfectorum.* Ecce *igitur mysteria uiri huius.* Inconstantia doctrinæ.

¶ *Libuit autem in gratiam benigni lectoris, quoniam de prouidentia* Dei *locus hic pulcherrima continet documenta, latius sicut dedit mihi clementissimus spiritus hic pertractare.* Præmittendum *est autem ad intelligentiam loci huius, quòd dominus nonnunquam utitur quibusdam in loquendo figuris, ut per eas non id prorsus accipiamus, quod uoces ipsæ prima significatione reddunt, sed quid inde prudentia hominis potest elicere ut uitet sensus absurditatem: uerbi gratia.* Iubet *percutiẽti maxillam præberi & alteram, hoc si pertinaciter accipiatur ad literam, absurdum ingerit, & quod caret exemplo:* Si *autem ex hoc dicto prudenter intelligamus, quòd ipse animum exigit ita præparatum, ut si sit opus, etiam id facturi simus, uerum sensum excipimus, & quiescit intellectus.* Sic *& quando ait,* In *illa hora qui fuerit in tecto, & uasa eius in domo, non descendat tollere ea: & qui in agro similiter non redeat retrò:* Luc. 12.

M 3 non

nõ uult hæc ſic ad literam accipi, quaſi uelit homines ue lut bubones manere in tectis, aut in agris, ut pecora cam pi: ſed ea parabola ſignificare uoluit tam magnum fore in ea perſecutione periculum, ut non ſit futurum tutũ, uel parum auerti à contemplationibus Mariæ, & actio nibus Marthæ, etiam propter neceſſaria uitæ. Nam & quando mandat prædicari euangelium ſuper tecta, nun quid uult, ut prædicatores tecta conſcendant, ut inde prædicent? an potius eo tropo ſignificauit euangelicam prædicationem publicã futuram? Multa ſunt id generis. Itaque cùm prohibuit olim ſacculum & peram, & uir gã & calciamẽta, & gladiũ, nihil aliud intelligi uoluit, quàm omnem curam & ſollicitudinem temporaliũ abij ciendam eſſe, prædicatoribus uerbi, quæ ad uitam tuen dam hominem ſeculi ſibi comparare ſolent, eò quòd prouidentia Dei non deeſt militibus ſuis, ut prouideat de neceſſarijs, & protegat à uiolẽtis. Cùm ergo cõtrà nunc mandat, ut qui habet ſacculum tollat & peram &c. non eſt præcisè intelligendum ut ſic ad literam fie ret. Quid enim ſi ſatis fuerit ſacculus, nunquid & pe ra erat adijcienda? aut quid ſi oporteat potius fugere, & ſacculus eſſet impedimento? Et quid ſi præſtaret ma gis habere tunicam, quàm gladium, nunquid uendenda eſſet tunica ut ematur gladius, præſertim ſi quis uti gla dio neſciret, ſicut ego, eſſet potius impedimento quàm tutelæ, imò pro inimicis. Ergo & his uerbis id ſolùm accipi debet, quòd in tempore perſecutionis non eſt ne gligenda ſalutis ratio, ut ad meliora tempora reſerue mur. Hoc ſic præmiſſo, ſupponenda etiam plura ſunt:

Primum

Primum quòd uariæ temporum conditiones, etiam uaria postulant atque exigunt: quod enim uno tempore aptum est, alio est incongruum. Vnde rectè scriptū est. Omnia tempus habent. Et dominus dixit, Nonne duodecim horæ sunt diēi? Deinde supponendum est, quòd & personarum & statuum uarietas similiter uaria exigit aliud enim exigitur à prælato ac magistro, & à perfecto uiro, aliud à subdito & discipulo, & ab imperfecto. Tertiò supponēdum quòd qui ad publicam utilitatem officium administrant in omni actione sua ad utilitatem publicam debent respicere, & consequenter quæ sunt maioris perfectionis interdum postponere, ut aliorum consulatur utilitati, sicut dominus faciebat, & Paulus, & quotquot sunt perfecti. Quartò supponendū quòd discipuli eo tempore rudes erant adhuc & multas domini sententias non intelligebant, ut patet de parabolis & quibusdā etiam manifestis doctrinis, ut est illud: Nō quod intrat in os coinquinat animam: Et quædam postmodo intellexerūt, ut illud, Soluite templum hoc &c. Vt hæc igitur ad rem propositam aptentur, ab initio prædicationis Christi, cùm exciperetur eius doctrina fauorabiliter à populis, antequam incenderentur in eum animi inuidorum, oportunum uidit esse tempus mittendi discipulos ad prædicandum, & simul opportunum docere illos ut abijcerent omnem solicitudinem & omnem curam quantum fas erat ad seruandum corpus. At uerò excitata persecutione in ipsum dominum mutata est ratio temporis, & cum adhuc ipsi apostoli essent imperfecti, indiguerunt alio consilio, & ideo audiunt

ut utãtur humana prudẽtia ad prospiciendũ sibi, sine fuga, sine defensione, quoniam nõ erat tẽpus adhuc ut peculiariter diuina super illos protectio aßisteret, ut cognoscerent interim quid ualerẽt ex seipsis: iccirco dixit, Quando misi uos sine sacculo nunquid aliquid defuit uobis? Et cùm illi respondissent, non, dixit eis, Sed nunc qui habet sacculum &c. acsi expreßius dixisset: Congruum fuit ut olim obedientes mandatis meis, quando erat tranquillitas temporis, mea prouidentia occurrerem abundè uobis in neceßitatibus uestris, ne filij sponsi lugerent quandiu esset cum illis sponsus: at nunc cùm auferendus est à uobis sponsus, cùm percutiendus est pastor, & cum iniquis deputandus, congruum est ut & uos aliquantisper dimittamini, & communi patris prouidentiæ relinquamini, ut manifestetur quòd olim uobiscum eram peculiari prouidentia, & quòd hoc opus nunc mihi perficiendum est soli, quoniam torcular hoc mecũ calcare uos nõ potestis, quia nondum uenit spiritus fortitudinis in uobis, nec decuit ut ueniret antequam illum mittam: Mittere autem nõ ualeo ante uictoriam. Itaque interim commisi uos patri, ut seruemini: tamen humanum uestrum consilium à uobis exigo ut humana uobis præsidia procuretis. Et hoc est quod dixit, Sed nunc qui habet sacculum &c. quia enim tempus persecutionis instabat, nec facilè potuissent mendicato procurare uictum, dixit de sacculo & pera, ut colligerent & seruarent quod ad refectionem necessarium erat, & quia imminere periculum poterat, defensionem naturalem illis permisit, imò & suasit suadendo ut gladium

emant

emant etiam distracta tunica. Non enim apti erãt ad ferendam crucem, ut Petro dixit, Quò ego uado non potes me modo sequi, sequeris autem postea, uidelicet cũ spiritusancto repletus eris & alius te cinget & ducet quo tu non uis: ut ergo cognoscerent, quòd eatenus seruauerat illos dominus in medio luporum interim uoluit eos sibijpsis dimittere, ut experirentur quàm nihil ex seipsis possent, ut noscẽtes aliquando infirmitatem suã, omnia postmodo possent in eo qui confortat quos uult. Dominus igitur quia uidebat illos ineptos ad patiendũ secũ, quoniam nec decens erat ut apti fierent ante tempus, dixit, quoniã oportet impleri in me. Et cum iniquis reputatus est, in me inquam qui solus calcare debeo hoc torcular, nec æquũ est ut habeã socios nisi unã, ut uir & mulier instauret quod uir & mulier perdidit. At illi rudes adhuc quia nõdum tentati, nõdũ experti erãt intelligentes dominum & persecutionem imminentem prædicere, & defensionem aliquã suadere: attulerũt duos gladios, & dixerunt, Ecce duo gladij hic, non considerantes quòd Christus ratione perfectiõis suæ secreuerat se ab illis cũ esset ipse idoneus ad ferẽdã crucẽ, illi autẽ nõ essent, & ideo ille nõ indigebat gladijs ut defenderetur, quia sponte se offerebat, ut sic superaret omnia & seipsum, & sic omnia lucraretur etiã seipsum & uniuersum orbem: Illi uerò erant qui indigebant ad humana præsidia confugere. Nondum ergo intelligebant quòd erat fortius & perfectius pati, ad quod erat paratus Dominus, quàm se tueri siue fuga, siue gladio, ad quod ipsi suadebantur. Illud enim est gratiæ, hoc

naturæ, illud facit charitas Dei, quæ fortis est ut mors, hoc uerò amor proprius semper imbecillus. Sed ipsi, ut iam diximus, nec se cernentes, nec suam imperfectionem & sermonem domini in eam partem trahentes ad quã humana sapientia perducebat quæ odit crucem, gladios suos afferunt. Quibus dominus cum eorum ineptiam ac ruditatem uideret quasi tædio affectus ad docendum, dixit satis est, Græcè ἱκανόν ἐστι, hoc quod quidam uolunt ironicè dictum esse, eò quòd duo illi gladij nihil erãt præsidij ad illam oppugnationem imminẽtem, aut si magis placet, hoc dicto uoluit sermonem præcidere acsi dixisset, satis est dictum, ut quod à uerbo non capiebant ex ipso facto postmodo prudentiores facti caperent. Hæc habui quæ benigno lectori offero, quæ si placẽt & bona sunt, gratias agamus Deo simul: sin minus, obsecro ut uideant meliora.

¶ *Vbi legimus, Apparuit autem illi angelus de cœlo cõfortans eum, notat Caietanus quòd Hieronymus non omnino certam putat hanc angeli apparitiõem, quod falsissimum est, imò probat & citat ut certam, licet dicat in multis codicibus abesse: At hoc non probat quòd Hieronymus non ut certam habuerit.*

¶ *Quòd maiores Iudæorum non crediderint Iesum esse Christum, hinc accipit, quòd eis hoc rogantibus dixit dominus, Si dixero, non credetis. Et non uidit quòd in scripturis, non credere, sæpe accipitur pro nolle credere, & pro non credere fructuosè, secundum quod fides est donum Dei, quia fides quæ est ex argumentis conuincentibus non est fides. unde & Abraam ex resurrectione mor-*

Luc. 16.

ne mortuorum non induci fidem testatus est, dominus quoque testatus est pluries quòd ipsi uiderunt, sed ode- Io.15. runt eum gratis. Et alibi clamat: Et me scitis, & unde Io.7. sum scitis. Et parabolã proponit de agricolis qui cognouerunt eum, & dixerunt, Hic est hæres: & in cruce non Matth.21. pro his orat qui sciebant quod faciebant, ut ait Augustinus. Etiam Ioannes testatur quòd multi ex principibus Io.12. crediderunt in eum, sed non confitebantur: quia magis dilexerunt gloriam hominum, quàm gloriam Dei, & tamen dixit dominus, Quomodo potestis credere qui gloriam abinuicem accipitis? Crediderũt ergo coacti signis qui non poterant credere ex imperio uoluntatis, pro- Io.5. pter appetitum gloriæ. Non ergo magnum hinc accipitur argumentum, per id quod dixit dominus, non credetis, quia loquebatur de fide uera, quæ à uoluntate est, libenter id acceptante quod creditur. Alioqui non potuisset dicere non credetis, si alioqui ad persuasionem esset locutus, & ipsi nõ penitus incapaces fuissent? Ergo prauam eorum uoluntatem arguit. quæ non esset acceptatura etiam cognitam ueritatem, quod est summum malorum.

DIxit dominus, In manus tuas commendo spiritum Ex.c.23. meum: Caietanus loco, commendo, substituit, cõmendabo propter quædam pulchra mysteria quæ inde elicit, nec uidit quòd dominus tunc spiritum commendauit cum esset in mortis articulo, non post mortem, quando iam deposuerat quod esse oporteret, ut daretur locus ijs mysterijs. uideat lector cui placet: certè ipsemet Inconstantia in expositione psalmi secundum literam applicat ad Da doctrinæ. uid,

uid: & testatur conuenire illa uerba migrãtibus ex hac uita. Quare & ecclesia in hora completorij eadẽ usurpat: nec obstat quòd Hebraicè legatur, commendabo: nam sicut dicimus ualeto, salueto, uolentes tamen illico ualetudinem bonam ac salutem, ita etiam dicimus, commendabo, nunc etiam commendantes, ut & quandam in hoc animi perseuerantiam declaremus in commendando.

¶ *Quòd mulieres bis parauerint aromata, & non uiderint Iesum aromatibus conditum, leuibus argumẽtis suadet. Argumenta enim solidiora contrà faciunt, sed nolo prudentem lectorem fastidire superfluis, satis est innuisse.*

Ex.c.24. *QVòd mulieres redditæ dubiæ fuerint de resurrectione Iesu, ex eo quòd reuersæ fuerint ad monumentum, inualidißimo argumento colligit, quasi uerò illuc reuersæ fuerint ad uidendum utrũ esset dominus in monumento, quòd oculis uideant submoto lapide patefactum. Et adhuc ingressæ in illud certificatæ erãt sensu clarè ibi Iesum nõ fuisse: at dices, cur igitur reuersæ illuc, quasi uerò nõ esset dulce ibi manere & contemplari, ubi fuerit Iesus, cur enim usque nũc ad sepulchrum domini, Christiani currunt? Quid istis argumentis frigidius aut leuius?*

¶ *Quòd miram quandã fractionem panis faceret dominus, propterea fuisse cognitum à discipulis, nihil habet rationis ad suadendum: Quare miror hunc hominẽ* Act.apo.2. *quòd ad sacramentum non aspexerit, quod in scripturis fractione panis significatur: unde dicitur, Erãt per-*

seueran-

ſeuerantes in communicatione fractionis panis.

ANNOTATA EX comment. Caietani ſuper Ioannem.

DEclara[illegible] uerbum, confundit id quod λόγος dicitur, cũ eo quod dicitur ῥῆμα in ſcripturis, hoc uerò ineruditè, quod & eruditis ac doctis non eſt obſcurum. Ex.c.1.

¶ Legitur Græcè cum articulo, apud Deũ, Caietanus hoc factum putat, ad notandam ueram deitatem, Ego hic magis ad notandam primam perſonam factum exiſtimo: Nã quod ſequitur, & Deus erat uerbũ, ly Deus caret articulo, nec idcirco non erat uerus Deus: Hæc dixi etiã propter Eraſmum, qui fauit hic Arrianis docens ubicunq; Deus pro Deo uero accipitur, habere articulum: quod inſtantijs reprobatur, ut patet Io.20.

¶ Quòd item loco apud Deum, legat ad Deum, quis non & nouitatem & leuitatem miretur? Sed ſuperius iam eſt exploſum. Quòd item faciat differentiam inter hæc uerba Ioãnis, Omnia per ipſum facta ſunt, & illa Pauli, Per quem fecit & ſæcula, tanquam Paulus minus ſignificanter locutus fuerit, non dignor reprobare. Ita enim patet ineptia, ut miſereat me, non tam illius qui hæc effutiuit: quàm miſerorum & ſtudioſorum iuuenum, qui hæc accipiunt ut oracula.

¶ Et illud quòd per tenebras quæ dicuntur non comprehen-

prehendisse lucem, intelligit insensibilia tãtùm, quid po test excogitari futilius? quasi uerò sensibilia tantùm potuissent comprehendere lucem ipsam, quòd si uoluit hoc declarare euangelista, quòd tenebræ non ualuerunt comprehendere, iam dixisset, non comprehẽderunt, sed non ualuerunt comprehendere. Sed nec sic erat illustris sensus. Quis enim poterat de huiusmodi dubitare, ac si quis dicat, Asini non comprehenderunt uerbũ Dei: prætereamagis tenebræ sunt insensibilia quàm sensibilia: cur ergo non & hæc significentur, ut etiam illud à Ioanne audiamus, quòd lapides non intellexerunt uerbũ dei. Quis me prohibeat exclamantem, O mirificas interpretationes.

¶ Miror hunc hominem non aduertisse quòd apostoli
Matth. 5. dicuntur lux mundi, cum articulo apud Matthæũ Græcè: quò fit ut malè quæstionem resoluerit, cur ergo Ioãnes negetur lux mundi?

¶ Quòd dicitur, in propria uenit, hoc sic exponit, id est, in sua: Et iterum in sua, id est, ob sua: & quod sequitur, Et sui eum non receperunt, quòd hoc non referat ad Iudæos, qui erant sui propinquitate carnis, qui & uerè illũ non receperunt, uehementer admiratus sum. Nam illis prioribus expositionibus nescio quid poßit excogitari uiolentius. Postrema uerò qua uult suos dici propter creationem, & non sicut diximus, imò sicut & alij dicunt, proculdubio non est germana.

¶ Nec est necessarium facere prædestinatos eos quibus dicitur, Quotquot autem receperunt eum &c. ut ipse facit: nam & ipse superius dixit, quòd hoc dixit euange

lista,

lista, nullum esse limitatum numerum hominibus recipiētium qui poßint fieri filij Dei, ut mirer inconstantiam doctrinæ in tā paucis uerbis, & in ientaculis aliter etiā exponit. *Inconstantia doctrinæ.*

¶ *Et quòd exponit, Qui non ex sanguinibus &c. minimè placet: hæc enim & olim nobis in ientaculis propinauit, tædium est referre, de hoc in dialogis tracto. Et quod notat, non dixisse Ioannem habitauit nobiscum, uel inter nos, sed habitauit in nobis, ut significaret habitationem non secundùm humanitatem & conuersationem exteriorem, nequaquam probandum est, nam Græcanico tropo, idem est, habitare in nobis, quod habitare inter nos, ut, benedicta tu in mulieribus, id est inter mulieres: & Paulus, ad obediendum fidei in omnibus gētibus, pro inter omnes gētes. Et, in quibus estis & uos, pro inter quos &c. & alibi penè paßim reperies: quin in eis locis sic exponit ipsemet, ut immemorem toties uideas doctrinæ suæ. Non ergo debuit sensum uerum, & quem litera suscipit, & qui est miræ dignationis domini erga nos, reijcere, quæ fuit in habitando nobiscum in terris, ut ille dixit: Post hæc in terris uisus est, & cū hominibus conuersatus est, & illum sensum arripiat, cui malè uerba conueniunt: nā si de habitatione spirituali dicere uoluisset, non dixisset, Et habitauit, quasi non ulterius habitet.* *Luc. 1.* *Ad Rom. 1.* *Inconstantia doctrinæ.* *Baruch. 3.*

¶ *Neque quia dixit Ioannes, Gloriam quasi unigeniti, idcirco significauit, nō ueram gloriam unigeniti, dictio enim, quasi, non semper est nota similitudinis, sicut dicitur de uero herede, quasi heres hoc fecit, id est, ut uerè*

heres

hæres, & de Papa, id quasi Papa decreuit, idest secundùm quòd uerè erat Papa.

¶ Et quòd illud, Plenum gratiæ & ueritatis applicetur, ut ait, suauius ad Ioannem, utpote contra omnium hactenus doctorum & ecclesiæ mentem & ueram rationem, iam superius explosum reliquimus.

¶ Et illud ineptè ac tortè expositum puto, Et gratiam pro gratia, id est gratiam sub ratione gratiæ.

¶ Nec est necesse quòd Ioannes uiderit bis columbam descendētem super dominum, satis est enim quòd in imagine monstratus fuerit illi Christus ueniens ad baptismum qualis esset facie, ut posset postea agnoscere uenientem etiam antequam columba ueniret.

¶ Nec fuit error Anacleti & aliorum, ut hic noster (Luthero cōsentiēs qui primus hoc dixit) uidetur innuere, qui dixerūt cephas significare caput, licet enim primò significet petrā, quia tamen ob hoc significat petrā, ut ipsam petrā fundamentum, & caput ecclesiæ sanctæ intelligamus (quod & Hieronymus dixit) ideo rectè dicitur cephas significare caput.

¶ Ait nullibi legi discipulos Christi uidisse cœlū apertum, & angelos Dei descēdētes & ascēdētes super filiū hominis. Ego uerò satis puto hoc uisum ab eis fuisse in ascensione domini. Si enim ascendebat in cœlum (quod uiderunt) puto cœlum quò ascendebat, quod etiam illi uidebāt, patuisse: nec ipsum solū illuc ascēdisse putādū est, sed cum angelis qui cum illo etiam ascenderunt, &
Act. apo. 1. ostenderunt signa suæ ipsorum præsentiæ, nam & illos sunt allocuti, sic & descēdēt postmodo ad iudiciū, quod

&

& ipsi uiderunt, & nos uidebimus, utinam cum gaudio & pace æterna. Amen.

Minimè putandum est, quòd Ioannes sponsus fuerit in eis nuptijs, ad quas uocatus est Iesus: sic enim dominus soluisset nuptias, quas tamen comprobare uenisset, & honorare, ut sancti expositores rectè docēt. Si autem soluisset, reprobationis nuptiarum potius argumentū dedisset hæreticis. Nec ualet quòd ex Hieronymo, quasi à maioribus traditum, accipitur, quòd uocatus est ipse à nuptijs, non enim dicitur ab illis nuptijs iā publicis & honoratis ab eo, quas irritare fuisset importunißimum & uiolentum: sed quòd alioqui cùm esset sponsus alterius cuiusdam sponsæ, dominus persuasit ei cœlibatum, quod & creditur fuisse dum nuptiæ illæ celebrabantur: idq; multò probabilius est. Ex. c. 2.

¶ Inefficax argumentum sumit, ut notet dominum non eiecisse de templo homines, sed oues & boues, & hoc contra alios expositores ac textum ipsum, ubi legitur πάντας, *quod non potest referri ad oues, Græcè enim neutro genere* πρόβατα *oues dicuntur: & Matthæus similem casum enarrans, manifestè homines eiectos testatur. Adde quòd illa expositione, detrahitur & de miraculo & de mysterio. De miraculo quidem, quia ut ait Hieronymus, hoc inter grādia domini miracula ascribendum est, quòd cum Iudæos tanto flagello affecerit, eos è templo eijciens, nemo tamen ausus est ei resistere. De mysterio autē, quia quòd fecit dominus, significabat Iudæorum è templo Dei eiectionem per tribulationum flagella. Inualidum est autem quo mouetur reuerendissimus*

simus:non enim quia post eiectionem narratam, narratur quòd eis dixerit dominus, Aufferte ista hinc, sequitur, quòd hoc fuerit post eiectionem. Quæ enim uno tẽpore fiunt, non possunt simul narrari. Non enim, quia quid dictum aut factum narratur postea aut prius, continuò accipiendum est etiam factum postea aut prius: quod quàm la.issimè ex euangelijs ostenditur.

Ex cap. 3. Mitto quòd non uidetur mihi bene exponere locũ illum, Sic Deus dilexit mundum, accipiendo mũdum pro uniuersa creatura. Illud omnino notandum quod ait, magnum esse errorem dicere quòd actus fidei sit actus iudicis, id est, quòd credentes à non credẽtibus distinguantur meritis, ita quòd ex meritis crederẽt credentes, & non credentes ex illata pœna non crederent. Itaq; uult quòd sicut qui credunt, non habent hoc ex meritis præcedentibus, sed ex gratia Dei, ita qui nõ credunt non habent hoc ex demeritis à Deo quasi iudicante priora, sed ex proprio ipsorum iudicio, quia semetipsos excludunt, scilicet non credendo. Hoc enim ultimũ non est usquequaq; uerum. Nam multi ob præcedentia delicta excæcantur, ne possint credere, quia quando possunt non operantur ad salutẽ, ut sic digni sint, ut si quãdo fortè uellent non ualeant, sicut ipsemet dicit inferius cap. 6. Nemo potest uenire ad me nisi pater meus traxerit eum: ubi exponens ait, quòd nec propterea excusatur, quia obicem ipse iam posuit ne traheretur, & hoc est quod ait inferius dominus, Ego in iudicium ueni in hunc mundum, ut qui non uident uideant, & qui uidẽt cæci fiant. Sed hoc iudicium non dicitur Christi in pri-

Inconstantia doctrinæ.

mò

mo aduentu, in quo non ad iudicandum, sed ad saluandum uenit, sed Dei est, & attribuitur interim patri, qui assiduè iudicat: unde ait, Ego non quæro gloriam meã, est qui quærat & iudicet. Et superius, Ego non iudico quenquam, & si iudico ego, iudicium meum uerum est &c.

Colligit ex principio textus iam traditum fuisse Ioannem, & hoc inefficaciter: Nam potius oppositum uidetur colligi. Ex.c.4.

¶ Notat quòd dominus non petijt potum à Samaritana ea ratione quòd uellet bibere, sed ut inuitet sic illam ad euangelium, tanquam repugnet ob utranq; causam simul id esse factum. Sed uolebat omnino destruere Christianam mendicitatem, quam tamen beat Christus, & suo exemplo sanctificat.

¶ Colligit ex eo quòd dicitur discipulos iuisse in ciuitatem ut cibos emerent, quòd Iesus non mendicabat, quàm uerò inaniter, iam diximus. Item colligit quòd ipse dominus habebat proprium, in communi tamen, quoniam non de alieno, sed de proprio emebant cibos: unde & illud colligit non esse imperfectionis habere proprium: hæc uerò annotatione digna sunt, ut perplexa, ut falsa, ut periculosa: perplexa inquam, quia si per hæc uerba, quæ asserit quòd dominus habebat proprium sed in cõmuni, uult intelligi, quòd non uerè habebat proprium, sed habebat omnia communia, iam patet perplexitas & mala collectio quam facit simpliciter, uidelicet quòd non est imperfectionis habere proprium. Si autem uult intelligi quòd Christus habebat re uera proprium sed

in communi, quia communicabat sua, hoc omnino falsum est dogma, ac propterea quòd inde colligit, uidelicet non esse imperfectioris status & uitæ habere proprium: nam contra uerbum Christi est, qui dixit, Si uis perfectus esse, & contra apostolicam doctrinam, quæ ab initio in feruore spiritus suadebat cuncta esse cōmunia: sed ipse in hoc articulo semetipsum sæpius destruit, qui aliàs dixit, quòd Christus nihil habuit proprium, præter uestes. Sed nota argumētum acute lector, Emebant cibos, inquit, & non de alieno, ergo de proprio, quasi non sit medium inter hæc, uidelicet, quod est commune. An non & nos emimus cibos, qui profitemur nihil habere proprium? nunquid igitur ex proprio? Quis non agnoscat fallaciam?

Inconstantia doctrinæ. Matth. 5.

¶ Quòd etiam notat exteriorem cultum non esse gratũ propter seipsum Deo, sed pro quanto ordinatur ad interiorem, falsum est: quoniam, ut docet Thomas rationabiliter, duplicem Deo orationem offerimus: quia ex duplici natura constamus, corporea uidelicet & spirituali: unde & ipsemet Caietanus super Deut. 4. sic ait, Non sufficit internus cultus, si tempore oportuno deficit externa obseruatio &c. Sufficeret autem si hæc externa obseruatio solùm ordinaretur ad internum cultum: nam habito fine superfluunt quæ sunt ad finem.

Thom. 2. 2. q. 83. art. 12.

Inconstantia doctrinæ.

¶ Quòd item notat, dominũ prius se manifestasse messiam Gentibus quàm Iudæis, omnino falsum est, & contra præstitutum ordinem à Deo, qui prius Iudæis uoluit manifestari uerbum. Prius ergo suis se discipulis & alijs multis Iudæorum quàm Samaritanæ manifestauit,

tum

tum factis, tum uerbis, ut patet de Andrea & Philippo, & Petro & Nathanaële, & Nicodemo, & alijs denique multis. Sic enim erat ordo, Iudæo primum, deinde Græco, siue gentili. Io. 1. Ad Rom. 1.

¶ Nec doctè ibi colligit, quòd Christus discipulos miserat ad prædicandum, quia dixerit, Ego misi uos, non capiens quòd scriptura plerunq; quod iam decretum est, sæpe ut factum commemorat.

¶ Circa computationem quoque temporum puto illũ frequenter falli, sed operosum nimis, cuncta retegere, ex dialogis poterit ueritas accipi.

ILla uerba domini, Si autẽ illius literis nõ creditis &c. malè arbitror ab eo tractata: nec uerè dictum literas Moseos firmiores quàm Iesu uerba, & quòd culpabilius fuerit Iudæis, non credere literis Moseos quàm uerbis Christi, omnino hæc falsò & contra rationem dicuntur, quia uerba Christi uallabantur etiam è literis Moseos & à testimonijs signorũ præsentibus, & uitã & spiritum longè ampliorem habebant, quàm à Mose scripta: oportebat ergo hunc locũ subtilius speculari. Sed sunt alia in cap. isto etiam non circunspectè (ni fallor) ab eo exposita, lector acutus inspiciat. Ex cap. 5.

DIcit scrupulosa esse uerba illa, Voluerũt ergo accipere eum in naui tãquam significetur non esse factum iuxta eorum uoluntatem, unde expiscatur quædam extranea, ut amoueat scrupulum. At mihi uidetur magis argui sic fuisse factum ut uoluerunt, quoniam ob salutem id obnixè uolebant, & ideo obtinuerunt à domino, qui Iesus erat, id est, saluator. Ex cap. 6.

¶ *Dominus dixit, Descendi de cœlo, non ut faciam uo luntatem meam &c. Quonā modo hic pateat duas esse in Christo uoluntates, uidelicet diuinam & humanam, ut ipse docet, ego non uideo.*

¶ *Coniecturam quam capit de Ioseph, quòd eo tempo re uiueret, debilem esse, eruditus facilè nouerit. Ego qui dem non existimo tunc illum uiuum, cùm de eo nullibi mentio sit in euangelio tanquam de uiuente, post osten sionem Iesu, præsertim quòd de uirgine sæpius agitur, ut in nuptijs & alijs locis, ubi conuenienter debuerat indi uiduus coniugi interuenire Ioseph.*

¶ *Quòd longiore disputatione conatur ostēdere Chri= sti uerba in hoc euangelio non pertinere ad sacramētū, in ijs quæ circa sacramenta aduersus illum posterius an= notaui, puto me satis ostendere quàm sit falsum, quàm inanibus argumentis munitum, & quomodo etiam ad= uersum ipsiusmet doctrinam aliàs meliorem è diametro pugnet. Nunc solùm hic aperiam quòd præceptum man ducationis quod dedit hic dominus, est præceptum man ducationis spiritualis, sub sacramentali tamen mandu= catione saltem in uoto: non enim principaliter præcipi= tur manducatio sacramentalis, sed spiritualis, sub sacra= mento tamen, saltem in uoto. Hoc autem posito, ueniat nunc quicunq; cum machinis Caietani, & id conuellat si potest. Cætera falsa quæ sumit, & inepta quæ adij= cit, ibi uidere licebit quò te remitto.*

Ex.c.7. *QVòd loco eius quod dicitur, in palam esse, substi= tuerit, in libertate esse, intelligens libertatē pro liberatione à persecutoribus, non puto rectè*

rectè intellectum, Græcè legitur παῤῥησία, quæ uox fiduciam ác loquendi libertatem significat, quam homo perdit quando quid agit secretè, non potens ostendere rectè aut uerè factum dictum ue.

DE historia adulteræ, quòd irrationabile sit illam secare ab euangelio, aut asserere non autenticam ob hoc tantum quòd in aliquibus codicibus olim non reperiretur, cùm tot seculis & ab omnibus sanctis doctoribus recepta sit & prædicata, ac sermonibus ecclesiasticorum celebrata, ut uera & euangelica, non puto pij ac simul prudentis cordis esse, existimare ac longè minus docere. Quòd uerò adiecit, ut illud suaderet, quòd non sit continuatio sequētis historiæ cum hac, uerè stomachum mihi mouit, imò hæc interpositio huius historiæ notam facit nobis rem ipsam, sine qua manca esset narratio, nam in superiore cap. dicitur quòd unusquisque illorum reuersus est in domum suam. In hoc uerò dicitur de Iesu quòd perrexit in montē Oliueti, & postea quòd uenit in templum, & quòd tunc ex malignitate nonnulli ex maleuolis adduxerunt ad eum illam adulteram, ut impedirent eius doctrinam: sed dominus elusit eos, & consequenter factus est locus doctrinæ: & bene sequitur, Iterum ergo locutus est eis, ut hic uideas ita catenatum sermonem, ut si quid omittas, procul dubio mancus appareat, aut saltem sermo non continens, sed initium proprium habens. Ex.c.8.

¶ Legimus in nostris, dominum interrogantibus, Tu quis es? respondisse illum, principium quod & loquor uobis. Caietanus secutus Erasmū ob Græcæ phrasis difficul-

ficultatem, mutat nõ solùm uocem, sed & sensum, quẽ tamen retinuerunt & Ambrosius, qui callebat Græcas literas, & Augustinus qui etiam animaduertit sic legi, ut est in Græcis, nec propter paucorum autoritatem debuit reijci sensus, quem & nostra æditio porrigit, & eruditissimi recipiunt: præsertim cùm nec ipsi omni suo conatu quicquam afferant, in quo uel ipsimet quiescãt si sapiunt. Nam, bone Deus, quantum in hoc laborat Erasmus, & nihil tandem solidi affert, de quo latius ego in dialogis.

¶ *Cùm rogant discipuli an cæcus peccauerit, ut sic nasceretur, Caietanus ut rem uehementer ineptam, & quasi somnium admiratur: quasi putarent quòd antequam ipse esset in rerum natura, peccare tamen potuisset: sed non est putanda tanta in illis stupiditas, sed fortè cogitare potuerunt, quòd antequam ille esset, anima eius potuisset existere, & sic peccare, & ob hoc factũ ut cæcus nasceretur. Hoc enim quorundam dogma fuit. Et fortè in Pelagianum errorẽ impingebant, qui ex peccatis præuisis puniri hominem uolebant. Consultò mitto & alia circa cap. istud in eius cõment. quæ nõ placẽt.*

Ex.c.10. *Falsò reprehendit ac immeritò eum qui secuit euangelium in capita; quòd debuerit inchoare caput hoc ab eo quod dicit dominus, In iudiciũ ego ueni &c. nam illud omnino pertinebat ad præcedens caput, unde eliciebatur iudicium illud illuminationis & cæcationis.*

¶ *Illud grauius quòd putat nõ posse secũdũ ueritatem applicari parabolã de lupo qui uenit, & dispergit & mactat*

mactat oues, quoniā secundū ueritatem, ut ait, nemo rapit oues: nā per oues perpetuò intelligit prædestinatos, in quo errat & grauiter: si enim parabola nō habet uerum sensum, cui applicetur, sed falsum potius, ergo aut mendax redditur dominus, si sit applicanda, quod horrendum est cogitare, aut certè in uanum locutus, si nullo modo applicetur: hic ergo locus diligentius in dialogis explanatur.

¶ Vix capio quō exponat, ut uideatur propriè dictū, Et fiet unū ouile siue grex, ut uult & unus pastor. Credo quòd hic locus diligentiorē cōsiderationē requirat.

¶ Irrationabiliter quoq; (ni fallor) putat festū encæniorū fuisse illud quod fuit dedicatū à Zorobabel, potius quàm quod à Macchabæis, cùm hæc posterior dicatio fuerit, quæ uidetur priorē abstulisse, nō enim uerisimile est duas de eodē festiuitates celebratas, miror autem quòd moueatur ex eo quòd hic dicitur, hyems erat, quasi uigesimaquinta mensis noni quē dicimus nos mensem nouēbris, non sit initium hyemis, præsertim quòd illa festiuitas durabat octo dies. Ego uerò etiam magis puto propriè dici posse hoc tēpus pertinere ad hyemē, in quo est hyemis principiū, quòd tempus dedicationis Zorobabel quod fuit, ut uult in mēse. 12. id est, Februario, quādo est finis hyemis, in quo etiā falsus est Caietanus, quia scriptura non dicit tertia die mensis Adar factam dedicationē, sed tertia die cōpletā fuisse ædificationem tēpli, credibile est autem nōnullum tēpus præterijsse ad præparandum quæ oportebat, & remouenda saltem impedimenta templi quæ erant ædificationis gratia.

¶ *Nec placet quod ait, dominum reuelasse certis hominibus Iudæis quòd illi essent de non prædestinatis, id est reprobatis.* Nam *quòd ait quòd faciebat id sine periculo desperationis, quia non credebant Christo, hoc per accidens est, & fortè potuissent credere, nec uidetur id fuisse quærentis salutem eorum, sed ex se magis irritantis eos.* Deniq; *periculosa est huius uiri doctrina ferè ubique de prædestinatione, quanquam neque constans.*

¶ *Inane est etiam argumentum & in hæreticos, & in se, colligere dei diuinitatem per hoc quod de Christo dicitur, missus in mundum: quia (inquit) conuenit hoc tãtùm existenti extra mũdum, ut mittatur in mundũ.* Quo *in loco aduerte plura:* Primum, *quòd ex filo text. hic est ordo, quòd prius fuerit sanctificatus Iesus & sic incarnatus, & sic in mũdo, & pars mundi, ac deinde missus.* Sic *enim res postulat ipsa, & sic sermo domini manifestat.* Ait *enim,* Quem *pater sanctificauit, & misit in mũdum, & non dicit quem misit in mundum & sanctificauit.*
Marc. ult. Deinde *etiam de discipulis dixit, euntes in mundum &c.* Et *ad literam, sicut tu me misisti in mundum,*
Io. 17. *ita & ego mitto eos in mundum.* Deinde *si de quouis homine qui nascitur, dicitur quòd uenit in mundũ, quæso igitur unde uenit in mundum? nũquid ergo antea erat extra mũdum ac propterea* Deus? Quis *hæc possit som*
Io. 1. *niare?* Et *tamen dicitur,* Erat *lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mũdum.* Quare *ista quæ nouitijs possunt uideri subtilia, falsa potius & futilia dici possunt.*

Ait

AIt Caietanus, per hoc quòd Martha introducitur ut soror Mariæ, insinuatur quòd Maria erat maior, quòd erat principalior. At si hoc uerum est, rursum quia apud Lucam introducitur Maria ut soror Marthæ, ubi legis, & huic erat soror nomine Maria, iam sequitur quòd Martha erat maior & principalior, & sic quælibet illarum maior & minor, principalior & posterior altera. Nam & paulopost è conuerso memoratur Maria soror ipsius Marthæ: Ait enim, Diligebat Iesus Martham & sororem eius Mariam. Et de Lazaro simili modo dicitur, cuius frater Lazarus infirmabatur. Et paulo post: miserunt ergo sorores eius. Quis putaret hæc à tãto uiro effutiri, nisi uideret? Credo Dei miraculo factum, quoniam in grauibus delirare occœpit. Ex.c.11.

¶ Multoties conatur & multis modis probare, quòd illa peccatrix, de qua Luc.7. fuerit Maria Magdal. etiam in ientaculis suis. Primò quia à Marco describitur quòd habebat septem dæmonia, quod uerificat per uniuersitatem peccatorum, nec tamen alicubi probat, quòd historicus ullus etiam in scripturis sanctis sic locutus sit. Hi enim sensus in historia non literales, sed mystici sunt. At literalis primò supponendus est. Itaque hoc argumentũ potius contrà concludit. Deinde arguit quòd Lucas, postquam mundata fuit, uocat eam proprio nomine: At hoc erat probandum: uideo enim quòd Lucas uocat proprio nomine illam quæ erat Maria Magdalena, quòd autẽ quã eo nomine uocat, fuerit illa peccatrix, nec ullo argumento ostenditur, sed contrà potius, ut notaui, quia

peccatri

peccatricem iam à se dimiserat, Tertio ex loco, id est, ex domo eiusdem personæ, ubi utraq; unctio facta est. At hoc falsum omnino, quia loca & personas confundit, ut superius diximus. Quartò, ex eo quòd Matthæus dixit, quòd quando prædicatum fuerit euangelium in uniuerso mundo, narrabitur, & quòd hæc fecit in memoriam eius. Habemus autem, inquit, iam euangelio prædicato in uniuerso mundo, quòd illud in commemorationem & memoriam. B. Mariæ Magdalenæ quæ soror erat Lazari, dicitur: nã ecclesia illi sic applicat, Ergo sic est, quòd illa eadem erat, Sed non uidet quòd nihil aliud probat, nisi quòd ecclesia intelligit illud factum quod ibi narrat Matthæus fuisse à Maria Magdalena sorore Lazari, quod est uerum: sed quòd illa Maria Magdalena fuerit illa peccatrix, & quòd illi peccatrici illud factum apud Matthæum narratum tribuat ecclesia, quod erat probandum, minimè probat: nisi fortè per ecclesiam intelligit eos tantùm, qui illam opinionem secuti sunt, aut sequuntur. At ego puto quòd Hieron. Chrys. & alij multi qui aliter opinati sunt & opinantur, fuerunt de ecclesia, & in ecclesia, nec tam facilè dicẽda est opinio hæretica, quæ à tã multis & doctis credita fuit, & cuius oppositum non solùm non est determinatum ab ecclesia, sed nec satis probatum, aut persuasum. Nã & qui sunt autores huius oppositæ opiniõis, sub dubio interdum loquuntur, ut hic Aug. Bernar. etiam dubitationem huius rei ostendit: deniq; Thomas, Albertus, & Antoninus permittunt cum omni pace & communione aliter existimantes. Quintò demum arguit ex hoc loco

ubi

ubi legitur quòd Maria erat quæ unxit, non reperitur enim, inquit ille, eam unxisse dominum, nisi apud Lucam: citat ergo Ioannes unctionem à Luca iam dictam. imò reperitur eam unxisse dominum apud ipsum Ioannem cap. sequenti, & unctionem à se postmodo narratam, hic memorat Ioannes, & totum quod fecisse illam ipsemet narrat, uidelicet, quòd unxit pedes Iesu, & extersit capillis suis, & non dixit quòd est illa quæ stetit retro secus pedes, quæ fleuit, quæ cœpit rigare pedes lachrymis, & osculari ipsos pedes, quæ tamen illa singulariter fecit, & ideo erant commemoranda, ut ipsamet significaretur, si illam significare uoluisset. Sed ait, non potuit respicere Ioannes ad ipsum factum, quod postea illa fecit. Quomodo autem postea fecit, an postquam scripsit hanc historiam Ioannes ipsa unxit Iesum? Quis adeo insaniat? Si dicas quòd tempore quo Lazarus infirmabatur & suscitatus est, non unxerat Iesum Maria, fateor: nec item dicit quòd unxerat, ut hoc tempus respexisse uideatur euangelista. Sed narrans quòd Lazarus infirmabatur, & quòd erat ille Lazarus, cui soror erat Maria, & uolens declarare quænam Maria illa erat, dixit, quòd erat illa quæ unxit, non dixit quæ unxerat, sed quæ unxit, scilicet postea, sicut & postea narratur, quòd uerissimum inuenitur, quia unxit postea, respectu enim temporis quo fit hæc narratio, reperitur illa iam unxisse Christum, nec propriè hoc dicitur per anticipationem, quia nondũ narratur hoc factum per modũ historiæ: sicut enim dicitur enumerando apostolos à Matthæo, & Iudas Matth.10.

qui

qui & tradidit illum, licet non tradiderit tempore quo
Marc. 3. *illud gerebatur quod ipse narrabat, & rectè dicitur, quia respectu temporis quo sciebat, iam uerum erat eũ tradidisse: sic & hic rectè dicitur, quæ unxit &c. hanc instantiam non possunt nisi proteruè refellere, qui uolunt tenere semel susceptam positionem, Quin per hæc confutantur etiam instantiæ* Caietani *qui affert de* Nico*demo, quòd erat ille qui uenerat ad Iesum nocte, & de Caypha qui erat ille qui dederat consilium Iudæis: nã hic prouide dixit euangelista, qui uenerat, & qui dederat, & non qui uenit & dedit: quanquam & si sic dixisset, non malè dixisset, sed magis ambiguum fuisset tẽpus ex ui horum uerborum ad intelligendum utrum ante uel post illud factum esset quod narrabatur. Sed & illud in his instantijs nota, quòd Ioãnes semper citat quæ à se narrata sunt, non ab alijs euangelistis, uerum de hac re particulari disputatiuncula etiam tracto.*

¶ *Exponens uerba illa, Et gaudeo propter uos, ut credatis quia non eram ibi, quod negat sic posse aptari, ut sit sensus quòd uolebat eos credere, quòd non erat ibi, propterea quia hoc sciebant, uidelicet quòd nõ erat ibi, minimè mihi suadet: quoniã uerba* Christi *spiritus erãt & uita.* Et *potuit dicere, imò hũc puto certè sensum domini fuisse, uolentis ut crederent quòd ibi non erat, non secundum præsentiam corporalem, quod sciebant, sed secundum uirtutem & effectum eius: quia dominus noluit prohibere, sicut poterat ne moreretur, & sic dicitur ibi non fuisse, ut intelligerẽt quod eius est uiuificare, cui affuerit per uoluntatem: & item ad mortem adducere*

cere quibus non adest iuuando: unde & quòd præmisit, Ego uobiscum sum, primò intelligitur secundùm uirtutem & efficaciam non solùm corporaliter, neque domini gaudium erat in eo principaliter quòd ibi non fuisset, sed quòd Lazarus mortuus erat, ut posset exercere uirtutem suscitationis, ut sic illi crederent quòd ipse est resurrectio et uita: quod hinc intelligitur, quia cui adest non corporali præsentia sed ueritate ad salutem ac uitā, suscitatur: cui uerò nō adest, moritur. Adde quòd & sibijnuicem aduersatur in hoc Caietanus, quoniam hic supponit quòd si corpore Iesus præsens fuisset, non esset passus illum mori, & tamē paulopost notat quòd Martha non fideliter elocuta est dicens, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Illud dādo corporali præsentiæ, quod dedit & Caietanus: Dices, sed alio modo Martha cogitabat circa uim corporalis præsentiæ, alio modo Caietanus. Sed unde scit ipse hoc? cùm toto hoc in loco Martha ostenderit & professa fuerit excellentem fidem?

Hic concedit fractum alabastrū à Maria, sed apud Marcum uiolat textum: ubi enim dicitur fracto alabastro, exponit, id est, aperta pixide alabastri: Diabolus enim non uellet sciri quidnam sit fractum alabastrum Mariæ, sed nō poterit: ueritas enim ex seipsa prodibit tandem, & reuelabuntur cogitationes multorum. Ex. c. 12. Inconstantia doctrinæ.

¶ De Maria autem Magd. & eius amore & hac unctione cum in suo primo ientaculo multa dicat, ego nōnulla annotaui. Primum, Mariæ amor indubitabilis per argumenta dubia comprobari non debuit, ubi abundabant

bāt certissima, uel quòd ab ea septem uera dæmonia eie-cerat, ut explicitè euangeliū testatur, uel quòd ab initio cùm dominus esset in Galilæa studiosissima eius doctri-
Luc. 8. *næ semper fuit, sequens illum per ciuitates & castella, uel quòd ei de suis facultatibus largiter ministrabat, uel*
Luc. 10. *quòd ab eius pedibus auelli non poterat immobiliter illi adsistens, pendensq́; ab ore eius, uel quòd præcipuè ad*
Io. 2. *eius lachrymas cōmotus dominus illachrymatus est, & Lazarum fratrem in eius gratiam maximè, suscitauit.*
Io. 19. & 20 *Mitto quòd nō sine mysterio legitur stetisse cum Maria matre iuxta crucem eius, cùm Apostoli & eius noti om nes fugissent & à longe starent. Et ipsa contra sepul-chrum eius principio cœpit aßistere, & in eius resurre ctionē cùm aromatibus ualde mane cucurrit ad monu-mentum, & prima angelicas uisiones uidit, & rursum foris plorans ad monumentum iugiter adsistebat, donec iterum angelos uidit, & tandem ipsum respicere salua-torem licet in faciem hortulani apparentem, sed mox ueras eius audire & reddere uoces promeruit, atq; san-ctißimos eius pedes tāgere & osculari, & beatißimum resurrectionis euangeliū apostolis nunciare, ut aposto-lorum apostola meritò nuncupetur à sanctis theologis. Et præter hæc sola hæc, unctio quam præ manibus habe mus per adeò preciosum unguentū fragorem alabastri & ungueti fragrātiam ore in medio conuiuarum & ad caput & ad pedes domini tā largiter effusi satis superq́; erat ad suam erga dominum ostendendam obseruantiam & uerum amorem. Quæ omnia idcirco commemoraui-mus, ut quod uolebamus persuadeatur, si probādus erat*

amor Mariæ, non defuisse euangelica testimonia manifestè de illa loquentia, absq; his quæ uel à longe erant, uel dubia sunt adhuc, id est, utrum ad illam pertineant propter uarias sanctorum theologorum opiniões. Qua de re alibi propria habebitur quæstio. Secundò igitur circa id quod reuerendißimus locum exponens notat, uidelicet tria simul officia domino fuisse ab hac sancta muliere exhibita, uidelicet humanitatis, gratitudinis, ac religionis, mitto id quod ait gratitudinis, ex eo uidelicet quòd uoluit gratias pro uerbo ueniæ, id est, pro beneficio accepto remißiõis peccatorũ illi repẽdere, de quo apud Luc. 7. c. Nam id est quod ad disputationem postmodum ponetur. Illud hic potius adnotandum quòd quam dominus ueram causam unctionis huius aßignat ipse reijcit, & nouas affert de propria officina. Dominus enim manifestè ait, Bonum opus operata est in me, quia ad sepeliẽdum me fecit: præuenit enim ungere corpus meum in sepulturam. Etenim cum dominus de proximo sibi mortem imminere prædiceret, illa sedula, officiũ unctiõis quod mortuis exhiberi solet studuit anteuertere, metuẽs ne id fortè suo tempore ualeret. Et ideo magna illa effusio facta est unguenti, quod à capite per totũ corpus usq; ad pedes effluxit: Et hoc est quod ait dominus, præuenit ungere corpus meum in sepulturam: nam quod exponit Caietanus ad sepeliendum me fecit, hoc est sepelibilem me iudicauit, uideat elegans arbiter, ne hec expositio uim afferat uerbo Christi quod planũ erat. Quid enim obstaret quin & multa alia sic exponerentur, hoc est destruerentur, si huiusmodi expositio recipitur?

cipitur? Nam quod alicubi dicitur, misit discipulos suos ad prædicandum, sic etiam exponeretur, id est, prædicabilem se indicauit: quod certè alicuius lectionis uiri faciè deriderent. Quare meritò improbãdum est quòd idẽ circa hoc dixit, uidelicet quòd spiritussanctus ad hunc finẽ eam mouit ut ungeret. Et dominus ipse in hoc ipsum unctionem illam suscepit, scilicet ad sepulturam: Ipsa tamen neq; hoc intendit neq; cogitauit. Contra hoc autem stare uidentur uerba domini, & intentio excusantis illam ab his qui eam molestia afficiebãt. Ait ergo, Quid molesti estis huic mulieri? bonũ enim opus operata est in me. Quia uerò bona opera maximè sunt à fine, intento ab operante: ideo dominus uolens bonum opus eius probare finem ab ea intentũ aperit dicens, Mittẽs enim hæc in corpus meum ad sepeliendum me fecit. Sic enim ait Matthæus: Marcus uerò, præuenit ungere corpus meum in sepulturã. ex qua intentione probatur & qualitas operis & bonitas. Si autem non fuisset hæc intẽtio Mariæ ungentis, sed solùm Christi recipientis, aut spiritus sancti eam mouentis, profectò neque laude, neq; excusatione digna fuisset propter hoc, licet ex alijs bonis causis mota fuisset: nam ab illis laudanda erat quas intẽderat causas, non ab hac quam nõ intendit. Dominus autem manifestè hanc tantummodo causam pro excusatione & laude adducit. Porrò, mirum ualde quòd eam laudet dominus à fine quem ipsa non intendebat: & de finibus ab ea intentis iuxta doctrinam uiri huius nullum penitus uerbum fecit. Nec uidetur ualere si quis dixerit, quòd illum finem intendebat spiritus sanctus eam mouens,

uens, & ipse dominus illam unctionem recipiens: Nam si ob hoc illa laude digna censetur, laudetur Caiphas cũ dixit, Expedit ut unus moriatur pro populo, cùm mala intentione hoc dixerit, quoniam spiritus sancti mouentis illum intentio bona fuit. Superest igitur ut hæc fuerit intentio Mariæ, propter quam à domino laudatur: Vnde in hunc sensum tanquam cogente ueritate tandem aliqualiter inclinare reuerendißimus uidetur, cùm paulopost confitetur quòd Maria sciebat Christi mortem propediem futuram, & sollicita erat, ne fortè amplius talem occasionem habitura esset ungendi dominum. Et denique quòd ista unctio nonnullum habuit respectum ad sepulturam. At ego imò ipse dominus hunc solum respectum & non alium commemorat. Licet ergo subtiles fortè sunt & ex ingenio optimo exquisitæ uiri huius meditationes, eatenus tamen admittendæ sunt quatenus dominico testimonio non faciant præiudicium. Vt igitur nunc iam quo pacto planiore & suo sensu textus iste procedat, breuiter explicem, ut non maneat scrupulus, pleraque suo ordine prænotanda sunt. Primũ nudũ Mariæ opus: secundum discipulorum indignatio ac fremitus: tertium rationes indignationis: quartum domini apologia pro muliere contra illos. Circa primum opus Mariæ est unctio capitis & pedum domini, & totius corporis unguento magni precij: Ioannes enim de pedibus testatur. Quòd uerò etiam caput & à capite in reliquum corpus effluxerit, Marcus & Matthæus meminerunt.

¶ *Circa secundum dixerunt nonnulli, quòd solus Iu-*

das in eam indignatus est, ut apud Ioã. Et quod ab alijs dicitur, Quidam indignè ferebant intra semetipsos, numerum pluralem pro singulari de more scripturæ positum arbitrantur. Alij uerò dicunt quòd uerè plures indignati sunt & fremuerũt, & ipse dominus cõtra omnes eam defendit cùm ait, Quid molesti estis &c. & ita quod Ioannes tacuit de reliquis cæteri expresserunt. Sunt & qui internius euangelium considerantes aiunt quòd solus Iudas apertè est indignatus, & uerba illa protulit quæ narrat Ioannes: Cæteri uerò intra semetipsos, ut textus apertè ait, utpote modestiores eadem dicebant. Item Iudas non propter pauperes, sed quia fur erat & loculos habebat: alij uerò bono zelo excitati, licet non secundùm scientiam. Et forsitan primus in murmurationem talem prouectus Iudas fuit, qui & alijs eadem cogitandi dedit occasionem, ut est uerisimile prætextu falsæ pietatis Et ob has causas Ioannes solum Iudam nominat quasi principalem, utpote qui animo auaro mouebatur: & qui ausus est palam indignationem suam proferre coram domino. Cæterorum autem indignatio non ita grauis fuit, uel quia non processerat usq; ad linguam, uel quòd ex pietate uera erga ueros pauperes procedebat, licet non secundùm scientiam, quæ tamẽ facilè ad rectitudinem reducenda mox erat per scientiã longè melioris & opportunioris pietatis erga ueriorẽ pauperem Christum.

¶ *Circa tertium, uidelicet de rationibus quibus discipuli mouebãtur, licet Iudas singulariter ab auaritia motus esset, illud certũ est duo contra hoc opus adduci ab illis.*

Primum

Primum, unguenti perditio, unde tanquam uanum & superfluum opus illud argumentãtur. Secundum, est detrimentum pauperum. Itaque arguebant opus illud non solùm uanum & superfluum in seipso, sed etiam tanquã iacturam alterius boni operis, quale fuisset si redactum precium ex illius unguenti distractione distributum in pauperum eleemosynas fuisset.

¶ Circa quartum, quod est apologia domini pro muliere contra superiora. Aduertendum est quàm mirabiliter ad singula respondet dominus. Ad primum enim cùm quasi uanum & perditum opus illud & consequẽter nõ bonũ reprehenderẽt, respõdet dominus quinimo bonum fuisse. Bonum enim, inquit, opus operata est in me. Bonum autem opus est in se quod est officium humanitatis, pietatis atque religionis, & maximè si bene & dignè confertur, & si cum mensura quæ pro recipientis qualitate maximè moderatur, & si opportunè fit, & si bona intentione, & cum charitate præsertim. Hæc autẽ omnia sapientißimus magister paucis miro modo explicat: Cùm enim dicitur, ad sepeliendum me fecit, qualitatem operis indicat, scilicet humanitatis, pietatis, religionis: humanum enim est propter hominis dignitatem etiã mortuis corporibus extremos huiusmodi haberi honores, & naturali ratione apud omnes gentes à principio obseruatum. Piũ insuper est ac religiosum propter spẽ & memoriam resurrectiõis: ideo laudabiliter ungi tũc solebant cadauera. Quantò ergo magis dominico corpori hoc debebatur tãquam tabernaculo diuinitatis & uerbi æterni, præsertim quòd non decebat teneri carce-

ribus mortis, & sanctum Dei uidere corruptionem, teste Propheta. Bonum igitur opus hoc erat. Quòd uerò bono & digno coll:tum fuerit, illis uerbis prudentissimè innuit cùm ait, operata est in me: ac si dixerit in me qui uerè sum bonus, imò ipsum bonum, cùm sim uerus Deus, & dignus in quem omne officium & obsequium impendant, cùm sim plasmator omnium & redemptor, In me qui singularibus gratijs in eam collatis singulariter eius dominus & magister sum, ut decentissimè hoc officium ab ea recipiam, Pulchrè enim quidã poëta ait, Abs quiuis homine beneficium accipere gaudeas. Verũ enimuerò id demum uiuat, si quem æquum est benefacere is benefecit, quòd non excesserit mensuram, ex eodẽ uerbo probatur, cùm ait, in me, acsi dixerit, fortaßis nõ bonum in alio fuisset opus hoc, sed bonum in me, quia nõ supra dignitatem mei recipientis, imò longè infra meam dignitatem: ideo in aliam partem potius accusanda esset hæc mulier, quòd infra dignitatem fecerit. Sed & in hoc à domino excusatur apud Marcum cùm ait, Quod habuit hoc fecit acsi dixerit, ut rectè Hieronymus exposuit, & si parum illa fecerit respectu mei, satis autem fecit respectu sui: quoniam quod habuit hoc fecit: quia quantum habuit obtulit, neque enim preciosius habuit, ac si adderet, quòd si habuisset proculdubio illud etiam pro honore mei corporis effudisset. In his igitur quæ nõ possumus satis est bona uoluntas & pro opere eam acceptat optimus Deus. Quòd autem opportunè & propria etiã intentione fecisset, ibi probatur. Præuenit enim ungere corpus meum in sepulturam, acsi diceret: licet enim

enim corpora ungi soleant ad sepulturam postquam mortua sunt, hæc tamen mulier sua solertia præuenit & præoccupauit tempus hoc, quoniam credidit uerbis meis, scilicet, mox me interficiendū à Iudæis: unde quasi mortuo exhibet officium, quod ueretur ne posit exhibere in morte per iniuriam inimicorum & furorem. In qua re etiam subarguere uoluit dominus discipulos suos tanquam tardos corde ad credendum, neque satis pios ad exhibenda pietatis officia, & in hoc superatos à muliere cùm nullus eorum unguentum ei, scilicet, charitatis & compaßionis (ut ita dixerim) saltem animo comparasset propter imminentem mortem, quàm sæpius illis prædixerat: unde nō ab re additur hoc in loco ex hoc opere celebrandam Mariam, quando in toto orbe Euangelium prædicabitur, & hoc dicetur in memoriam eius. In quibus uerbis fortasse aliquid latet amplius. Sed nunc ad propositum redeundo concluditur ex prædictis hoc opus Mariæ bonum fuisse, quia humanum, pium, religiosum, & omnibus circunstantijs ornatum, quoniam collatum uiro bono, uiro digno, uiro de illa bene merito. Itē sine excessu mēsuræ debitæ ex pte recipiētis & adhuc pro facultate præstātis. Item opportunè & fœlici occasione præstitū. Item propria intentione ex pietate quam homo debet homini post mortem propter resurrectionis priuilegiū, quæ in Christo maximè & statim præcesit. Et per hæc abunde confutatur prima querela discipulorum arguentium opus hoc tanquam uanum & superfluum. Supererat ergo confutare sequentē obiectionem, ne quis

diceret, Et si fortè bonum opus hoc est in Christum ad sepulturam, melius tamē fuisset in pauperes ad eleemo syn im ad eorum uitam. hoc igitur mira sapientia exclu= dit dominus, dicens, pauperes semper habebitis uobiscū, me autem nō semper habebitis: in quo opportunitatem sibi benefaciendi oblatam & mox defuturā notat: pro= pter quæ duo præferendus ille erat pauperibus, in qui= bus duo ista non concurrebant: quoniam nullus paupe= rum sese offerebat qui præsentaneo indigere tunc auxi lio uideretur. Et adhuc non deerat illis occasio semper benefaciendi pauperibus: pauperes enim semper sunt, licet ille & ille deficiat. Et quia poterat aliquis dicere, Et si pauperes sint semper, non tamen semper adest no bis benefaciendi illis facultas, sicut nunc per unguētum hoc. Ad istud fideli responsione occurrit dominus dicēs, Et cum uolueritis, poteritis eis semper benefacere, scili= cet si non temporali eleemosyna, tamen oratione & de siderio & nonnunquam præsidio multis modis: & ideo Petrus illi pauperi claudo cum dixisset, Aurum & ar= gentum non est mihi, subdidit, Quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & am= bula, Ecce quia maiora dedit quàm sunt denarij trecen= ti. Animaduertenda etiam est mansuetudo domini ipsius erga Iudam, Poterat enim dicere, non ad te attinet hy= pocrita de pauperibus, sed furtum meditaris, sed noluit, ut doceret, non facilè esse propalanda secreta cordis cu usquam neq; cuiquam, ut prælato de intentione subditi iudicandum, nisi per ea quæ patent. Item modestia eius quo ad seipsum non minus notanda est pro doctrina. Po terat

terat enim dicere cum ipse cũ pauperibus cõferrebatur, se uerè illum esse pauperem cunctis simul pauperibus meritò præferendum, de quo scriptum erat, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Nam si quid pauperibus debemus, propter illum debemus: ergo illi magis debemus ex regula dialectica. Non ergo mitißimus dominus super alios pauperes se extollit, cũ posset: sed quasi unus ex illis sola opportunitate sese præfert illis, & occasione mox defectura in se: quæ tamẽ in alijs deficere nõ poterat, cũ saltẽ de bonis specialibus uidelicet oratiõe et uoto qlibet bonus habeat in potestate eleemosynã facere. Siquidẽ nõ minus oratiõe serui dei pauperibus ꝓsunt, quàm diuites mũdi quauis tẽporali largitate.

¶ Ex eo quod loculos portabat Iudas ait, Hinc apparet non derogare perfectioni uitæ habere commune marsupium pro sumptu opportuno. Nihil enim imperfectiõis Iesus fecit in tota uita sua. Verum omnino, quòd Iesus non fecit aliquid imperfectionis in tota uita sua, sed se adigens ad ea quæ erant imperfectionis alicuius, aut minus perfecta propter nos, ne uideretur illa improbare, & ut daret exemplum omnibus, non fuit imperfectiõis suæ, sed perfectionis: qui omnibus sese fecit omnia, ut bona mater, unde non sequitur quod simpliciter nõ sit aliquid perfectius aliquo, eorum quæ fecit Iesus: nam ut rectè quidam Ponti. dixit, portauit loculos indulgens nobis non ipsi sibi, qui nouit & in deserto esse, & ieiuniũ ibi sustinere ferè perpetuò, nec ibi loculos habebat: unde non credo esse in disputationem adducẽdum quin sit altior paupertas eorum qui nihil habent etiam in commu

n',nisi quod dietim necesse sit illis. Sed quia hæc perpaucorum ualde & perfectißimorum est, ideo dominus uoluit etiam cæteris indulgere, & sese præbere exemplum ut animarentur, & à uitæ perfectione non se abesse intelligant: quæ (ut ita dicam) latitudinem habet, etiam in summo statu.

Ex.c.13. EGo *non uideo quomodo & in* Iuda *non sit uera ista conditionalis, Si hæc scitis, Si feceritis ea, Beati estis.* At *inquies, non erat tunc beatus* Iudas *nec in spe nec in re, fateor, sed non pronunciatur beatus simpliciter, sed si sciret illa, quæ tamen nesciebat,* Item *si erat facturus qui tamen non erat facturus.* Et *re uera phantasticum est constituere quid præsens certum, quod tamen pendeat ab exitu futuri incerto, id est, à conditione de futuro, quod habet se ad esse & non esse: quod tamen conatur ostendere* Caietanus.

¶ *Sine causa etiam torquetur imo torquet literam, ut quod dicitur, recumbebat in sinu* Iesu, *exponit cōtiguus* Iesu *ut puta in sinu uestis eius seu infra ambitū qui brachio comprehendi potest, putans inconueniens* Ioannem *recubuisse in sinu domini, uideat qui uolet: scriptura enim hoc dicit manifestè: & familiaritas cum* Iesu *magna* Ioannis *indicat: quæ dominus permittebat, etiam ad mysteria significanda.* Fortè *ecstasim quandam passus est præ dolore & à spiritu, cum enim esset* Iesu *contiguus, & audiret tractari de proditione,* Petrus *illi innuit ut familiari, ut interrogaret de quo diceret.* Ille *quasi ecstasi interceptus, quasi cecidit super pectus domini, & accepit dictum, & sic in ecstasi illa recubuit.* Nō au

tem

tem intelligitur quòd prius recubuisset in sinu, & postea incidisset in pectus, sed primò incidit in pectus, ut rogaret à domino, ac deinde recubuit ecstasim patiens. Deniq; sic acceperunt omnes alij, & sic nobis narrat ipsemet Ioannes: Et iniuria summa est sic torquere literam. Nec tunc sedebatur in cœnis, sed in lectis accumbebatur antiquo more.

¶ Quòd dominus in eis uerbis, Quod facis fac citius, ullo modo præceperit Iudæ actionem illã aut accelerationem illius proditionis, ut Caietanus & in ientaculis, & hic docet, nũquam persuadebor. Scio enim quòd illa actio ut actio erat, quid bonum erat. Sed quia necessariò cõiũcta erat cum deformitate peccati, præcipi nullo pacto potuit à Deo. At inquies, præcipiebatur solùm circunstantia temporis, ut quod omnino ex se faciebat & facturus erat tali tempore faceret, quia sic determinatum erat: uerùm nec sic conueniens erat. Sic enim in accelerando illud opus Iudas nõ peccasset, & dominus animasset illum magis ad hoc faciendum ui præcepti. Sed quid etiam habebat tunc præcipere seruo nequam & contumacißimo?

¶ Nec uerum est quòd dominus preordinauerit illud Iudæ peccatum absolutè, sed semper præsupposita uolũtate eius mala quam deus non fecit malam, sed ipsemet, deo tamen permittẽte. Verba ergo illa non sunt præcipiẽtis sed permittentis, & ostendentis desiderium uehemens patiendi: Sicut & alibi dixerat de calice, Et quomodo coartor donec perficiatur, & ut intelligeret proditor quòd iam deprehensus erat à domino & non

eum

eum latebant eius consilia sceleſtiſsima.

¶ *Quòd notat etiam hic quòd Ieſus non mendicabat, quia loculos habebat, & dabat ipſe egenis, Inde accipit unde potius oppoſitum colligi poterat. Nam ideo habebat loculos quia ex mendicatis uiuebat, quæ ibi mittebantur, ut ait ſcriptura, & ideo dabat egenis, quia mendicitatis ſtatum ſeruare & monſtrare uolebat, ut quod erat ſuperfluum ſibi, communicaret alijs. Hoc enim decet ſtatum mendicantium, de quo tamen ſuperius latius.*

¶ *De mandato etiam proximi quantum aberret à ueritate etiam ſuperius diſputatum eſt.*

¶ *Illa uerba etiã domini, Si quo minus dixiſſem uobis, nõ puto nec in ientaculis rectè ab eo expoſita, nec in commentarijs, ſed non ualde refert.*

Ex cap. 15. *LAborat in exponendo ſententiam domini, Maiorem hac dilectionem nemo habet. Et abſq; dubio puto non aſſecutum fuiſſe ſenſum domini. Illud uerò non probandum quouis modo quod ait, Alijs hominibus quamuis præceptum ſit, diligite inimicos ueſtros, benefacite, orate &c. tamen nunquam dictum eſt, ponite animas ueſtras pro inimicis ueſtris pro his qui uos odio habent. Quoniam diligere, benefacere & orare poſſunt referri ad naturam & ad ſpem beatitudinis, ſed mori pro actualiter inimicis, cum non referatur ad ſalutem ſpiritualem inimici (quem conſtat perſiſtere in peccato mortali) ordinata dilectio non cauſatur in hominibus alijs à Chriſto qui ſciebat quòd ſuũ mori efficiebat inimicos amicos &c. Vide reliqua his conſentanea*

tanea si placet. Ego uero dico quòd in eo quòd consultum aut præceptum est diligere, & benefacere & orare pro inimicis, etiam consultum est, & in loco, præceptum quoq;, ponere animam pro illis. Quia Christus determinauit modum dilectionis. Ait enim sicut dilexi uos, uidelicet cum mali essetis & inimici, sicut declarat Paulus. Nec propterea uolo diligi inimicos ut inimici sunt (quia ut ipse quàm bene dicit) repugnat rectæ dilectioni hoc, sed ut adhuc sunt in spe amicitiæ cum Deo, quæ amicitia sicut orationibus potest conciliari, ita, & multomagis, etiam paßionibus, & morte hominum: nec solum fuit Christi facere de inimicis Dei morte sua amicos, sed hoc etiam sanctorum & martyrum est, non quidem eo modo sicut Christus qui meruit id ex suo facto condignè & ex gratia & excellentißima. Sancti enim id merentur sub Christo, & propter Christum, quia Christus pro illis obtinuit, tanquam suis membris excellentioribus ut ex hoc mererentur pro nobis. Sic & Paulus dicit, Adimpleo ea quæ desunt paßionum Christi &c. Sic & Stephani sanguis cum oratione profuit Paulo. Porrò ridiculum uidetur quòd prosint orationes nostræ ad conciliandum Deo homines, non autem prosit oblatus pro hoc etiam sanguis. Non attigit ergo Caietanus sensum uerborum domini, qui est ad commendandam dilectionem Christi erga nos, & Christianam dilectionem, quam à nobis exigit, uidelicet ut diligamus non solum amicos, uerùm etiam inimicos usque ad sanguinem inclusiue, quia sic nos dilexit dominus

Ad Rom. 5.

Ad Coloss. 1.

Nota.

ut face-

ut faceret de inimicis amicos Deo. Id enim ut commendaret proponit sententiam ueram, quam & Paulus declarat, quòd homo inquantum homo, id est, ut ex natura mouetur non ex gratia, non potest ad hunc dilectionis gradum ascendere, ut pro inimicis moriatur. Sed maior eius dilectio hæc est, quòd fortè pro amicis hoc fecit, idq; eleganter ad Ro. declarat Paul. ut qui hoc fecerint, non iam sint homines, sed supra homines, id est, dij & filij Dei.

¶ Nec placuit expositio illorum uerborum, Iam non dicam uos seruos, poterat enim uerius euitari obiectio ex distinctione plurium generum seruitutis, innuo prudenti ut sic ad sensum ueriorem aspiciat.

¶ Offendor ferè passim in commentarijs uiri huius, ubi quum uult exponere locum aliquem, aut uerbum euangelistæ, aut domini, consueuit dicere, Non dicit hoc uel illud, quia &c. Quòd plerunq; uel falsò dicit, uel uanè, aut superfluè ad implendum folia. Dabo exemplũ hoc in loco licet pene mille præterierim, quæ fortè stomachosiora sunt.

¶ Ecce hic ubi legimus dixisse dominum, uado ad patrem, ipse sic ait, non dicit intro ad patrem, quod esset relinquere naturam sensibilem. Similiter hic poterat alia infinita dicere, uidelicet, quòd non dicit curro ad patrẽ, ne indecoram festinantiam significaret, aut uolo ad patrem, ne putaremus alis indiguisse ad ascendendum ad illum, & sic alia multa possemus comminisci, quod est alienum ab interprete: nisi fortè quando hi modi loquẽdi quos reijcit, uenire facilè possunt in promptu lectori,

ri, tanquam ad locum essent aptiores. Sed nunc uideamus quo modo si dixisset, intro ad patrem, per hoc significaretur quòd relinqueret sensibilem naturam, quanquam fateor non fuisse propriè dictum, certè ipse dixit, oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, nec tamen per intrare in gloriam suam significatur relinquere naturam suam. Et tamen rectè dicitur quòd ueniens in mundum exiuit à gloria sua. Superius etiam dixit dominus de spiritu sancto, Et quae uentura sunt annunciabit uobis, hic uerè notat, sed uanè, non dixit omnia quae sunt uentura, quis enim hoc nesciebat? Et paulopost, Quia de meo accipiet. Non dixit meum, sed de meo: ut ordo originis significetur, hic uerò nescio quomodo magis significetur per ly de meo quàm per ly meum, & in cap. sequenti notat: non dixit ut uideant, sed ut cognoscant, quasi etiam uidere non aptetur ad hoc tempus, quod tamen frequenter fit in scripturis: uide superius. c. 14. Similiter ubi dicitur, Quod dedisti mihi ut faciam, annotat quod non dicit, quod praecepisti mihi, ut plus diceret, & nescio quomodo plus dixerit: ego enim puto etiam minus, quia dare opus ad faciendum non est, ut putat ipse, etiam adiuuare ut illud fiat, & potest sine praecepto fieri, & quod subdit scrupulum inijcit: Subdit enim, multa praecipit Deus quae nō dat exequi: hoc enim indiget castigatione: quia Deus dat exequi quae praecipit. Sed nos sumus qui nolumus uel torpore, uel cōtumacia, & quia non petimus quod dare uult, quia dat omnibus simpliciter siue affluenter, & non improperat. Sed Iac. 1. taedet in huiusmodi insistere, uerùm sicut piget & miseret

ſeret me mei, qui his cogor ineptijs inſiſtere, ita etiam (pace omnium qui huic uiro afficiuntur dictum uelim) miſeret me corũ qui his meditationibus à liberalioribus & fructuoſioribus lectiõibus abſtrahũtur, nõ quòd nõ aduertat interdũ hic uir ad nõnulla elegãter & ſcitu digna loquatur (uera enim dicẽda ſunt) ſed quòd nimis ſæpe admiſceat uana & futilia. Ibidẽ timuit exponere uerba illa domini, Sicut & nos unũ ſumus, ut intelligãtur ſecũdũ diuinam naturam, ſecundum quã unũ uerè erãt, ut cæteri ſancti doctores expoſuerunt. Timuit autẽ propter illam dictionem ſicut, quia unitas in diſcipulis quã orabat non erat ſecundum conſubſtantialitatem naturæ, ſed ſecundum charitatem, & hinc Arius rationem ſumebat, ſed minimè ualet: nam illa dictio ſicut, cùm nota eſt ſimilitudinis inter nos & Deum, aut inter noſtra & diuina, non poteſt accipi ſic rigorosè, quemadmodũ & aliàs dixit, Eſtote perfecti ſicut & pater meus perfectus eſt. Nec illud quod ait dominus inferius, Sicut tu pater in me, & ego in te, oportebat torquere ad humanam naturam, ut ſecundum illam partem, dicatur pater in eo & ille in patre: Nam & aliàs ſuperius capit. 14.

Inconſtantia doctrinæ. *ubi ſunt hæc eadem uerba, ut conſuetam uideas inconſtãtiam, docuit ipſemet non poſſe propriè intelligi filiũ eſſe in patre niſi conſubſtantialitate.*

¶ Quòd ait dominus, Dilexiſti me ante conſtitutionem mundi, ui ipſa uerborum non ſignificat quòd colligit Caietanus, uidelicet quòd perſona Chriſti eſſet ante cõſtitutionem mundi, tametſi hoc ueriſsimum ſit, ſed non hinc accipitur, quia & de prædeſtinatis dicitur, quòd

elegit Deus eos in ipso ante constitutionem mundi. Et de alio quodam dicitur, Priusquam te formarem in utero, noui te, uidelicet notitia dilectionis: nam ante illum æternitatis oculum, omnia sunt etiã quæ futura nobis. Miror quòd hæc loca scripturæ non uenerint illi in mẽtem. Quòd autem censet punctum interponendum inter dilexisti & me, pene coniecit me in stuporem. Ad Ephe. 1. Ierem. Nota.

FAlsum omnino existimo, & est cõtra omnes quos legi expositores, etiam contra ipsum Augustinum, quòd illa uerba, Pater uolo ut ubi ego sum &c. non fuerint orantis, sed solùm dicentis, & enunciantis, non enim erat aperienda uoluntas diuina filij ab ipso filio ipsi patri, quæ erat patris ipsius uoluntas originaliter, sed fuit petitio, familiaris tamen, & postulatio rei tanquam sibi debitæ. Ex.c.18.

¶ *Notat hic quòd adolescentulus de quo apud Marcum qui dicitur aufugisse relicta syndone, non fuit Ioannes Euangelista neq; ullus ex discipulis, quia præceptiuè dictum fuit de discipulis, ut sinerentur abire, ut sic non oporteret fugere. Si ita est, cur ergo scriptum est de illis quòd fugerunt oẽs relicto Christo? Sic enim ait Marcus, Tunc discipuli eius relinquentes eum fugerunt, Et sequitur contiguè, Adolescens autẽ &c. itaq; cogor interdũ obstupescere. Quin & illud quod apud Marcum ait, & in ientaculis quòd Ioannes tunc esset ætatis ad minus. 30. annorum, quod colligit ex cõputatione annorum suæ ætatis, quam uixit in hoc mundo, & ætatis Christi, & ex initio imperij Traiani Cæsaris, nam tunc excessit Ioannes anno circiter secundo imperij,*

perij, ut testãtur antiqui chronographi. Agebat autẽ tunc annos.99 ut est in legenda eius. Initium uerò imperij Traiani fuit anno centesimo exacto à Christi natiuitate, unde Ioannes inuenitur ferè eiusdem ætatis cuius erat Christus. At in hoc est error, quoniam Ioãnes 90. annos uixit, ut scribit B. Antoninus in chronicis, ac B. Thomas. qui sic & ipsi legerunt in chronicis. Ego uero certißime puto mendam fuisse in characteribus abaci, ut pro.90. scriptũ fuerit.99. protracta aliquantulum ad dexteram linea illius.o. quam rem & casus & musca potuit efficere. Deniq; contra tam constantem famam & antiquorum traditiones, & autoritatem Hieronymi, qui ætatẽ iuuenilem Ioannis eo tẽpore fuisse testatur, nõ debuit facile moueri Reuerẽdißimus.

Diuus Tho. super Ioannem ult. cap.

¶ Tractans hic & in ientaculis illa Christi uerba, ad Annã. Quid me interrogas &c. dubia proponit, Alterum quòd superflua uidentur: Alterum uerò quòd nõ eius mansuetudinis quæ decebat hominem mansuetudinem profitentem. Nam his uidetur superiorem arguere, Quare nouis expositiõibus hæc remouet. Prima est quòd per ea uerba, uoluit dominus non illum arguere, sed petere ab eo causam suæ interrogationis, paratus respondere. Ac si dixerit mansuetè, nõ acriter, causa tuæ interrogationis nulla mihi apparet: posses tamẽ talem causam latentem fortaßis afferre, quòd ego tibi responderem &c. Vide tu cætera lector si placent, mihi enim contra euangelium uidetur hæc expositio & dignitatem Christi quam præseferebat, certè ex uerbis sequentibus eliditur manifestè, cum subdit, Interroga

eos qui me audierunt, ut sic clarè arguat eum malæ inquisitionis, & contra morem iudiciorum: nam cum doctrina est publica, & nihil præcessit ab alijs delatū iudici, non est primò interrogādus reus: unde ipse docuit illum dicens, Interroga eos qui me audierunt, Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Quæ certè uerba non sunt petentis causam cur interroget, sed obijciētis quòd malè & calumniosè interrogabat. Præterea quòd ualde miror, hunc hominem non considerasse impium esse putare, quòd non sciret dominus eam Pontificis interrogationem fuisse improbam & calumniosam, ac malo animo malaq; mente eum sic inquirere, quare frustra ab eo quæsisset causam iustam, & malè ostēdisset ac falsò illam se latere. Et ideo uerba illa, posses tamen talē causam latentem fortaßis afferre &c. non fuissent syncerè dicta à Christo, quia sciebat quòd non poterat ullam afferre causam bonam, nec ullam quæ se lateret. Secundam igitur expositionem subiungit, quæ uult quòd dominus petat rem interrogatā, ac si dixerit, Quid est illud quod me interrogas? id est, Aperi quidnā est quod me scire uis. Et subdit, fortè aliquem particularem articulum Pontifex manifestasset se quærere, ad quem ille respondisset: hæc ille in summa. Cōtra quàm expositionem æquè militant supradicta. Præterea quid ipse interrogaret perspicuū erat per multos sermones. ut ait Euangelista. Et manifestū est quòd dominus potius respuebat respondere, & eorū interrogationes malignas arguebat, unde aiebat, Ego palam locutus sum mundo, Ego semper docui in synagoga & in tēplo quò omnes

Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Vnde cum iustißima indignatione stomachatus ob interrogationes dolosas, sic eum merito reiecit. Quid me interrogas? Et *admonuit ut alios prius interrogaret sicut ius erat.* Quocirca *uerba illa* Reuerendißimi *fortè aliquem particularem articulum &c. importuna sunt, ne quid durius dixerim. Innuunt enim quasi ignorantem dominum, quid quæreret iniquus* Pontifex, *& quòd non habebant prorsus ullam causam quærendi, quoniam iniqui erant illi cœtus & sæui, quos inuidia & odium congregarat, quòd &* Pilatus *sciebat. Sed bene intellexit hoc domini responsum malignus ille seruus, qui tanquam redargutum* Pontificem *uindicare uoluit ausu horribili, percußione illius honestißimi & sanctißimi uultus. Ille ergo* Pontifex, *paries dealbatus, interrogabat de doctrina eius multis sermonibus, astu sycophantico, ut caperet illum ut uulpes, si quid aut contra legem, aut quasi contra Cæsarem, aut contra templum posset exculpere ad calumniam: idcirco* Dominus *noluit respondere, nec eius interrogationes probauit, sed sapientißimè reiecit.* At *uidetur* Caietano *quòd iuxta hunc sensum non mansuetè egisset* Dominus *cõtra iudicem, & nõ uidit, primò quòd* Anna *non erat iudex eius: nã* Pontificatus *illius anni erat* Caiphæ *non Annæ.* Et *tamen etiam si iudex fuisset, nõ superbè fuisset respõsum, quia non ut iudicem se gerebat, sed ut immanem lupum in agnum, nihil tamen retorquentẽ nisi uerba iustitiæ.* Vnde *dedit & nobis exẽplũ dominus ut in causa ueritatis & summæ iustitiæ,*

non

non succumbamus cùm stamus ante præsidẽ, nec adeò reuereamur personas sedentes pro tribunali, quũ quid insolens & contra ius manifestè prætendunt, ut causæ ueritatis præiudicemus. An rogo superbus Paulus aut iniurius fuit, qui dixit Pontifici & sedenti pro tribunali, iniuria tamen iubenti illum percuti, Percutiet te Deus paries inalbate? Sed uide ut causam adiunxit, illius iniquitatem manifestè sugillans: dixit enim, Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Verum enim uerò ne quod uerißimum est, & opportunum ut dicam reticeam ego, frustra reuerens hominum maiestatem audacter dico, quòd interdum ij qui sedent in solio iudicij, quod sua iniquitate fœdant ab inferioris gradus hominibus & ij qui satellitio suo illis ministrant humilitatem non solum illiberalem & abiectam, uerumetiam plusquam asininam plerũq; exigunt, ut uix ante eorum faciem stare liceat, adeò se gerunt tyrãnice, quasi dij uallium, dij colliũ, atq; dij montium. Verum quæ maior poterat à Domino humilitas desiderari, qui tã atrociter & iniquè percussus, nihil aliud refert, cum posset omnia, nisi uerba æquitatis? Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, Si autem bene cur me cædis? ubi uides cum mansuetudine, coniunctam tum æquitatis querelam, quòd iudicij ritum non seruarent: debebat enim qui seruus erat, & non iudex, expectare sẽtẽtiã iudicis, aut saltẽ iussum eius. Itaq; salua humilitate mõstrabat nihilominus ueritatẽ. Nã hæc uera & Christiana hũilitas, quæ nec simulationẽ aut hypocrisim, neq; seruilem timorẽ

admittit, quæ uitia multi sub specie humilitatis aut dolo se aut abiectè, & minus generosè incurrunt. Vt ergo pateret quòd non his præbebat exēplum Christus, ideo cum humilitate illam παῤῥησίαν coniunxit.

¶ Illud uerò nouum, & hactenus inauditum, nec somniatū quidem à quoquam existimo, quòd Petrus iuxta planum euangelij sensum septies negauit Christū. Christus autem dixit ter, & Caietanus septies. At, inquit, puerile hoc argumentum, quoniam qui septies negat, etiam ter negat, sed non accepit uim argumenti, quæ in hoc est, quòd dominus in Petrum qui temerè iactabat non passurum se scandalum, increpatoriè ac propheticè pronunciauit, etiam cum præfinitione temporis, antequā gallus cantet bis, ter me negabis: prophetici enim ferè numerum aliquem exprimentes præcisum numerum tradunt, quod latius patet. Alioqui etiam puerile esset Christianorum argumentū in Iudæos de aduentu Christi iam transacto, qui elicitur ab hebdomadibus Danielis. Possent enim & illi nos similiter eludere, & ex alijs scripturæ locis sibi fingere mille alias hebdomadas, & dicere quòd in illis etiam septuaginta continerentur. Sed ridicula esset non solum puerilis responsio hæc. Illud uerò quàm ineptum, quòd dominus primò dixerit, Antequam gallus bis cantet, ter me negabis, & postea mutauerit dictum prædicens etiam deterius, uidelicet, simpliciter antequam gallus cantet, ut uana inueniatur prophetia domini, quam Marcus recitat, quam tamen ad literam etiam impletam monstrat. Ad hæc nō bis tantùm cantauit gallus iuxta hanc interpretationem

Septies Petrum negauit Christum

nem, sed saltem ter. Semel enim in domo Annæ, ut ponitur a Ioanne, bis uerò in domo Caiphæ, ut à Marco. Et similiter tres ancillas oporteret ponere, & alia plura, quæ tædium est afferre. Itaque omnia nobis in hac tam fœcunda doctrina (ut dolens ludam) congeminantur septem primò pro tribus, aut saltem quinque negationes, Galli cantus ter auditus pro bis, ancillæ item tres pro duabus. Sed dicet quis, quomodo respondes ad argumenta Caietani? Quæ? quia clarum est, inquit, quòd ter negauit in domo Annæ. Sed ubi hoc legit in euangelio, in domo Annæ? aut in domo Caiphæ? cur hoc ipse accipit uir alioqui circũspectus, ut manifestum, unde uenit error & difficultas, quod minimè probatur? Quid enim si esset unum atrium commune, ut uerba euangelistarum satis indicant lectori prudenti? Et ædes illæ pontificiæ ambos pontifices diuersis tamen locis & conclauibus habitantes continerent? nunquid enim dixit Ioannes quòd ductum est ad domum Annæ primum? non certè. Sed dixit ad Annam primum. Item postremò nunquid dixit, quòd duxerunt à domo Annæ ad domum Caiphæ? nõ certè, sed quòd misit eum Annas ligatum ad Caipham. Nunquid ipse uel alius commemorat plures domos horum pontificum. aut plura atria? uis uidere quòd una erat domus, quoniam Lucas ab initio dixit, quòd induxerunt illum in domum principis sacerdotum, non dixit Annæ, non dixit Caiphæ, sed domum uocauit principis sacerdotum, & per articulos significatur quasi certa domus illi summo principi sacerdotum designata. Sed quis etiam temperet ne uel stomachabundus rideat, quã

Nota hæc lector & quiesce.

do ait, Apparet locorũ diuersitas, primũ ex eo quòd Lucas (ut ipse ait) dicit quòd circumsedẽtibus illis sedebat Petrus in medio eorum: Ioannes autem dixit illos & Petrum stãtes, & non uidit quod nõ dicit Ioannes à principio quãdo à prima ancilla interpellatus est Petrus, quòd tunc staret, sedebat enim, ut Lucas testatur, & uerisimile est quòd turbatus surrexit, ac negauerit, & simul alij, & in hoc situ statim describitur à Ioanne, & pacantur omnia. Illud uerò mirum quòd pro diuersitate etiam adfert: quia Ioannes dicit quòd stabant ad prunas. Lucas uerò dicit accensus est ignis. Ibi ergo ignis aut flamma, hic prunæ. O me miserum, qui hæc persequor, quasi illæ prunæ incensæ, non dicantur ignis, aut quasi non ualeat ex prunis exire flamma, quanquàm Græcè legatur φῶς, id est, lux, quia erat ignis lucens, nõ φλὸξ, id est, flamma. Sed iam tot ineptiarum me tædet. Obsecro te pie lector, da ueniam indignationi meæ: uideo enim sustineri rem contra Christi uerbum, & communem iam omnium acceptionem, nec nisi per meras ineptias. Quis ferre ualeat? nec tamen durius ago, dico ineptias, rem taxo, personæ parco.

¶ Id quod ait dominus, Regnum meum non est ex hoc mundo, negat significare originem regni sui, nec probat aliter, cùm tamen uerba hæc significent, & uerum sit & opportunißimũ, imò sic declarat ipsemet dominus dicens, Nunc regnum meum non est hinc, & quòd ait nunc, significat quòd in isto tempore non assecutus erat regnum ex hominum uoluntate & consensu, sicut alij reges mundi solent à mundo eligi: sed ex Deo

erat

erat regnum suum. Caietanus uerò in uerbis illis domini, Regnum meum non est &c. exponit est pro constat, seu cõficitur ex his uelut partibus, ex quibus regna mũdi constituuntur, puta ex dominijs, gradibus, statibus, &c. quod etiam falsum est, quia & regnum Christi habet dominium gradus & status &c. mitto quòd ineptissimè tot supplentur.

¶ Quòd uerò sequitur, Si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei utique decertarent &c. in ientaculis sic exponit, ut per suos ministros & sui regni intellexit Ioseph, & Nicodemum, qui tamen erant occulti discipuli propter metum Iudæorum. Iterum atque iterum dicã, piget ista tractare. Placet ergo quòd melius hic exposuit per ministros angelos Dei qui uerè eius erant ministri, si his uti uoluisset, sicut dixit Petro, Putas quòd nõ possim rogare patrem meum, & dabit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?

¶ Nec uerum est ex ijs uerbis, In hoc natus sum & ueni in mundum, colligi naturam Christi diuinam, cum ista de quolibet homine dicantur, sicut ait Ioannes, Lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Imò re uera prius est nasci quàm uenire in mundũ hunc, quod significat potius apparere & conuersari, unde & hunc ordinem seruauit dominus dicens, In hoc natus sum &c.

PRoponit in ientaculis quæstionẽ, Quare põtifices recusarũt iudicare & crucifigere Iesum per semet ipsos, cùm Pilatus in eos sæpius iudicium remitteret? Ex.c.19.

Respondet tandem, quòd nunquam recusarunt pontifices iudicare Christum ad mortem, sed prima uice recusarunt iudicare ad leuiorem pœnam quàm sit mors: eò quòd non haberent potestatem iudicandi ad mortem, cũ hæc potestas eis ablata esset à Romanis. *Et* propterea *dixerunt, Nobis non licet interficere quenquam. Hactenus ille. Ego uerò aut non intelligo quid ipse uelit, aut concedit non aduertens quod negat. Nam oblatum fuit illis simpliciter quòd iudicarẽt secundum suam ipsorum legem, quod recusarunt, ne uiolarent Cæsaris maiestatem, unde responderunt, Nobis nõ licet interficere quẽquam. Neque ualet quod ait Caietanus excipiens hoc argumentum, quòd neque Pilatus cùm dixit, secundum legem uestram, intellexit de lege Moseos: non enim dixit, legem Moysi, sed uestram, hoc est, secundum legem uel ipsius Moysi, restrictam tamen, seu limitatam à Romanis, aut secundum legem uestram, id est, secundum fœdera quæ accepistis à Romanis. Et quia illa lex continebat ut non possent iudicare super causa mortis: ideo ipsi dixerunt, Nobis non licet interficere quenquam, ac si dixissent, Hæc est causa mortis super qua non licet nobis iudicare: uerum meditatio hæc, certè & contra proprietatem sermonis est, & contra seriem euangelij. Nã lex ipsorum propriè erat lex Moysi, & nõ fœdus quod habebant cum Romanis: quoniam non erat propriè lex ipsorum, sed multorum qui subditi erant Romanis, nec lex ualde propriè dicebatur, sed fœdus aut pactum, aut conditio. Et quòd ipsi sic intellexerint legem suam manifestißimè patet, quum dixerunt, Nos legem habemus.*

& secundum legem nostrã debet mori. Sic enim legitur in emendatis: sed in hoc falsus est Caietanus, quòd putauit Pilato reijciẽte in eos iudicium, quòd propterea ipsi possent licitè illud accipere, quasi Pilatus iure posset reijcere. At hoc non erat in potestate Pilati, & ideo ne illi huius rei gratia taxarentur à Cæsare, quòd contra iura fœderum ausi essent, excusarunt iudicium sibi oblatum secundum propriam legem. Non enim mirum est eos recusasse iudicium sibi oblatum, quod iure non erat oblatum, & quod si in se recepissent, iura Cæsaris uiolassent. Neque etiam Pilatus reijcit in eos iudicium, tanquam uellet hoc illis remittere quod erat Cæsaris, sed ut molestos à se depelleret, & non cogeretur ipse damnare innocentem, sed omnem culpam damnationis in eos reijceret, unde & lauit manus coram eis dicens, Innocẽs sum ego à sanguine iusti huius, uos uideritis. Itaque satis patet quòd nolebat sese admiscere peccato damnationis, quod non fecisset si hoc reiecisset in eorum potestatem, ut tanquam iuridicè possent patrare quod uolebant. Cùm uerò ius non uerè occidẽdi illis offerret, quod non poterat, sed ut à se culpam potius huius facti depellens, illam in eos reijceret, ut prædiximus. Illi etiam consultò à se abegerunt, non à culpa sibi metuentes, sed à Cæsaris indignatione. Et ita planè procedit textus absq; uiolatione & tortura literæ, quam patitur ex ipsa Caietani interpretatione, ut potest facilè apparere homini circunspecto. Facta enim est quæstio ubi non erat: hæc autem omnia spiritus sancti prouidentia contigerunt, ut impleretur quod dictum erat à Christo, prædicente de

genere

genere mortis. Nam hæc pœna erat peculiaris inter gẽtes. Secundum legem uerò Moseos si iudicatus fuisset, non fuisset crucifixus etiam datis criminibus quæ obijciebantur, sed lapidatus magis, unde & aliàs ut pseudopropheta pluries illum uoluerunt lapidare. Sed prohibuit effectum Deus, quia crucifigendus erat, hoc magis eligentibus ipsis Iudæis in contumeliam Christi, & hoc potius approbante spiritu sancto.

¶ Illud quoque quod scriptum est, cùm audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit, perperam exponit, dum uult quòd magis timuerit displicere Iudæis si liberaret eum. Est enim contra uerba ipsa euãgelij paulopost, ubi subditur, quòd exinde quærebat dimittere eum. Ergo magis timuit condemnare quem iustum putabat, & asserebat, & ab ipso audierat quòd Dei filius esset.

¶ Ex illis domini uerbis ad Pilatum, Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset desuper: nouum & ab alijs inexcogitatũ mysterium colligit, uidelicet singularem domini innocentiam ab omni peccato etiam originali à domino per hæc uerba confessam. At certè cùm hæc uerba cuilibet hominum conueniant, quamuis peccatori, ut cuilibet in potestate constituto possit uerè dicere, non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset desuper, non uideo quo pacto hinc tantum mysterium eliciatur, ut inde hanc singularẽ domini innocẽtiã agnoscamus. Sed audi quomodo hoc educat. Ait enim, ex duobus capitibus homines habent superiorẽ & iudicem, Alterum ex parte superiore

riore, quia sic à Deo ordinatum, iuxta illud, Omnis potestas à Deo est, Alterum ex parte inferiore, hoc est, ex proprio peccato saltem originali, ex quo homo punibilis factus est ab homine. Christus ergo ex hac parte inferiore non erat subiectus, quia nulli peccato subditus, ergo solum ex superiore. Hæc ille in summa. At hic quærerem ab illo si liceret, utrum ad hoc quòd quis habeat aliquam potestatem in alium, uidelicet ad puniendum (nam de hac est hic sermo manifestißimus) sit ex duobus his capitibus simul iunctis, an etiam seorsum ex quolibet eorum? Si ex utrisq; simul iunctis, patet ergo quòd præses nullam habebat potestatem in Christum, quia in illum non concurrebant ambo capita, cùm esset omnino innocens. Si dicat quòd satis erat quodlibet eorum, ergo punibilis posset puniri à quolibet etiam non habente potestatem à Deo, sed ubi est illud quod omnis potestas est à Deo? Item, ergo etiam innocens posset puniri ab habente potestatem à Deo ad puniendum. Sed nunquid est potestas à Deo ad puniendum innocentem? Ecce igitur mysteria. Præterea quòd Pilatus nullam haberet legitimam potestatem in Christum, facit nō solum innocentia ipsa Christi, super quam nulla poterat esse potestas uidelicet ad puniendū, uerū etiā ipsa dignitas, cùm esset Christus summus sacerdos & filius dei, & consequenter liber omnino ab omni seculari potestate, sicut ipse dixit Petro, Nonne liberi sunt filij? Et Paulus Corinthios uituperat quòd apud ethnicos iudicarentur. Denique, genus ipsum causæ eximebat 1. ad Cor. 6.

eum

eum ab omni cognitione seculari, quód erat altißimũ. unde ipse sæpius & sapienter recusabat, dicens, Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum.
Act.18. Et ob eandem causam, Gallio ille proconsul absoluit Paulum dicens, Si quæstiones sunt de uerbo & nominibus legis uestræ, uos ipsi uideritis, Iudex ego horũ esse nolo. Et prudenter quidem: Præsupponitur enim scientia in iudicio, Quomodo igitur iudicabunt quæ ab eorũ notitia sunt quàm longißimè, ut sunt diuina? idcirco maximæ causæ non sunt sæculariũ, nec cuiuscunq;, sed summi Pontificis ex iure diuino. Sic & Moyses soceri consilio retinuit sibi maximarum causarum cognitionem. Itaq; omni prorsus ratione nulla erat legitima Pilato potestas super Christum, siue ratione innocentiæ, siue ratione dignitatis, siue ratiõe causæ quæ excedebat humanũ omne tribunal. Et hoc uoluit Deus, ut constaret uniuerso orbi, Dominum nostrum Iesum non solùm damnatum iniustè ex merito causæ, sed etiam sine legitimo ritu Iudiciorum, & solùm tyrãnica potestate, & rabie ac furore luporum. Hanc enim potestatem satis declarat Pilatus cum dicit, Nescis quia potestatem habeo dimittere te, & potestatem habeo crucifigere te? hoc arrogantißimum erat. Nunquid enim habebat pro arbitrio legitimã potestatem in utrunq;? Ergo iure poterat crucifigere innocentem? Et ideo superbam locutionem dulciter compescuit Dominus ueritate, dicens, Nõ haberes potestatem aduersum me ullam, id est, istã quàm iactas (nam aliam non habes) nisi tibi datũ eßet desuper, id est, permissum à Deo, in cuius manu est omnis

omnis potestas, ut per hæc satis innueret, quòd habebat Deum desuper ad recognoscendum. Sicut & scriptũ est, Præbete aures uos qui continetis multitudines, & placetis uobis in turbis nationum, quoniam data est uobis à Domino potestas, & uirtus ab altißimo, qui interrogabit opera uestra. Vnde & exinde timuit Pilatus, & quærebat dimittere illum. Et hic sensus horum uerborum est manifestus. Possem & alijs argumentis istam Caietani doctrinam frangere, sed molestum est, & satis esse puto superiora. Sap.

¶ *Illud fortè potius auidus lector expectat, quomodo ex uerbis iam tractatis deducatur illa consequentia: propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet: hoc enim difficile est uidere. Caietanus enim potius uerba hic uidetur reddere, quàm quicquam ponderis. Videat qui uolet, si enim superiora ut ipse docet nihil aliud prætendunt quàm singularißimam innocentiã Christi, quomodo ergo magis hæc innocentia excuset Pilatum quàm alios? & magis condemnantem quàm accusantem aut tradentem in condemnationem? Eadem enim innocentia domini (ut sic) grauat peccatum pariter in utroq;: Imo & tanto magis in Pilato, quàm in priuatis alijs personis, quanto magis peccat eiusdem criminis reus, qui in potestate est, qui abutitur ea, quã homo priuatius, ut ait Philosophus in Ethicis, Et D. Tho. Principem uiolantẽ Iustitiam magis peccare asserit, quàm alium priuatum, ratione professionis in qua à Domino est constitutus. Iudicem enim se profitetur. Sicut sacerdos uiolans castitatem multomagis peccat* D. Tho. 2. 2. q. 25. art. ul.

quolibet

quolibet soluto aut alio. Sed quid opus est hominum te stimonio, cum hoc ipsa scriptura grauiter multis locis testetur? At illud quod pro causa grauioris peccati ad iecit Caietanus, scilicet, quòd illi qui tradiderũt eum Pilato, fuerunt principaliter motores ad tantum scelus, ex quo magis peccauerunt, etiam si in hoc consenseri mus, tamen hæc principalitas quæ est formalis ratio ma ioritatis peccati (ut ita dixerim) non deducitur ex illis uerbis, Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datũ esset desuper. Stat enim innocentia Christi & potestas data Pilato, etiam si ipse fuisset causa principalis tanti sacrilegij. Et (ut dixi) Christum fuisse innocentem, & Pilatum habuisse potestatem, non ma gis excusant ipsum Pilatum à peccato. Quæ tamẽ sola in superioribus prætendũtur iuxta intellectum istum. Quod etiam sancti doctores deducendo consequentiã istam uerè dicunt, adhuc non deducunt ex supradictis. Aiunt enim quòd ideo Pilatus erat minus peccãs, quia non solum non fuit ipse autor tanti sceleris, sed quia di splicebat ei, & laborauit in dimittẽdo eum, sæpius, & multis modis tentans eius liberationem. Tum eius inno cẽtiam atq; iustitiam multoties asseruit coram illis, ita ut solo timore humano prostratus tandem succumberet, ita ut quasi coactus peccauerit. Iudæi uerò qui eum tradiderunt, præsertim Iudas & principes sacerdotũ, & scribæ, ab affectata malitia, à cupiditate & inuidia fraternæ gratiæ quasi seductorẽ & mendacem, & uio lantem legem Dei, & quasi raptorem spoliatoremq; gloriæ summi patris tradiderunt ut condemnarent eũ.

At licet

At licet hæc omnia uera sint, tamē ex præmißis uerbis, unde dominus deducit consequentiam, non habentur. Quare aliqui hanc consequentiam non ex solis præmißis uerbis trahunt, sed magis ex prioribus, unde superiora colliguntur quæ à sanctis doctoribus considerata sunt. Sunt uerò qui aliter considerant, accipientes quòd Iudæis erat non solum lege naturali interdictum homicidium, uerum insuper diuina lege, & adhuc erat illis diffinitum de Christo, quoniam debebant audire eum, non solùm non perdere, sed cum honore recipere & obedientia, quod non fuit gentili populo, quia non erat sub legis uinculo. Permittebatur igitur Pilato desuper, Christi occisio, non solum ex eo quòd dominus non resistebat potentia, sed ex eo quòd nō prohibebat præcepto speciali. At uerò non sic permissum erat Iudæ aut populo Iudæo tradenti illum, sed prohibitum tum lege Moseos, tum ex ore Christi sæpius. Ideo maius peccatum fuit eorum, quia Pilato data fuit illa potestas à Deo, id est, permissa, non solum quia noluit Deus resistere, uerum etiam quia nec prohibere specialiter, illis uerò specialiter prohibitum fuit. Quod si hoc nō placet, quod tamē colorem habet, accipe aliud. Sunt enim & qui dicant quòd cum dicitur, Qui me tradidit tibi maius peccatum habet, ly maius non stat cōparatiuè in respectum Pilati, sed in respectum eiusdem tradentis, & intelligunt Iudam, ac si dixerit, Ex hoc ipso maius peccatum habet qui me tradidit tibi, quia datum est tibi desuper ut poßis abuti potestate tua aduersus me. Si enim hoc tibi desuper datum non fuisset, Deut. 18.

minus peccatum haberet. Potestas enim tua hæc, quæ omnino perficies id quod noluit tradens me tibi, consti tuet eius peccatum maius, quoniam sequetur mors mea uerè, ex quo constituetur perfectus homicida omnino & deicida cum effectu, quod nõ esset, si hanc potesta tem tibi à Deo permissam non haberes. Ipse enim Iudas licet eum tradiderit unde mors consecuta est, nõ ta men intendebat in eum necem adeò crudelem: quamobrem ut uidit eum eo pacto damnatum, ad suspendiũ processit.

¶ *Quod ait, fecerunt quatuor partes de uestimentis eius computata tunica, non uideo id unde accipiat, sed potius contra tex. est, ubi legis, quòd factis iã quatuor partibus per scißionem, & unicuiq; militi aßigna tis, qui sic perhibentur fuisse quatuor, tunica remãsit nulli eorum data, sed sorti subdita, ut ad unum illorũ pertineret.*

¶ *Circa causam qua motus est Pilatus ut poneret illũ titulum, Iesus Nazarenus &c. Disputans Caietanus, post alias quasdã meditationes tandem concludit, quòd Pilatus sicut Herodes quasi stultũ reputauit dominum. Ego uerò non satis mirari queo hanc sententiam. Nam ad hominem arguens primum, Si uerba illa domini, non haberes potestatem aduersus me ullam, tanquam plena sapientiæ ualde nouam, ut ait ipse, atq; occultam singularemq; Christi innocentiam significabant, & Pilatus ea intellexit, ut ipsemet Caietanus do cet his uerbis. Et quòd iuxta hunc sensum intellexerit Pilatus domini uerba testatur Euãgelista dicens quòd*

exinde quærebat Pilatus dimittere Iesum. Exaudita quippe innocentia Iesu cum proprio peccato, mouebatur Pilati animus ad dimittēdum Iesum. Quomodo igitur stultum putat quem adeò mirabiliter loquentem mysteria cognoscit, & pro sua innocentia & contra aliorum peccata. Præterea cur toties ait, Ego non inuenio causam, in quibus eum accusatis? Si enim regnum sibi arrogasset siue diuinum siue humanum, etiam per stultitiā, iam causa esset in se licet excusabilis propter stultitiam, sicut si quis per furorem occidat, causa quidem est homicidij, sed furore excusatur. Non dixisset ergo Pilatus non fuisse causam in eo, de qua accusabatur: sed potius à dementia siue stultitia excusasset illū. Tertio. Quomodo ait Pilatus, innocens sum ego à sanguine iusti huius, uos uideritis. Quomodo ergo iustum appellat quem stultum putat & fatuum, neq; enim cū stultitia & fatuitate iustitia est, & præsertim cum tanta fatuitate qua impellebatur regnum appetere? Quartò nonne clare ab euangelio docemur quòd Pilatus putauit Christum uerum esse Iudæorum regem, sicut & Christus confessus est, cùm dixerit flagellato Iesu, ut Iudæorum furorē eo modo compesceret, Ecce rex uester: Et cùm illi uastis clamoribus crucifige crucifige ingeminarent, respōdit, Regem uestrum crucifigam? Ecce quomodo loquente illi interius spiritu ueritatis regem illum eorum esse testatur. Quomodo ergo habet pro stulto, quē adeo palā regē cōfitetur? Quintò, nōne etiā ab uxore accepit, nihil tibi & iusto illi, multa enim hodie per uisum passa sum propter eum? His enim uisionibus & mo-

uebātur & terrebantur Rhomani. *Sextò, etiam ipse euā gelista probat Pilatum timuisse ad ea uerba cùm se filiū Dei professum esse audiret. Quomodo ergo timet ex illo, quem fatuum putat, & quomodo à uerbis fatuitatis concipit hunc timorem? Septimò, si sciebat quòd per inuidiam trahebant eum, omnibus euangelistis sic non sine causa testantibus, profectò inuidia non est in hominem fatuum, neque sine uirtute eius in quem est inuidia, nisi etiam fatuos simul eos pontifices putasset, quos potius malignos uidebat. Octauò, nonne miraculorum fama de Lazaro suscitato, & cæco nato cui restituit lucem, & alijs innumerabilibus, eius aures penetrauerat? Quomodo ergo fatuum existimabat de quo tanta audierat, & tam miranda? Nonò, mirantem legimus Pilatum cùm dominum tandem tacentem uidet, contra accusationes calumniantium: sed non fuisset illi mirum si fatuum putasset. Decimò, Quòd idē Caietanus ait, quòd de quatuor causis principalibus de quibus accusabatur, uidelicet, prohibitione census, ne daretur Cæsari, blasphemia, qua se Deum faciebat & Dei filium, populi commotione & seductione, itē regiæ dignitatis usurpatiōe, has duas postremas Pilatus cōsiderauit, et præsertim cōmotionē populi. Sed re uera euāgeliū manifestè repugnat, cùm ait, Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertantem populum, & ecce ego coram uobis interrogans nullam causam inuenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Ecce igitur quòd omnem causam eorum reijcit, & istam nominatim de commotione populi. Euidentißimū enim erat quòd ad bonum omnes prouocabat, non ex re*

gni

gni ambitione sed ex charitate, docens non repugnare, sed humiliter subdi.

¶ Quòd etiam idem Caietanus inquit, Pilatus corripiẽdum flagellis dominum censuit, ut utriusq; fatuitatis, scilicet, quam credebat, & malitiæ quam illi obiectabant, ratione habita punitus dominus dimitteretur, cõtra euãgelium Marci militat. Nam Pilatus fecit hoc nõ alia causa nisi ut populo satisfaceret, & expleret eius furorem, qui tamen nisi morte & cruce expleri non potuit. Etenim omnino Iesu innocentiã ipse multoties testatus est, & ita omnes quos ego legi, sancti doctores interpretati sunt, quorum sententias & uerba piget referre. Nam Caietanus hoc in primis protestatur uti se libertate, & nolle hominum commentis obligari. Postremò, quòd Pilatus pro fatuo non habuerit Iesum testãtur literæ, quæ de illo proferuntur ad Tiberium Cæsarem eius mirabilia, & diuinitatem testãtes: ut ecclesiastica historia memorat. Aliud tamen de Herode dicendum est, qui expectabat signa fieri, & perpetuò illum mutum coram se intuitus est. Spreuit enim illum & elusit: neque tamen ait euangelium quòd fatuum putauerit de quo tanta audierat, sed ex indignatione animi, quasi ab eo spretus ab illa taciturnitate, & quasi non dignus habitus coram quo signa faceret, eũ contra spernere uoluit & eo modo illudendo indignè tractauit. De Pilato autem longè uerius & accommodatius ad euangelicam literam dicitur, si cum Chrysostomo, Augustino & alijs dixerimus quòd Pilatus innocentiam domini uerè agnouit, & sapientiam coram expertus est, à prudentia responsorum

eius, & inuidiam Pontificum non ignorabat, & diuinitatem regnumq; eius facilè suspicari poterat uerum esse & de cœlo esse, tum à miraculis eius, quæ nota illi fuisse satis uerisimile est, tum ab eo quod ab uxore acceperat, & lõge magis ab eo, qui intus inspirabat, qui ueritates Christi sui inspirat Omnipotens pater. Sic enim ait Chrys. Scripsit autem titulum, Pilatus, & posuit super crucem, simul quidem pro Christo respondens, ut eum à communione latronum discerneret: Simul autem & de Iudæis ulciscens, ostendens scilicet eorum malitiam dum in suum regem insurrexerunt: Et noluit mutare hunc titulum etiam postmodo à Iudæis interpellatus, quia, ut ait Chryso. neq; mẽtem mutauit & occulta uox quædam Pilato intus quodam (si dici potest) clamoso silentio personabat: quod tanto antè in psalmis prophetatum est, Ne corrumpas tituli inscriptionem.

Ex cap. 20. *VErba illa, noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum, quonam modo exponat uix intelligo, Si tamen intelligo (ut certè puto) expositionem minime probo, utpote & parum illustrem, & cui uerba non faueant.*

¶ *Illud etiam multo magis miratus sum, quòd exponens illa uerba, Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum: postquam priorem partem ex sentẽtia Augustini rectè exposuit, posteriorem uidelicet, Deum meum, mirificè destruit. Ait enim per ly Deum non demonstrari patrem: Et similiter oportet eum dicere quòd nec spiritum sanctum*

quem

quem ergo nisi filium ac seipsum? ergo ad seipsum dicit se ascendere, quod est absurdum dictu. Appellat *ergo seipsum etiam* Deum *suum scilicet personaliter ad quem ascendit.* Ego *certè hos nouos dicendi modos in nullo doctorum legi, & existimo etiam periculosos.*

¶ De *sacramento pœnitentiæ, quæ annotanda duxi in huius capitis commentarijs, inferius suo loco exponentur.*

PRimò *ipse legit bis dictū* Petro, *pasce oues meas: cum cōmuniter legatur, semel oues, & bis agnos, & sic legit* Augustinus, *& sic ipse tenuit in lib. de primatu* Ponti. *cap. 2. nec facilè & semper fidendum est in* Græcorum *codicibus, qui & ipsi nōnunquam uarij ac mendosi inueniuntur.* Ex. c. 21. Inconstātia doctrinæ.

¶ Deinde *circa datam* Petro *curam sic ait,* Quamuis *omnium* Christianorum *cura cōmissa intelligatur* Petro, *soli tamen prædestinati qui soli agni & oues* Iesu Christi *sunt explicantur pascendi & regendi à* Petro: *quia huc tendit institutio pastoralis officij,* Hæc *ille: quæ non dubito & falsa esse, & periculosa.* Si *enim* Petro *non est à* Domino *mandata cura nisi super prædestinatis, profectò super alijs nō habebit.* Quod *est falsum & hæreticum: adhæc ignoraremus, imo ipse ignorasset super quibus mandata esset ei cura, non enim sciebat qui essent prædestinati: quod est stultū fateri.* Adhæc *angelorum cura est indifferēter pro omnibus etiā non prædestinatis: quia unicuiq; est* Angelus *datus ad salutem.* Sūt *enim administratorij spiritus ut hæreditatem salutis capiamus.* Adhæc *si solum super prædesti-*

natos ei mandatum est, non habuisset potestatem ligādi sicut & soluendi, ut essent ligati & in cœlis, quod tamē ei explicite datum est à Domino, ne poßit dicere Reuerendißimus, quod fortè sensit quod super non prædestinatis habuit curā indirectè aut implicitè. Ad hæc Petrus est uicarius Christi perfectè, Christus autē habuit à Deo potestatem omnis carnis, ita super Iudam sicut & super Petrum, & eadem doctrina & cura pauit ambos. Quod autem non resipuerit Iudas à sua malignitate effectum est, non à domini (quod horreo uel dicere) aut negligentia, aut derelictione. Ita igitur Petrus super omnes curam accepit, ut si quis sua negligentia aut socordia perderetur, de sua manu sanguis eius exquireretur, ut apud Ezechielem minitatur Dominus, mandato enim domini citra differentiam omnibus debet curam & uigilantiam Petrus, tam non prædestinatis quàm prædestinatis. Vanæ autem sunt huiusmodi & scandolosæ meditationes & super falsò ædificatæ fundamento. Sed ut uideas etiam inconstantiam doctrinæ pro more suo aliter ipsemet docuit in suo tractatu de primatu Pōtifi. capi. 2. ubi quanquam etiam non mihi in omnibus placeat, tamen contra seipsum hic ita scripsit, nec silentio inuocatos propter ea præscitos dixerim, quoniam sub agnorum nomine comprehendi aliquos præscitorum non inconuenit.

&c.

Ezech. 34.

Inconstātia doctrinæ.

Not bis[m]

Exacti

EX ACTIBVS Apoſtolorum.

Mirum quod adductus fuerit ad credẽdum omnes domini diſcipulos tam Apoſtolos quàm. 70. fuiſſe Galilæos: quia Angeli dixerunt, Viri Galilæi: nam Lucas fuiſſe unus de ſeptuaginta creditur, qui tamẽ fuit Syrus, deinde qui erant præſentes cũ uenerunt Angeli erãt pluſquã quingenti fratres ſimul. Nunquid igitur omnes Galilæi? Debile autẽ argumẽtũ, quia ſatis eſt quòd Apoſtoli principales illius congregationis eſſent patria Galilæi, ad quos principaliter fiebat ſermo. Alij autem & ipſi erant aliquo modo Galilæi reſpectu mundi huius. Scriptura enim ſpiritum magis quàm carnem docet. Veriſimilius mihi uidetur quòd Lucæ ſint uerba illa. Ita ut appellaretur ager ille &c. Non Petri uſq; ad id quod bene iungitur ſuperioribus, Scriptum eſt enim, nam iſtã appellationẽ non poterat tam recenter tunc teſtari Petrus, cum non eſſet conuerſatus cum illis, ſed poſtmodo inualuit appellatio iſta. præſertim quòd Galilæorum lingua erat Hebraica & uox Hebraica, nec oportebat Petrũ admonere quaſi de aliena lingua & uocabulum exponere quod omnes intelligebant, dato quòd inter Galilæos & Iudæos eſſet in accentu, aut modo pronunciandi differẽtia, niſi forte etiã dicat quòd illud uocabulũ erat propriũ Iudæorũ nõ Galilæorũ, quod tamẽ debebat probare aut ſuadere. Manifeſtũ eſt enim quòd expoſitio uocis eius eſt Lucæ, ut ipſe fatetur. Cur nõ igitur & ſuperior

enarratio facti quod innotuit post Petri sermonem, ut uerisimile est? Et quod affert, ut ostendat aliam fuisse Galilæorum, aliam Iudæorum linguam, quòd in sequenti cap. Iudæi inducuntur Galilæos audiuisse sua lingua loquentes quasi miraculosè, ineptum est: Nam per Iudæos ibi, ut ipse etiam ibi bene exponit non ij tātū qui in sorte Iudæ continebantur, sed Israëlitæ omnes significabantur.

¶ Quòd Mathias in apostolum fuerit assumptus, non resolutè loqui uidetur, nam primò per casum sortis uidetur sentire, deinde per suffragia apostolorum. At si sors iam probarat eum & discreuerat, quid opus erat suffragijs? an ut spiritus sancti uoluntas probaretur ab hominibus? Si autem id agendum erat suffragijs, quid opus præmittere sortem? melius ergo erat unum ex his eligere & quod est probabilius, uidelicet quòd per suffragia id fuit, & hoc uocatū fuit sors, quoniam ab ipso Deo temperata fuerunt corda hominum, uertit quomodo uult. Ille autem modus per sortem minimè est probabilis, nec est in usu, nec est putandum quòd ab initio sic Deus censuisset, ut ad modum recurrerent extraordinarium cùm esset ordinarius, & ipsi principes fidei essent ordinati nobis exemplum ad quos respicere debeamus in actionibus nostris. Adde quòd cùm essent apostoli iam spirituales, certiores essemus quòd eorum electio esset cōuenientior & secundum spiritum à quo facilè moueri potuissent id uolentes atque potentes, quàm si medijs sortibus id fieret, & hoc mihi uerius semper uisum est: Nā in fine bene declarat textus, quomodo sors

Nota rationem lector,

illa

illa ceciderit super Mathiam, nimirum suffragijs, hoc enim uox Græca sonat συγκατεψηφίσθη, ψῆφος *enim calculum & suffragium significat.*

NEc est uerisimile quòd apostoli in prædicatione uterentur uarijs linguis, ut modo una, modo alia lingua diuisim loquerentur: Alioqui non potuissent consummare prædicationem unam per mensem, & fuisset una truffa. Sed intelligo quòd ipsi sua lingua loquentes miraculosè sonos omnium linguarum dabant, sic tamen ut unusquisq; propriæ linguæ sonum audiret, & sic intelligitur rectius quòd loquebantur uarijs linguis. Et hoc est quod mirabantur illi, quod & uehementißimè admirandum est: non est tamen negandum quòd potuissent loqui diuersis linguis segregatim cuilibet, si opus fuisset & personare cuiuscunq; propriam linguam, sicut Paulus de se fatetur. Ex.c.2.

¶ *De perseuerantia in communicatione & fractione panis quòd semper fugerit interpretationem eucharistiæ, miratus sum. Et ut hic excludat uotum paupertatis dicit, quòd in illa communione nulla fiebat mentio de uoto, ut potius temerariam bonorum abiectionem, quàm solidam confiteri necesse habeat: Nam quo pacto rogo, sapienter quis abijceret bona sua, si non esset firmatus animus ad permanendum in statu illo? ut sic reuertens ad uitam communem cogeretur mendicare, aut impelleretur ad fraudem, nisi uelit quòd qui recederent potuissent repetere iam collatum in commune, quod est ineptißimum & absurdißimum existimare, ideoq; nulla facta est explicitè mentio de uoto, quia scriptura suppo-* 1. Cor. 14.

nit

Nota pie lector. nit intellectum, & non proteruiam, consensum cum interpretatione sanctorum & ecclesiæ sanctæ, & non proprium sensum in ijs maximè quæ tanti pōderis sunt.

Ex.c.5. OBstupui autem circa historiam Ananiæ quum legi quòd ex uerbis illis Petri, Nonne manens tibi manebat &c. clarè appareret, quòd non uoti necessitate Christiani omnes tunc habebant omnia communia, sed libera perfectione charitatis. Obstupui inquam ad ista uerba, quia probant hæreticorum positionem, qui libertatem Christianam sic euehunt ut potius uelint perdere. Sic aliàs dixit Caietanus, Non in uinculis uotorum &c. Sed non sunt uincula uota hæc contra libertatem Christianā, imò sunt libertatis Christianæ, & iugi Christi suauissimi custodia & firmitas, his tamen qui uolūt, & non ijs qui seipsos præcipites dedunt aut strangulant istis uinculis. Obstupui inquam, quòd locum unde excellentissimi doctores uotum eliciunt iste oppositum prorsus nitatur euincere. Verùm hac de re suprà satis apud Matthæum, ubi locus iste resoluitur.

Ex.c.6. IN tractatu de sacramentis annotaui quàm malè senserit de septem diaconis, & quomodo ignorauit de ministerio cœnæ dominicæ hic tractari.

¶ Quòd non dixerit Stephanus quòd Iesus esset mutaturus traditiones Moseos, ut notat Cardinalis, quia dixerat illud, non ueni soluere legem, sed adimplere: uerissimum est, & tamen contra ipsummet Caietanū, qui aliter docet super Matth. cap. 5. ut iam annotauimus.

Ex.c.8. QVia hic dicitur quòd uiri timorati curauerunt Stephanum, feceruntq; plāctum magnum super

cum.

eum, Hinc (inquit) apparet non incepisse solennitates martyrum in primitiua ecclesia, non enim dedicauerunt martyrium, sed fecerunt planctum &c. Hic rogo te pie lector cõsidera primum genus argumenti, ex hoc enim inquit quòd Lucas ait, curauerunt illum, & fecerunt planctum magnum, apparet quòd nõ dedicauerũt martyrium, quasi ista simul conuenire non possent: ergo similiter quia super. B. Martino & alijs multis sanctis factus est planctus magnus Non est dedicata eorum solennitas, sed agnosce spiritus diuersitatem, unde hoc Caietanus accipit, Hieronymus oppositum elicit: Ex hoc enim ipso loco contra Vigilantium arguens negantem uenerationem sanctorum in eorum reliquijs, ergo, inquit, immundæ sunt reliquiæ martyrum: Ecquid passi sunt apostoli, ut immundi Stephani corpus tanta ambitione præcederent, ut facerent ei planctum magnum, ut eorum luctus in nostrum gaudiũ uerteretur &c. Quæ certè uerba huc pertinent ut indicaret, eam curam huc spectasse, ut sanctißimum corpus illud fidelium uenerationi seruaretur, Alioqui nihil contra illum hæreticũ protulisset Hieronymus. Legimus & in hist. eccl. Polycarpi martyrium qui fuit. B. Ioannis discipulus confestim dedicatum fuisse ab ecclesia Smyrnæorum. Verum quid est hoc quod aiunt, Id non fiebat in ecclesia primitiua, ut hoc demus illis, quid hinc uolunt extorquere? ergo nunc malè fit? Quo pacto id concludũt? An ignorant, quòd sicut tunc multa fiebant, quæ nunc non fiunt & rectè, ita & nunc multa fiunt &

rectè

rectè quæ tunc non seruabantur? Nec enim omnia conueniunt omni tempore, nec statim possunt omnia consummari, hæc uerò multis & comprobari & illustrari possent exemplis: sed studeo breuitati. Porrò si ad fidelium ædificationem attinet, dedicare martyrum solennitates, quid prodest comminisci, hoc non fiebat in primitiua ecclesia, nisi ad scandalum infirmorum? quasi non sapienter fuerit ab ecclesia introductum? Sin hoc non attinere ad promotionem fidei dicant anathema sint, & uel corrigantur, uel sanguis martyrum super illos.

Ex.c.9. *Miror quòd dicat in Græco textu nõ haberi, durũ est tibi contra stimulum calcitrare, Et quod sequitur & tremens ac stupens dixit, domine quid uis me facere? Et dominus ad eũ. Nam hæc etiam in Græcis leguntur, nec sine his textus bene haberet.*

Ex.c.10. *Tametsi leue hoc, notandum tamen, non ob ipsam rem quidẽ, quæ leuis est, sed ut uideas, quòd ipse & in his morosus est, quæ tamen poterat præterire, nec solum morosus, sed errat. In uisione enim quam uidit Petrus ubi dicitur iuxta Græcam lectionem, omnia quadrupedia terræ & serpentia &c. ipse uult quòd fieri debeat punctus inter ly quadrupedia, & ly terræ cõtra filum textus, & quasi non conueniat dici quadrupedia terræ. ly ergo terræ subaudiri debet, & seruire etiã ijs quæ sequuntur serpentia & reptilia: nam uolatilibus aßignat cœlum.*

¶ *Inefficaciter colligit, in die iudicij reperiendos aliquos uiuos, id est, nunquam ante mortuos, quia Petrus dixit quòd Christus constitutus est iudex uiuorum &*

mortuo-

mortuorum: quoniam uerbum Petri uerum est quandiu stat scriptura, non enim dicit illorum qui tunc erunt uiui, nunquam ante mortui, & similiter eorum qui tunc erunt mortui, sed simpliciter eorum qui mortui sunt, scriptura semper loquitur quandiu erunt homines semper sic uera erit quocunq; tempore prolata, quòd iudicabit deus & qui uiuūt et qui mortui sunt. adueniente autem tempore illo quando iam omnes erūt mortui, iam non loquetur scriptura ulterius. Sed hac de re proprio tractatu disputo, propter ea quæ malè colligit ex Epistola Pauli ad Thessalonicēses ad hoc dogma statuendum quod est falsißimum. Ex.c.13.

Dolui super uerbo quod ait, hinc habes in primitiua ecclesia spontanea ieiunia, sicut hæretici blaterant, tanquam tunc non esset præceptum ieiuniorum contra doctrinam Augustini, & Thomæ, & communem ecclesiæ sensum, de quo alibi sermo. Hic uerò notādum erat potius, quòd hæc ieiunia ordinata erant Apostolorum traditione, in ordinationibus, sicut & inferius patet cap. 14. Quæ traditio nunc etiam durat.

¶ Quod tam fidenter dicat, nullum sacramētum fuisse collatum Paulo & Barnabæ per manuū impositionē, sua hoc autoritate solùm probat: uerisimile autem mihi fit, quòd tunc fuerint ordinati presbyteri atque episcopi, ut idoneè ac iuxta ecclesiæ ordinem ministerium à spiritu sancto acceptum possent certiore autoritate exercere. Nam hactenus non nisi fuisse baptizatus apparet, & à uerbo Dei prædicationem exercuisse.

¶ Ibidem quod legimus, Resistebat autem illi Elymas magus

magus, sic enm interpretatur nomen eius, ineptè exponit quòd ipsemet interpretaretur nomen suum, & totũ illum locũ lacerat. Et falsius ait quòd Græci careant reciproco: nam si aspiratè scribantur ἑαυτοῦ *siue* αὑτοῦ *reciproca sunt. Nec Elymas est uox Hebræa, ut putat, sed Græca, ut eruditi notant. Nec potest interpretari, Dei mei mensura siue census, Scribitur enim per ypsilon non per Iota, nec Bar Iesu significat, Dei mei mensuram siue censum, sed filiũ saluatoris. Et ideo credi debuit quòd corruptè habeatur in Græcis, quibus non tantum fidere debuit, nos enim in nostris legimus Barin, nomen fortè barbarum, unde & Lucas uoluit exponere: & reddere nomine Græco Elymas, quod significat corruptorẽ atq; pestiferum ut indicaret nomen consonum rei. Vide ergo prudens lector in hoc errorum aceruo quàm indignè eluderetur Reuerendissimus à suis Rabbinis.*

¶ *Quòd item notat ex eo quòd inuitantur Paulus & Barnabas ad concionãdum in Synagoga, apparere apud Iudæos licitum fuisse cuiquam Iudæo uiro docto prædicare in Synagogis, minimè est probabile. Nam credendũ est in re tanti momenti etiam in Synagoga fuisse ordinem, Principes ergo Synagogæ qui miserunt & inuitarunt, illis hanc potestatem offerebant sicut & modo fieret ab episcopis si qui peregrini profiterentur literas.*

¶ *In computatione annorum errans dum uult exponere sermonem Pauli, uult & Græcos & latinos codices corruptos esse, & de suo mutat numerum annorũ. 450. in. 350. Et non uidet quòd Paulus. 450. non ab exitu de Aegypto, neq; à Iosue usq; ad Samuelem computat annos.*

nos, Sed ab ingressu Israëlitarum in Aegyptum usq; ad iudices, id est, ad possessionem terræ tot anni fluxerunt: quod patet à scripturis: Nã. 400. annis afflicti fuerunt Israëlitæ ab Aegyptijs, & 40. annis fuerunt in deserto, & reliquum tempus datur dispersioni gentium usq; ad iudices, & ideò bene narratur etiã Græcè à Paulo, qui incepit texere historiam Israëlitarum ab incolatu Aegypti, & narrauit exitum inde, & moram. 40. annorum in deserto, & euersionem septem nationum. Et sic statim subdit. Et post hæc annis circiter. 400. & . 50. dedit iudices, ut sit sensus, sicut latinus interpres uidit, nõ quod dederit iudices tanto tempore, Sed quòd post illa narrata, quæ acciderunt in spatio. 400. & . 50. annorum, ipse dedit iudices. & sic bene consonant iuxta sensum & Latini & Græci codices: Et sic Beda computat & alij hunc locum tractantes.

¶ Habachuc comminatio illa, Videte contemptores & admiramini &c. pertinet iuxta spiritum propheticum ad Iudæos, qui contempserunt uerbum Dei & prædicationem Apostolorum in gentibus. & reprobati sunt ob incredulitatẽ, & si sub figura aliò uideatur respicere, tamen hæc prima & principalis est eius loci interpretatio, quàm Paulus à spiritussancto edoctus protulit. Quare non oportuit dicere quòd ad aliud propositum, sit usus illa prophetia ille, quin ad hoc propositum maximè usus est, nihil enim ferè in propheticis sermonibus est quod non primò ad Christum spectet, huc enim lex & prophetæ, quod qui non supponit, ineptus certè erit ad capiendum scripturas.

Ex.c.16. DE circuncisione Timothei non puto quòd exactè considerauerit ad excusandum Paulum, nõ enim reddit rationem cur Titum non passus est circuncidi similiter propter Iudæos, sed nos hac de re alibi.

Ex.c.17. QVod dicitur, susceperunt uerbum cum omni auiditate siue prõptitudine torquet seiungendo hoc quod ait cum omni promptitudine, & construendo cum inferioribus cõtra signata puncta, tum in Græcis tum in nostris, & cum multa uiolentia literæ & sine causa: ni fortè quia hæc magis repugnare uidentur, uidelicet quòd susceperint uerbum promptè, & tamen quòd scrutarẽtur scripturas quotidie, si hæc ita se haberent. Sed uerè non repugnant: nam quanto promptius credit quis, tantò etiam magis inquirit ut solidetur & gaudeat: nam prima susceptio licet promptissima sit, nõ firmat tamen neq; arcet ab inquisitione maiore.

¶ Dolui quòd & consentiens Erasmo ac Luthero incertũ habet an Dionysius de quo hic, sit ille Dionysius qui circũfertur scripsisse de diuinis nominibus &c. tum quia Hieronymus de uiris illus. eius nõ meminit, tum uerò quia Greg. in Hom. 33. non audet asserere horum librorum autorem fuisse Dionysium Ariopagitam, sed dicit: fertur uerò Dionysius Ariopagita, antiquus scilicet & uenerabilis Pater &c. Quæ argumenta quantũ ualeant docti uiderint. Si enim nõ sit autor ille Dionysius illorũ operũ, quia Hieronymus eius nõ meminit in eo libro, plurimi certè suis operibus fraudabuntur, ut Genadius annotauit. Quin & ipse Hieronymus testatur ad Ruffinum scribens quæstione hereseos suscitata, postquam

quam illud uolumen ædiderat de uiris illust. & ipsius Origenis, & plurimorum Græciæ tractatorum multa opera legere se compulsum fuisse, quæ antea non cognouerat. Porrò uerba illa Gregorij fertur uerò Dionysius &c. nequaquam innuunt dubitationem ullam de autore, sed solùm de autoris dicto. Ignorabat enim Gregorius Græcas literas, quod sæpenumero ipse fatetur. Non ergò securè poterat de dicto testari, quod oculata fide nō uiderat, Sicut & ego possem uerè dicere, fertur Homerus in Odyssea ita cecinisse, licet ego de eius operis autore nihil dubitem: quia tamen non uidi dictum, non securè de eo pronunciarem. Ad hæc, Origines sup. cap. 1. Ioan. & post ipsum uenerabilis Beda eorum librorum autorem Ariopagitam Dionysium citant ac probant. Sexta etiam Constantinopolitana synodus huius clarissimi patris testimonium ex libro de diuinis nominibus uenerabiliter accipit. Ioannes etiam Damascenus eūdem citat honorabiliter in sermone eleganti, quem habuit de ijs qui moriuntur in fide. Titulus librorum ipsorum hoc indicat. Ipse idem autor in eis libris Pauli discipulum se prædicat: & tamen Erasmus ait, eruditis uidetur recentior quispiam fuisse. Hi autem eruditi sunt Valla, Luthe rus & Erasmus, & nescio quis alius, sed non minus uerè quàm eleganter censura Sorbonica hoc subnotauit, dicens. Non uerè eruditis, sed temerarijs & nouitatum studiosis uidetur, non esse Ariopagites ille &c. Qui enim gloriolam captant, ut mirabiles apud uulgus habeantur, quòd contra omnes pronuncient: talia inducūt noua. Est enim & in patria mea olim natum prouerbiū

Qui uolũt uideri plus sapere, & si nõ sint, se tamen hæreticos esse simulant: nec uident tandem quòd apud sobrios ác uerè prudentes ostentui sese præbent, utpote de impietate malignos, de uanitate ridiculos.

Ex. c. 18. Sosthenem principem synagogæ quem apprehenderunt nimirum Iudæi, & uerberarunt, putat fuisse aduersus Paulum, cùm minimè sit credibile hoc, sed contra potius, ideo uerberatum fuisse, quia pro Paulo erat & socius eius, & de hoc mentionem nonnũquam facit Paulus, ut in salutatione primæ epistolæ ad Corinth.

¶ Nec mihi probabile est ad Paulum pertinere quod dicitur, totonderunt in cenchreis caput ob uotum, sed ad aquilã potius, quia Paulus omnino iam dudũ à Iudaicis ceremonijs liber nihil eis deferebat nisi coactus, & propter Iudæos interdum: quanquam nõ me latet insignes doctores aliter opinatos.

Ex. c. 19. Sine causa & hic textum torquet qui ait, confitentes actus suos, restringens ad confeßionem in genere. aut publicam: & sacramentalem ab ijciens, de quo etiã alibi disputo.

Ex. c. 20. Nec oportebat in dubium poni an loqueretur de sacramento Lucas, quando memorat congregatos discipulos in die dominico ad frangendum panem, & quod inferius dicitur de Paulo quòd fregit panem & gustauit, necesse sit intelligere non de sacramentali fractione, ut uult Caietanus, non probo: semper enim apud Lucam fractio panis id significat.

¶ Legitur quòd festinabat Paulus, si poßibile esset facere pentecosten Ierosolimis. Caietanus proculdubio

Iudæorum

Iudæorum pentecosten intelligit. At cur nõ potius Christianorum, ut nonnulli exponunt? Nunquid non & Christiani tũc habebant festa sua, ac præsertim hæc maxima? Fortè tunc solennitates istæ, uidelicet paschæ & pentecostes Christianorum & Iudæorum cõcurrerant eisdem diebus, sed quilibet sua mysteria celebrabat: postmodo reiectis omnino ceremonijs legis, Christiani suos certos dies obseruare cœperunt spiritu sancto inspirante.

SI uellem quæ in huius uiri commentarijs super epistolas Pauli & aliorũ, & quæ in iẽtaculis meritò annotatione digna deprehendi, cuncta stilo eodem persequi, profectò meipsum nimis magno ac stulto labore cõsumerẽ. Aedemus aũt etiã nos cõmentaria, deo dãte, unde hæc facilè ualeãt apparere: nũc ad dogmata descẽdẽdũ, in quibus eũ grauiter errasse deprehendi.

ANNOTATIONVM F. AMBR. Cath. Politi in commen. CAIETANI LIB. IIII.

De dogmatibus ad sanctam trinitatem attinentibus, & circa beatæ Virginis excellentiam ac puritatem, & de angelis & sanctis Dei nonnulla.

NOLO' PVTES BONE LEctor, ne me calumniosum dicas, quæ de sancta trinitate malè ipsũ scripsisse existimo, etiam me existimare malè illum sensisse, cùm uiderim sæpenumero rectè illum & eleganter de illa docere, sed quòd in re tanta periculosum est, nouos & inauditos & falsos loquendi modos introducere, & quouis modo ansam præbere incredulis ad errores: Idcirco pauca licuit, sed grauia annotare in suis scriptis.

Ad Heb. 2. ¶ Primum igitur de Christi diuinitate super ea quæ ad Hebræos, nouum & inauditum & infandum docet, uidelicet quòd Christus paulò minutus est à Deo secundum

dum esse substantiale: quoniam est Deus personaliter, Deus autem est Deus & naturaliter & personaliter. Paululũ ergo imminutus est à Deo quia est quidẽ Deus secundum esse personale, quod constat esse substantiale, non autem secundum naturam. Hæc ille. At quis unquam theologus sic est locutus, & in eadem persona hæc separauit, uidelicet, personam & essentiam? Falsò ergo acclamauit sanctißima synodus & uniuersa ecclesia, homousion, id est, consubstantialem siue coëssentialem. Ad hæc quodcunq; est minus Deo quouis modo, non paulò minus, ut ipse docet, sed in infinitũ minus est illo. Mitto quòd ipse semetipsum destruit. Si enim esse personale est esse substantiale, ut ait, ergo esse Deum secundum esse personale est esse Deum secundũ esse substantiale. Videant ergo docti ista, probanda ne sint an eliminanda, quæ tam clarè pugnant cum decantata fidei nostræ profeßione.

AD hæc disputans in prima parte. B. Thomas utrũ unio facta fuerit in persona an in natura, cùm horũ duorũ alterum necessariũ esse proponeret, instat ibi Cardinalis, quia in diuinis est quoddã quod nec est natura, quia supra naturam addit indiuiduitatem, nec est persona, quia non dicit incommunicabilitatem, hoc autem est hic Deus, quod conuenit patri & filio & spiritui sancto, & ita cùm sit indiuiduum est tamen communicabile tribus personis. Quare post alia quædam in quibus non quiescit, distinguit personam dupliciter sumi, scilicet, ut addit indiuiduitatem tantum supra naturam, & ut addit etiam incommunicabilitatẽ.

primo autem modo accipi personam à B. Thoma in eo loco, ac per hoc relinquitur. quòd B. Thomas probauerit non uerbo, sed huic Deo unionem factam, quod infandum est & certe contra uerba B. Thomæ manifesta, qui concludit in persona uerbi unionem factam sicut certißimum est. Deniq; phantasticum uideri potest in diuinis nouam personam introducere, & alterius rationis à qualibet trium, ita ut numerentur quatuor personæ. Neq; enim in diuinis re ipsa aliud est Deus quàm hic Deus, aut quouis modo distinguitur, quia deitas de se hæc est, quod non accidit in ulla natura creata, Quòd non considerans hic Caietanus lapsus est.

ADmiratus sum & uehementer, quod sup r cap. 1. ad Hebræos putat rectè dici de Spiritu sancto quod sit character hypostasum, eò quòd procedat à Patre & filio, Nã B. Thomas nõ uult spiritũ sanctũ propriè dici characterẽ, quoniã singulariter hoc filio cõpetit in diuinis. Nã et de illo singulariter hoc dicit scriptura. Præterea cum procedat spiritus à Patre & filio tanquàm ab uno principio, nõ põt dici pluriũ hypostasum character, quoniã in producendo nõ producit pater ut pater, neq; filius ut filius, ideò neq; cõceditur quòd duo sint spiratores sed potius duo spirantes. Deniq; periculosum est in huiusmodi, nouos & insolentes loquendi modos introducere, præsertim cũ sic offendant, & dare queant ansam hæreticis.

Tho. 1. q. 35. art. 2.

ET in principio Geneseos miratus sum quo mõ cõtra præclarißimos Doctores catholicos & eruditißimos Hebrææ linguæ, maluerit potius Iudæorũ sequi,

nec

nec tamē omniū, sentētiā, quòd ibi Elohim *nō significet trinitatem ineptißimis utens argumētis. Inter quæ illud omnino mirandum, quòd dicat, falsò personæ diuinæ di cuntur dij aut* Domini *&c. ut patet in* Symbolo Athanasij. *At hoc certè ibi non patet, nisi quòd non catholicè dicuntur tres dij aut tres domini. Porrò hæc multò diuersa sunt. Dij enim proculdubio dicuntur ut magister sententiarum &* Thomas, *& reliqui sine controuersia admittunt. Tres autē dij non item: Sed Caietanus argue bat secū sic. Si dij, & si tres, ergo tres dij, non attendēs quòd peccat argumentum, quoniā quæ seorsum uerè di cuntur, coniunctim non semper uerè, ut docet* Philoso phus *in* Periermenias. *Ego uerò putabam hæc Reuerē dißimum habere in promptu. Quare magno miraculo id illi accidisse existimo, ut tanto craßius eum errare* Deus *permiserit, quanto in rebus grauißimis & maxi mi ponderis ausus est se opponere receptæ doctrinæ.*

M*Vlta etiā loca sunt scripturarū in quibus mētio fit illius personæ quæ Spiritusſ. uocatur iuxta cō munē sanctorū īterpretationē, cōtra qđ ausus est* Caie. *interpretari, ut est in ea quæ ad* Philipp. c. 3. *ubi legitur secūdū receptiorē lectionē, spiritui Deo, unde etiā teste* Aug. & Tho. *probatur, spiritus sanctus* Deus. *Ipse tamen legit* Spiritu Dei *etiā cōtra Græcæ lectionis uerita tē. Nam* θεῷ *in Græcis legitur nō* θεοῦ. *Itē quod legitur, & spiritus domini ferebatur super aquas, nō uult ad spi ritū sanctū pertinere sed ad uentū nescio quē flātē: idq; cōtra sanctorū sensum &* Pontificū *pluriū decreta, & ecclesiæ cantū, quæ in die sctō* Pētecostes *cōcinit de spū*

 sancto.

tu sancto. Tu super aquas foturus eas &c. Alludens ad hãc scripturæ narrationem. Hieronymus locum illum interpretans è diametro contra Caietanum sic docet, non de spiritu mundi dicitur, ut nonnulli arbitrãtur, sed de spiritu sancto, qui & ipse uiuificator omnium à principio dicitur. Basilius hoc idem confirmat, similiter Ambrosius, Augustinus, Gregorius, & alij plurimi doctrina & sanctitate conspicui. Aufert nobis & alium locũ egregiũ unde iuxta sanctorum doctrinam & ipsam totius ecclesiæ uocem mysterium trinitatis elicitur, cùm Abraham in ualle Manbræ tres uidet & unum adorat, & ait, Domini mei si inueni gratiam in oculis tuis &c. uideat qui uolet & iudicet.

AD hæc & illud quod in psalmis habetur, Verbo domini cœli firmati sunt & spiritu oris eius omnis uirtus eorum, negat ad personam spiritus sancti pertinere. similiter & illud, Emitte spiritum tuum & creabuntur: & quod dixit dominus, Quicunque dixerit uerbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit cõtra spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro: æquè non uult attinere ad personam spiritus sancti sed ad spiritum sanctum, id est, Deum sanctificantem seu exercentem spiritum sanctificationis quod est commune tribus personis. Opinor & alia loca licebit deprehendere, ubi hanc nobis de spiritu sancto intelligentiam eripit, quam communiter omnes sancti interpretes ibi confitentur, si tamen eripere potest qui nullis rationum uiribus innititur, sed uerborum duntaxat folijs. Neque uerò putanda sunt hæc

parui

parui momenti, quòd hæc nobis loca eripiantur, quia alia plura sint quæ id probent. Nã qua temeritate unus locus euitatur, eadem potest & alius qui tametsi fortè tibi probat, alij non probabit. Erasmus innumeros penè locos ubi Christus legitur Deus manifestè, audet tamen obscurare atque peruertere. At si uerum est sanctæ trinitatis sanctißimum dogma, ut certißimè nihil uerius, & ille uel ille locus sine ulla literæ uiolentia ad eam significandam aptari potest, & sic aptarunt ueteres & gloriosi doctores, quæ hæc tandem potest esse doctrina quæ aduersatur? At inquiunt, sunt alia loca quæ id ineuitabiliter confirmant, ergo ista sunt reijcienda? non est bona hæc ratio.

DE HIS QVAE ATtinẽt ad B. Virginis dignitatem ac puritatem.

ANnotaui circa pertinentia ad beatam uirginem, primum quòd non putat ad rem fidei pertinere, utrum per lineam fœmininam an uerò masculinam ipsa descẽderit ex Dauid & ex tribu Iuda. Permittit enim quòd potuerit per lineam masculinam descẽdisse ex tribu Leui; & tamen Paulus Christum ex tribu Iuda ortum docet, ut probet non potuisse præsto esse altari. Quod certè non esset uerum, si B. uirgo secundum patrem descendisset ex Leui. Adde quòd etiam canit ecclesia Regali ex progenie Maria exorta refulget. Quòd ergo cognata esset Maria Elizabeth, ex parte Ad Hebr. 7.

matris

matris contigit, non ex parte patris. Quòd si Augustinus in Faustum scribens uidetur etiam illud permittere ad duritiem hæretici illud fecit differens cum eo non ut illud probaret.

Annotaui quòd non defendit summam Mariæ uirginitatem, illud concedens, quòd illa consensit saltē in potentiā copulæ: nā minus est quod nec in potētia est nec in actu, quàm quòd est saltē in potētia: nec probaui expositionē quā dedit illis. B. uirginis uerbis, Quo modo fiet istud quoniā uirū non cognosco? Nā inducit ibi. B. uirginē tanquā dubitantē, aut putantem se statim suam uirginitatem amissuram, cùm locus ille, ut eleganter exponunt Augustinus & Thomas, stabilißimam uirginitatem & uoto firmatam ostendat.

Matth. 1. Luc. 1.

Nec est probandū quod dixit, quòd Maria ita conuersabatur cū Ioseph, quòd licitè absq; ulla nota potuissent consummasse matrimoniū quod est horribile & in cōtumeliā diuini partus dicitur, & aduersus uotū uirginitatis quod emisit uterq; cōiugū, ut ait Hiero. & Aug. quod & facile persuaderi posse nō dubito. nā & ipsemet Caiet. olim nōinelegāter hoc declarauit ut & in hoc ipsi doctrinæ inconstantiā incredibilē notes.

Inconstantia doctrinæ.

Ad hæc angeli salutationē ea parte, Benedicta tu in mulieribus, putat nō assertiuè sed imprecatoriè dictā, & ad laudē ac benedictionē hominū refert, non Dei, cōtra aliorū interpretationē: sed scio quorsum tēdebat. Nos uerò cū ecclesia sancta asserimus eā uerè benedictā super oēs mulieres, imò inter oēs unā, quia sola ab antiquo maledicto perpetua benedictiōe præseruata in

gratiam

gratiā benedicti fructus uentris sui & hunc sensum habuisse angelum & sanctam Elizabeth.

COnclusit B. Thom. in. 3 parte tū autoritate beati Ioannis Damasc. tū rationibus. B. uirginē ex purissimis & castißimis concepisse sanguinibus absque ulla seminis aut menstrui resolutione. Ipse autem ibi indignè atque impurè cōtrarium tētat defendere, idq; teneri posse absque ulla illibatißimæ uirginitatis & immaculatissimi partus iniuria. Quæ opinio sua fœditate sagacibus naribus improbabilem sese ostentat. Thom. 3. q. 31. art. 5.

NOuum quoq; illud quod cōiectat. B. uirginē illo quo cōcepit dominū tēpore fuisse annorū uiginti septem, aut ad minus uigintiquatuor, certū tamen esse quòd ad minus erat decē & nouē ānorū. O certitudinē incertam, imò ô planè falsam. Nam scriptura almam uocat, id est, puellā siue adolescentulam. Item chronographi contrà docent & sancti doctores contrà putant. Nā cùm beata uirgo ex hoc mundo excedens, in cœlum trāsierit anno ætatis. 63. ut etiam corona. 63. numero Aue Maria, testatur quæ in eius laudem oratur & ut creditur quòd filio superstes uixerit annos quindecim, planè sequitur cùm concepit illum tunc fuisse circiter annorum quatuordecim. Facit & contra hanc opinionem ipsa consuetudo, quoniam nisi maxima cogat necessitas puellæ nunquam ad eam ætatem seruantur ut nubant. Faciunt & ipsæ leges quæ definiunt ætatem nubilem esse annorum duodecim, communiter autem iusta ætas fœminæ ad nubēdum. 14. annorum aut 15. & circiter, censetur: quæ sit autem. 18. aut. 20. iam Sunt pro his & historiæ & reuelationes non spernendæ.

super-

superadulta putatur. Adde quod ad perfectionem huius partus non oportebat naturalem rationem cõsiderare, cum hoc opus esset spiritussancti.

A D hæc nec illud placuit quod negat eandem gloriosam uirginem mansisse apud Elizabeth donec illa pareret, tum quia cõtradicit omnium quos ego legi Doctorum existimationi, & communi hominum receptioni. Vide si placet Ambrosium Bernardum Bedã & alios, qui huius uiri opinioni aduersantur. Nam & in picturis ecclesiasticis contrà legitur, Quod argumentũ nõ est omnino inefficax, ut Thomas rectè docet: tum uel maximè quia inurbanitas quædam & durities fuisset, et penè dixerim non sine contumelia, si cum dies partus im mineret recessisset, ac propterea uisitationis officiũ non implesset. Nam & propter hoc magis uenerat, scilicet ut tãtum natale sua præsentia honoraret. Ex quibus friuola redditur Caietani coniectura ad oppositum.

O Ffensus etiam sum uehementer quùm legi ad illa uerba Angeli pariet autem filium, eius expositionem sic dicentem, Pariet non emittet qualitercunq; sed pariet naturali opere materno per genitalia &c. Quæ uerba satis uidentur supernaturale opus excludere quo Christus ut sacri omnes Doctores docent & uniuersa recipit ecclesia, clausis pudoris claustris, sua uirtute egressus est, nullo nisu, nullo dolore, nullo deniq; matris opere, sicut Ezechielis uaticinio pronunciatum fuit. At hæc ab Erasmo tentata prius & à catholicis explosa sunt qui Virginem diligunt. Quare non debebat Cardinalis eorum partibus fauere qui sine causa recedebant

à com-

a communi omnium receptione.

MEditans reuerendißimus quomodo Iacobus frater domini eſſet, nihil magis quadrare inquit, quàm quòd filius fuerit Ioſeph *ex alia uxore. Sed quòd illi quadrat exhorret* Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Thomas, Bernardus, *& quicunque ſancti & docti uiri, qui rectißimè coniectarunt.* B. Ioſeph *uirginem fuiſſe ut uirgo uirgini ſociata immaculatißimo gauderet coniugio, unde & dominus uirgo uirginum oriretur, qui & in cruce ipſam* Virginem *non niſi* Virgini *commendauit.* Agnoſce *autem pie lector & hic ſolitam doctrinæ inconſtantiam. Sic enim ille aliquādo ſcripſit,* Valde *rationi conſentaneum eſt ut ſanctus ſponſus concedens ſponſæ quod manente coniugio uirginitatem uoueret, ipſe quoq; ſimul uirginitatē uoueat, penſata præſertim diuina prouidētia, quæ hoc inſpirare ipſi* Ioſeph *quaſi debebat, ut* Virgo Virginum Virginem *quoq; comitem ſeruatoremq; ſui haberet.* Alioquin *non fuiſſet plena gràtia cui hæc gratia in ſuo cōiuge defuiſſet, quā ipſa maximè ſecundum rectam rationem deſiderare debebat.* Hæc *ille olim.* Adde *quod hic aperte contra ſcripturam ipſe docet, quæ declarat hunc* Iacobum Alphæi *filium fuiſſe & non* Ioſeph, *ſicut & ipſemet (ut magis mireris inconſtantiam) fatetur & exponit.* Adhæc *ſi filius erat* Iacobus *ipſius* Ioſeph, *certè mater eius fuit illa* Maria *quæ dicitur* Alphæi, *quæ tūc uiuebat cum* B. Virgo *eſſet coniuncta* Ioſeph, *ſequitur ergo uel quod uno tempore* Ioſeph *habuit duas uxores, uel quòd cum priore diuortiū fecerat, quæ quàm ſint abſurdißima & cō-*

tumelio-

Sup. ea quæ ad Gal. 1. c.

3. p. q. 28. art. ult.

Inconſtātia doctrinæ.

Ibidem.

Matth. 10.

Matth. 27.

Marc. 15.

tumeliosissima in Christum & Mariam & Ioseph, & alteram Mariam sanctam mulierem, uiderint uiri pij.

IN tractatu suo de conceptione. B. Virginis, opto mihi ueritatis gratia benignum lectorem, & ipsius ueritatis amantem, nec addictum sectis, quoniam hoc in loco existimo illũ aberrasse ualde infoeliciter. Primũ enim antequam rem ipsam ingrediatur, uolens Apostolicam sedem docere ac præmonere, quonam modo determinare super hac quæstione posset, præmittit duas esse uias ad determinandum in religione Christiana res fidei, & alteram quidem ordinariam, Alteram uerò extraordinariam. Et ordinariam dicit esse diuinã reuelationem, & hanc ponit triplicem, primã quæ ex sacris scripturis & Apostolorum traditionibus accipitur, aliam quæ facta sit Apostolicæ sedi siue cum Synodo siue sine Synodo, & tertiam quæ facta est sanctis Doctoribus his præcipuè quorũ uita & doctrina approbata sit ab ecclesia. Ait tamen hoc ultimum genus reuelationis non cogere quoniam ecclesia, quæ dicunt sancti probat ut probabilia non ut certò uera & ex necessitate credenda. Hæc ille. Quo in loco primum miror docendi modum. Supponere enim uidetur sanctorum doctrinam esse diuinitus reuelatam, quod si esset, etiam certissimè ueritatis esset. Nos autem credimus de Sanctis, & si in multis à Domino & à spiritu sancto directi fuerint ut uera loquerentur, tamen dimissos nonnunquam sibijpsis certò deprehendimus. Et idcirco in nonnullis non solum non probabilia dixisse, uerum etiam improbabilia ualde, imò certissimè falsa. Nam sæpenumero inter se dissentiunt, &

opposita

opposita docent, & nonnunquam secum etiam non constat quiuis eorum. Probatur ergo ab ecclesia eorum doctrina non quia in quouis articulo uera sit aut probabilis, sed quia si spectetur in uniuersum, bona est & utilis, quia plurimas continet ueritates & rectas sacrarum scripturarum interpretationes ad confirmationem uerorum dogmatum & sanctorum praeceptorum Dei. Et quia hoc quoque in ea doctrina est, quòd illi syncerè profitentur, nolle quicquam à se accipi quasi assertum, quod pugnet cum ueritate, sed cũcta quae dixerint subdunt examini & probationi sanctae ecclesiae. Haec autẽ protestatio quae ex animo fit, totam doctrinam reddit meritò probatam, cùm alioqui maxima ex parte constet & ueram esse & utilem, & qua parte declinat à uero, ipsemet autor tali protestatione non uult illud cõtineri in sua doctrina. Verißimum ergo est quòd sanctorum dicta uel scripta in se non sunt firmae autoritatis, ut in singulis teneamur illis praebere assensum, nisi fortè ab ecclesia ita probata fuerint, ut iubeat & illa recipi, sicut de symbolo Athanasij, & de quibusdam alijs accepimus à maioribus. Hoc est ergo quod hic censui primum annotandum in hac doctrina, quòd non satis eruditè docuit de sanctorum doctrinis, & quare & quatenus probatae sint. Procedendo ergo ad alia profert aliam uiam decernendi extraordinariam, uidelicet à signis & miraculis. Sed hãc dicit esse periculosam & maximè cauendam, quia possent uideri miracula, nec tamẽ esse, quae proferuntur, tum quia Diabolus multa potest facere uera signa & nobis admiranda, tũ uerò quia sunt

Nota.

etiam falsa signa per illusiones & præstigia. Denique quia signa data sunt infidelibus nō ecclesiæ, cui data est reuelatio prophetica & apostolica. Quocirca concludit his uerbis, Vnde uia signorum & si est à domino data, Marci ultimo: propter infideles, & ab ecclesia approbata quo ad fidem personalem dicentis se esse missum à Deo, cap. cum ex iniuncto ext. de hære. tamen nisi coram Romana ecclesia euidentißimè fieret uerum & indubitatum, non mirum sed miraculum, expreßè ad testificandum hoc esse uerum, non deberet Romanus pō tifex determinare aliquam fidei ambiguitatem ex hac uia. Hæc ille. Quæ annotatione digna putaui, eò quòd perplexè doceat & ad errores occasiones præbeat. Nō est enim nisi una uia ad determinādū ea quæ fidei sunt. Hæc autē reuelatio diuina est, ut ipse idem fatetur. Reuelatio uerò diuina qua instruitur pontifex non est absque debito tractatu, ne tentetur Deus. Debet enim informari pontifex humano more de ueritate, licet hoc nō sufficeret, ut ait. D. Thom. nisi spiritus tacitè ab errore illum in his quæ ad fidem attinent præseruaret. Itaque si quid potest elici facilè de scripturis ad persuasionem per ipsas scripturas determinandum est, sicut & factū fuit penè in omnes hæresiarchas, qui uoluerunt scripturis contendere. Nam scripturarum ui & argumentis inde collectis, succubuere. Sic damnatæ sunt hæreses plurimæ ut Montani, Arrij, Manichæi, Pelagij, Nestorij, Sabellij, Eutychetis & aliorum. Non enim opus habuit ecclesia miraculis ut huiusmodi damnaret, quæ in apertas scripturas & sensum antiquum ecclesiæ militabant:

tabant: quanquam propter infirmos non est dubitandum etiam ad confirmationem catholicæ ueritatis, Deũ fecisse miracula in hæreticos per sanctos uiros. Sed emergunt aliquando in ecclesia aliæ quæstiones etiam inter catholicos, quæ aut non habent scripturarum testimonium pro quauis parte, aut licet habeant, propter uariè opinantes, & rem non ualde apertam, non satis tamen apparet, & nihilominus imminet decidendi necessitas ad sedanda schismata & scandala. Quum ergo id accidit, non dubito, quòd præter ea quæ de scripturis accipi possent in argumentum, posset pontifex ad determinandum alijs momentis impelli, puta à more diuturno ecclesiæ, ut de baptismo paruulorum, quando fortè non de hoc sic apertè habetur testimoniũ à scripturis, ut nequeat aliqua tergiuersatione uitari. Item à reuelationibus etiam priuatim factis, seruis tamen & ancillis Christi, nec non à signis & miraculis. Quare Pius Pontifex primus illam tam magnam inter catholicos controuersiam de celebratione paschæ determinauit motus proculdubio à spiritu sancto, & nihilominus reuelationem induxit factam Hermeti cuidam uiro sancto ab angelo Dei, cuius decisionis decretum adhuc manet his uerbis, Nosse uos uolumus quòd pascha domini die dominico annuis temporibus sit celebrandum. Istis enim temporibus Hermes doctor fidei & scripturæ effulsit inter nos. Et licet nos idem pascha à prædicto die celebraremus, quia tamen inde quidam dubitabant, ad corroborandas animas eorum eidem Hermeti angelus domini apparuit in habitu pa- Dec. de cõs. di. 3. Nosse.

 storis

storis & præcepit ei:ut pascha domini die dominico ab omnibus celebraretur: Vnde & nos apostolica autoritate instituimus, omnes eadem seruare debere: quia & nos seruamus. nec debetis à capite quoquo modo discedere. Hæc Pius ille: *quem postmodo sequutus sanctus* Victor *idem alio decreto confirmauit, & contumaces ferè omnes Asianos episcopos, quanuis etiam magna ueterum sanctorum pro se testimonia proferrent, subdidit anathemati.* Extat enim adhuc exemplum *epistolæ cuiusdam Polycratis, qui non acquiescens* Romano *Pontifici induxit gloriosos martyres* Traseam, *Sagarem, Papirium, Melitonem, Polycarpum beati Ioannis apostoli discipulum, Philippum item illum diaconum in scripturis tantopere commendatum cum filiabus prophetißis. Sed uicit diuina ueritas tandem, quæ in his nunquam sedem illam apostolicam deseruit.* B. etiam Petrus *diuina & particulari reuelatione certior factus fuit de abolitis ceremonijs legis, ut po tuerit animosè postmodo de his decernere.* Nec nos latet *& dæmones admiranda facere quæ poßint uideri miracula, ac præterea esse præstigia quibus facilè falli poßent priuati homines & incauti.* Verum non *est hoc putandum de ecclesia sancta* Dei *propter aßistentiam sancti spiritus ibi particularem, quia eiusmodi res pertinent ad uniuersalem ecclesiam.* Alioqui *potest etiam homo quilibet falli in scripturarum interpretatione, & tamen si pontifex in decisione aliqua certo modo interpretatur scripturam, & illum esse sensum spiritus sancti certa sanctione determinet,* cui

[Margin: Ibidē. c. seq.]

[Margin: Nota pie lector.]

cui dubium quòd omnes tenemur illum sensum recipere? At quamobrem hoc? nisi propter internam spiritus sancti inspirationem ac directionem & præseruationem ab errore? In hoc enim est neruus determinationis ecclesiæ in rebus fidei uidelicet interna & inuisibilis inspiratio spiritus sancti. Vnde & Caiphas legitur prophetasse cùm dixit, Expedit ut unus homo moriatur pro populo &c. non enim hoc à scripturarum scrutatione accepit, nec à signis aut miraculis, sed à spiritu sancto, ut testatur scriptura, alioqui ut quàmmaximè niteretur à scripturis pōtifex, semper posset ab aduersarijs excipi, quòd aliter intelligantur scripturæ, ut semper heretici obiecerunt. Quamobrem & interpretatio scripturarum sub claue scientiæ continetur quæ Petri est. Nam & his uerbis Pelagius damnatus est. Quicunque paruulos recentes ab uteris matrum nihil ex Adam trahere originalis peccati quod lauacro regenerationis expietur, dixerit, anathema sit, quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus, Per unum hominem intrauit peccatum in hunc mundum, & per peccatum mors. Vbi uides acute lector quòd Pontifex non solum dammat Pelagianam hæresim, uerum etiam Pelagianum sensum in ea scriptura. Quòd uerò ait Caietanus, signa non sunt data fidelibus, sed infidelibus, nihil ad rem: Nam si propterea negat in Ecclesia Dei signa esse à Deo uera, ad eius utilitatem, error est euidens, qui & latè patet: Nam hoc est inter dona Spiritus sancti Ecclesiæ data, ut testatur Apostolus. Quòd uerò Pontifex non

Ad Cor. & ad Ephe.

non posset moueri à signis ad determinandum aliquid, etiam improbabiliter dicitur: non enim solum ad plantationem, uerum etiam ad confirmationem & corroborationem fidei signa dantur, ut etiam docent scripturæ, & res ipsa, quæ in manifesto est. Nam sicut ueritas euangelica in articulis principalibus, miraculis confirmata est, sic etiam & quæ ex ipsis articulis dependent, si opus sit ea determinare, non est incongruum, à signis etiam eorum ueritatem accipere. Quod satis patet ab exemplo Petri, qui etiam post acceptum spiritum sanctum, cùm adhuc ignoraret cessationem legalium, signo de cœlo instructus fuit, ostenso sibi de sursum descendente linteo pleno animalium immundorum, nec tamen illud signum fuit in conspectu ecclesiæ, sed illi datum, quanquam esset fidelis, ad informationem eius articuli, qui adhuc fide non erat cognitus & receptus, uidelicet de cessatione legalium: quod postmodo decisum fuit in concilio Seniorum, Petro ipso hanc ueritatem cōtestante, & reliquo approbāte concilio, nec fuit dictum ab ijs qui repugnabant, Faciat Deus signum istud euidens coram ecclesia: nec enim uia quam dicit ille ordinariam esse de scripturis, semper est sufficiens & idonea ad pacandum multitudinem imperitam, imò neque ad compescendos doctos & sapientes, quoties ex omni parte probabiliter disputatur sicut in hoc articulo: nec ista miraculorum uia est extraordinaria dicenda, quam ut uidimus interdum res ipsa exigit, & dominus ipse illam sæpenumero

Ad Heb. 2.

Act. 10.

Act. 15.

mero offert. Tunc extraordinaria uerè esset, quando à nobis sine necessitate quæreretur, & sic extorqueretur à Deo. Alioquin ob incredulitatem multorum in primitiua ecclesia, sicut legimus, orarunt sancti Deum, ut extenderet ille manus suas ad signa & prodigia, & impetrarunt. Non igitur sunt signa in huiusmodi spernenda. Quin (ut fertur) facultas Parrhisiorum etiam à signis adducta est & confirmata, ad finiendam sententiam istam immaculatæ conceptionis, super qua quantò magis magisq; quis cogitare uoluerit absque affectione sectarum & proteruia, diligentius perscrutando scripturas, & subtilius rationes expendendo, profectò tantò magis ibi accesserit atque adhæserit. Quod ego in memetipso experientia probaui, & probatum in multis cognoui. Sed quidam duri nimis, oculos à ueritate auertunt: quidam uerò, tanquam ad rem non pertineat, inutilem huius rei indagationem putant: contra quos satis in proprio tractatu de immaculatata conceptione disserui. Nunc ad propositum rediens, quod dicitur, signa non sunt data fidelibus sed infidelibus, uerè dictum est, circa ea quæ iam ex fide constant. Fidelis enim non indiget informari signis, ut eius rei fidem accipiat quam iam credit. Infidelibus ergo data sunt signa, id est, non credentibus, in quorum numero sunt & ij qui aliquid nondum receperunt ex fide, sicut accidit multis in hoc articulo. Propter eos igitur qui hunc articulum non recipiunt, non mirum esset neque extraordinarium si faceret dominus

Deus etiam noua signa quibus isti persuaderentur, cùm quod pertinet ad hunc articulum infideles existimentur, licet absque hæresis ulla nota, cum ecclesia illos adhuc non coëgerit. Quocirca non probo, imò confidenter improbo quod ipse Caietanus subiecit sibimetipsi non constans. Ait enim, Non deberet Romanus Pontifex determinare aliquam fidei ambiguitatem ex hac uia uidelicet signorum. Et ratio est, quia habemus à Deo ordinariam uiam decretorum fidei, intantum ut si angelus de cœlo oppositum huius ordinariæ uiæ diceret non esset ei credendum, ut Apostolus dicit ad Galatas primo. Hæc ille. Vbi uide lapsum. Primò enim statuit esse quæstionem hanc (si modò quæstio iam dici potest) in fide ambiguam. Et addit non esse determinandam per uiam miraculorum, ut pote extraordinariam, & adducit rationē, quæ est, quia potest determinari per uiā ordinariā quod nō est aliud dicere, quàm quod potest euidentèr ostendi per decreta fidei altera quæstionis pars. At hoc est contra ipsummet, qui iam posuit quæstionē ambiguam, imò sequenti capite sui tractatus confitetur etiam istam opinionem quæ dicit. B. uirginem præseruatam ab ea macula sicut cōmuniter intelligitur à doctis, qui hanc dominæ prærogatiuam defendunt & probant, nullo modo esse cōtra scripturam aut contra ullam ecclesiæ determinationem. Ergo nihil obstat quin posset hæc ueritas (ut putamus) miraculis confirmari, quoniam admittere debet Caietanus quòd Angelus Dei posset in ueritate unam quamlibet partem quæstionis dicere

Inconstantia doctrinæ

cere

cere ueram & uerè, & similiter posset miraculis com probari. At Paulus ad Galatas, *in eos loquebatur qui contrà quàm scripturæ manifestè habebant (cùm iam essent apud ecclesiam manifestata in iam dicto concilio) doctrinam reprobam recipiebant à falsis apostolis, quod latius ibi patet, unde nullo modo facit ad rē propositam id quod inducit ex* Paulo, *si angelus de cœlo &c.* Fatendum *est enim quòd contra rem aliquam semel determinatam & certam redditam in ecclesia, non est recipienda aliqua (quamuis angelica) reuelatio, quæ non posset esse nisi mendaciū angelorū nigrorum, neque quæuis signa attendenda quæ non possent esse nisi falsa*. At *quòd hæc sententia de immaculata conceptione quam* Romana *ecclesia recepit, & solenniter iam tanto tempore celebrauit, & quæ ab initio ex diuina reuelatione dicitur introducta &* pro qua *(ut fertur à pijs) plurima facta sunt signa, & quam tot ecclesiæ & prouinciæ, atq; præclaræ doctorum uniuersitates probauerunt, & iam ferè omnes pij complectuntur, sit nihilominus contra ecclesiæ determinationem, sicut quidam nouus magister ausus est scribere, impudentißimè atq; arrogantißimè dicitur, etiam contra* Caietani *doctrinam, qui hac parte à ueritate coactus cōtrariū tā manifestè docuit & definiuit: non enim ualuit eousque zelus in illo, ut perturbaret in hoc scientiā*. Concludo *ergo iam in proposito articulo, quòd pontifex & ecclesia posset facilè huic quæstioni finem statuere, determinando tum à scripturis quarum ueram rescire interpretationem occulta* Dei *reuelatione* Notatur hic *arrogantia cuiusdam.*

posset, tum à rationibus multis, quibus certè probabilissima hæc sententia facta est, tum à signis cum antiquis tum nouis confirmata, tum reuelationibus seruorũ & ancillarum Christi. Deniq; fulciri & à mira Dei prouidentia quæ à multis anteactis annis ecclesiam suam in hoc instruxit, ut facilè illam quodammodo probauerit nisi uolumus, ô fratres, nimium proteruire. Quod Deus & Dominus noster, & immaculatißima mater eius & nostra dignetur auertere.

SEd pergamus nũc & discutiamus quod sequitur ex Caietano, Ait enim. Accedit adhæc, quod miracula quæ ab ecclesia suscipiuntur in canonizatione sanctorum, quæ tamen maximè autentica sunt, quùm humano testimonio innitantur, eorum scilicet qui testantur, non omninò certa sunt: quoniam scriptum est, omnis homo mendax, licet sint certa more humano. Fidei autem Christianæ certitudo non humano more certa esse debet, sed infallibile debet habere testimonium, quale nullus homo sed solus Deus præstare potest. Vnde & Petrus Apostolus cœlestis uocis à se auditæ proprio testimonio tanquam humano utens, subiungit. Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, subiungendo quod non uoluntate humana Prophetia allata est. Diuino ergo testimonio non humano, certitudo haberi debet in decernendo iudicialiter res fidei. Hæc ille, quæ similiter animaduersione digna sunt. Nam in canonizatiõe sanctorum licet ecclesia inquirat per hominum testimonia de sanctitate uitæ, & idcirco inter alia, præsertim miracula proponãtur, quæ attestãtur sanctitati eius cuius canonizatio quæ

ritur,

ritur, non tamen canonizationis sententia ferri solet super ipsis miraculis, ut quæcunq; afferuntur uera sint, sed sententia fertur super hominis sanctitate quàm omnes recipere debemus. Itaq; non est necesse quòd omnia miracula quæ sunt in testimonium allata pro sanctitate cuiusquam recipiantur, ut omnino credenda ex fide, nisi etiam super illis similis pronunciaretur sententia. Verum pro certa fide canonizationis sanctorum particulari tractatu ea me puto disseruisse, ut planè ostenderim nō proteruis, quàm falsus in hac re Caietanus, & quàm manifestè contra Thomæ doctrinam, & hic & alibi imprudenter tamen docuerit. Nunc ad rem redeo.

Miratus etiam sum quòd producat etiam illud ex Petro. Et habemus firmiorem Propheticum sermonem &c. Vt sic ostendat quòd testimonium suum propriæ auditionis uocis paternæ, utpote humanum, testimonium non erat firmum, sicut Prophetici scripturarum sermones. Nescio enim quomodo hoc inducat ad rem propositā. si enim fortè uoluit quod illud Petri testimonium non sit certum diuina certitudine, sed more humano, iam sequeretur quòd non teneremur credere illud ex fide, quod est falsißimum & horribile, cum sit in scripturis autenticum: nam Matthæus Marcus & Lucas eius meminerunt imò & Ioannes ipse. Si autem dixerit quod non sit recipiendum tanquam uerbum diuinum quatenus à Petro scriptum fuit, habet hoc dictum quæstionem, & ad hominem, & simpliciter. Ad hominem quidem, quia ipse dixit quòd sola ab Apostolis scripta habent autoritatem scripturæ, uel

quæ

quæ ab eis probata fuerint, Quia ipsi soli habuerunt au toritatem cōdēdi scripturas à domino. Quomodo ergo potest dicere quòd hæc Petri *scriptura, etiā in hoc, sit uelut humanum testimonium accipienda, cum & Io=annes testificāns audeat dicere,* Et *scimus quia eius te=stimonium uerū est.* Simpliciter *autem, quia non est pu=tandum re uera minus esse canonicam, hanc* Petri *scri=pturam, quàm quodlibet* Euangelium, Itaq; *opus est in hac re consideratione ut attrectemus uerum rei funda=mētū, & ne uacillemus.* Dicimus *ergo, quòd ut sit ali quod scriptū id est scriptura sancta summæ & irre=fragabilis autoritatis duo requirātur.* Vnum *quòd ha=beat ueritatem ipsam, alterum quòd dominus uoluerit illam scripturam fide recipi ab unoquoq; qui profitea=tur se membrum esse ecclesiæ. Sunt enim aliquæ uerita=tes proculdubio de* Deo *in quibusdam scripturis, quæ in seipsis, non sunt minus ueritates, quàm plurimæ quæ in scripturis patent:* Et *tamen quoniam non sunt rece=ptæ ab ecclesia in hunc gradum, neq; propositæ nobis ut credendæ, non obligamur credere illis, licet duri sint & proterui nimis interdum, qui etiam his non ac=commodant fidem, uerbi gratia.* Est *historia de* Bea=*tæ* Virginis *assumptione in cœlū: testatur enim.* B. Dio=*nysius, qui etiam narrat quomodo* Dei *mater in sua morte habuit omnes* Apostolos *qui tunc uiuebant præ=sentes, & alios plures domini discipulos, qui conue=nerunt ad illam, & laudauerunt pariter, quasi stellæ duodecim coronantes eam suis mirificis prærogatiuis.* Et *meminit* Hierothei *cuiusdam, quem post* Aposto=

Nota quæ multi non at tendunt.

los

los extulit summa laude. Hæc scriptura fortè non est minus uera quàm quælibet alia, quæ enarrat alia quædam de gloriosa Virgine, ut quod filium pepererit & reclinauerit eum in præsepio. Et quanquam ita uerè sit, non tamen ista scriptura est firmæ autoritatis, ut qui eam neget, negare credatur aliquid ad fidem pertinens. Id uerò quamobrem? nunquid quia scripsit Dionysius qui non erat Apostolus? Non, alioqui scripturæ Lucæ & Marci non essent autenticæ, quia illas non scripserunt Apostoli. Nunquid ergo quia non constat ab Apostolis esse probata? nec id quidem, tum quia de actis Apostolorum non constat nobis in scripturis ea probata fuisse ab Apostolis, quæ tamen habentur, ut autentica scripta: Tum uerò quia ipsemet Petrus de scriptura sua, (quanquam ipse certissimo sciret esse illam certissimæ ueritatis) fatetur quòd non erat adhuc firmæ autoritatis cum diceret, Et habemus firmiorem propheticum sermonem &c. Nota lector acute & hinc uide, quòd cogimur dicere, quod ad hoc ut scriptura sit sancta, id est, firmæ autoritatis: non satis est ut contineat ueritatem, uel, ut ab hoc uel ab hoc fuerit scripta: quia non Apostolis tantum est datum scribere, & memoriæ prodere gesta domini: & alia quæ fide recipienda sunt, sed hoc amplius exigitur, scilicet ut talis scriptura canonizetur ab ecclesia (quod plerunque non statim facit) ut scripta est: quia prius uult Dei prouidentia scripturam talem diffamari, & quasi tacito quodam consensu probari à uiris Dei, donec ultimam ab ecclesia recipiat probationem,

Nota.

Nota bone lector uniuersam doctrinã hanc.

nem, & iussum, ut ab omnibus recipiatur. Itaq; de hac scriptura Petri ita censendum est, ut si quis putaret illam modo non esse eiusdem firmitatis, cuius erat & est quilibet scripturarum sermo propheticus quantumuis receptus, & probatus in scripturis, falsus esset & anathema esset. Idq; est, quia hæc scriptura æquè ut aliæ recepta probataq; iam olim fuit ab ecclesia, ut uerè sancta & ab omnibus, ut talis accipienda, præcepta. Et cũ hoc etiam constituendum est, quòd antequam scripturam hanc probaret ecclesia, tametsi uera nõ minus esset (non enim quia probata fuit, iccircò uera facta est, sed quia & utilis ideò probata) non tamen erat eiusdem firmitatis ad faciendum fidem, cuius erant antiquæ scripturæ. Nec enim quæcunq; dicebat Petrus, aut scribebat, erant indubitatæ fidei. Sicut nec quæcunq; agebat recta erant, & ad ueritatem Euangelij congruentia, ut patet uel ex eo quòd iure reprehensus est à Paulo. Sed illud demũ erat certæ atq; exploratæ cõpertæq; ueritatis quod ipse sedens in cathedra, ac de cathedra docens, ut pastor uniuersalis, tale esse & pro tali debere accipi declarabat: sicut fertur quòd approbauit euangeliũ Marci postquàm iam euulgatum fuit, iussitq; in ecclesia legi. Quòd non fecit de sua Epistola hac ab initio, ut seruaret modestiã, & infirmis in fide succurreret, qui indigent ut ueritas fidei etiam humano quodam modo habeat prius argumenta ueritatis, inter quæ est temporis aliqua diuturnitas. Sic enim de Iudæ epistola scripsit Hieronymus quod autoritatẽ uetustate & usu meruit, ut tandem sit inter scripturas sanctas computata. Nam

ad Gal. 2.

quadam

quadam dei prouidentia fit ut ueritas uires suas in dies accipiat: propter quod recte dixit quidam, Veritas est filia tēporis. Ex *disputatis igitur iam assequimur, quòd quotiens aliquid ab* Ecclesia *determinatur quanquam humano more illa ueritatē uestiget (nam sic Deus uult: non enim tentari patitur: nec uult facere assidue patentia miracula, ut det locum merito fidei) non tamen dici potest humano testimonio principaliter ipsam innisam esse, ut idcirco sit illud recipiendum quod statuit tanquam certum humano more (ut more huius doctoris loquar) sed proculdubio ut diuinum uerbum, ex oraculo spiritussancti proditum.* Tantum *enim abest in huiusmodi, ut uelit* Deus *in pura reuelatione ecclesiam suam inniti, quum huiusmodi deciduntur quæ ad uniuersalem ecclesiam attinent & fidem, ut contrà potius, uelit rem prius humano modo inquiri:* Et *cum fecerint quod in se est, ij ad quorum cognitionem & iudicium ista pertinent, tunc* Deus *supplere dignatur ex alto, quod deest humanis uiribus. Sic enim fecerunt* Apostoli *ab initio, quanquam pleni essent spiritu sancto cum liberarent gentes à* Ceremonijs *legis.* Primo *enim congregarunt primores ecclesiæ (ut ait scriptura)* Conuenerunt Apostoli *& seniores, ut uiderent de uerbo hoc.* Deinde *legitur quòd magna inquisitio facta est hanc circa rem.* Deniq; *scripta est & missa decisio Sinodi in hunc modum.* Visum *est* Spiritui *sancto & nobis.* Et *iuxta hanc formam allecta sunt alia concilia, & humano more factæ sunt disceptationes: quibus tamen spiritus sanctus astitit, ne quid posset erroris humanitus*

humanitus contingere. Non ergo quia ex humanis argumentis inquiritur ueritas, minus autoritatis habet quod in decisione & definitione collectum est: quia certissime credenda est assistentia dei, ne ulla humana siue ignorantia siue nequitia fallatur ecclesia sua, cui promisit in huiusmodi ueritatem. Alioquin si aliter diceremus omnia statuta conciliorũ corruerent. Et ob istam gratiã non probo collectionem postremã, quam facit, his uerbis. Ex dictis patet non solum decernendi uia duplex, sed & modus duplex quo credendum esse decerni potest. Nam quædam decernuntur credenda, tanquam necessariò credenda, ita quòd cõtrarium sentiens est hæreticus, quædam uerò tanquam probabiliter & piè credenda, ita quòd contrarium sentiens non est hæreticus, ut de assumptione Beatæ uirginis cum corpore, & sanctificatione eius in utero matris, & alijs huiusmodi, quæ communis ecclesiæ pietas probabiliter credit. Ratio autem quare omnis uia, tã ordinaria quàm extraordinaria decernendi ea quæ sunt fidei, sola reuelatio diuina est, in promptu est, quia scilicet ea quæ sunt fidei, lumen humanæ mentis excedunt, & ex solo diuinæ uolũtatis beneplacito dependẽt huiusmodi singularia. Scriptum est autem, Quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis, Et quæ sunt dei, nemo nouit nisi spiritus dei, & cui uoluerit spiritus reuelare. Hæc illæ. Sed fallitur in eo primum quòd distinguit modum decernẽdi duplicem à uia duplici: quia (ut iam dixi, imo ipsemet dicit) una sola est ratio decernendi, uidelicet diuina reuelatio: cui soli primum ecclesia sancta innititur propter

promissio-

promißionem dei. Hæc autem reuelatio fit multis modis quos nouit deus, & credenda est sine dubitatione facta quoties legitimè facta est decisio ac determinatio. Nec obstatquod ait de assumptione Beatæ Virginis ac sanctificatione, quas si quis non credat (ut ille inquit) non erit hæreticus: non obstat inquam, quia non apparet circa hæc ullæ determinationes expressæ & præcepta fidei data ab ecclesia: sed solum quidam tacitus & diuturnus consensus. Et ideò qui hæc negaret non auderem dicere illum non esse hæreticum, quanquam ecclesia fortè non condemnaret, ut hæreticum: non enim sequitur, non habetur ab ecclesia ut hæreticus, ergo non est hæreticus. Nec tamen ecclesia pateretur eos qui sic diceret, quum præsumptuosè & scandalosè hoc facerent, & schismaticè contra communem piorum sententiam, & Ecclesiæ tacitum consensum & solennes celebritates. Si tamen Ecclesia, hæc iam tacitè recepta, expreßè probaret legitimè determinando, sicut posset, non est dubitādum quod omnes teneremur ea credere, & non credentes manifestè essent heretici: quia hæc posset faciłè Ecclesia determinare, quoniam hæ ueritates possent erui de scipturis sanctis: quarū certa interpretatio in huiusmodi, ipsius sanctæ Ecclesiæ est. Posset enim & hæc sententia de immaculata conceptione determinari, ut ipsemet Caietanus alibi fatetur, post cuius determinationem si quis nō crederet ut ipse fatetur parum tamē sibi cōstans hæreticus esset, ut patet etiam ab Extrauagante, Graue nimis, ubi, ideò non censeri hæreticum qui non tenet hanc partem immaculatæ conceptionis, Papa inquit, quia hoc à

Caiet super 3. parte. q. 27. art. 2.

In cōstantia doctrinæ.

Rom. ecclesia non est decisum, satis innuens, quòd si decisum esset, hæresis crimine teneretur qui aliter sentiret. Postremò quod ait, In omni uia ratio decernēdi est reuelatio diuina, uerißimum est. At hoc pro nobis militat, quoniam diuina reuelatio infallibilem habet ueritatem, quam tenemur omnes amplecti. Et hæc satis circa procemium.

Circa tractatum igitur, Quod primò concludit huius quæstionis neutram partē necessariò esse credendam, tanquam explicitè in scripturis contentam, non contradico. Et quòd etiam declarat, quod esset hæreticum si quis diceret. B. virginem sic fuisse immunem ab hoc peccato, eiusq; reatibus, ut non solum non habuerit illud, sed nec habere debuerit secundum suæ naturæ conditionem, uerißimum est. Sed nemo catholicus hoc defendit, hæc est enim positio nostra, quòd. B. Virgo licet ut Adæ filia debuerit illud peccatum, & maculam, & iram Dei, & seruitutem Diaboli, & peccati contrahere, tamen præueniente gratia Dei ex meritis Christi, ab eo peccato ac reatibus eius præseruata fuit. Quòd uero hanc positionem ipsemet fateatur non esse hæreticam, ut rem certißimā accipimus, & ut debitam. Nihil enim hic est pericli, Quòd autem non satis explicauerit hanc ueritatem, nō est hic locus retegere, De hoc enim in proprio tractatu satis differimus, & substinemus, Diuam ipsam Virginem singulari priuilegio seruatam fuisse ab omni reatu ac pœnis, quæ ex eo peccato sunt consecutæ, tam in anima quàm in carne, præter eas pœnas quæ relinquuntur ad exercitium & meritum, quas dignatus est in

est in se Dominus etiam sine sua culpa assumere, ad ipsam culpam puniendam delendamq; in semetipso. Nã huiusmodi pœnas tantò magis decebat illam sustinere, quantò etiam decebat magis conformari filio suo, per quem erat liberata à culpa illa. Nam etiam nos qui à peccato illo liberamur, non tamen à pœnis eruimur ut conformemur Christo, quia (ut praeclare docet Aug.) in exercitium nobis ac meritum conuertuntur, quanquã nobis etiam concupiscentia, & aliquae indecentes pœnae relictae sunt, quae nec filium Dei, nec matrem quouis modo decebant quàm totam pulchram, & iterum atq; iterum totam pulchram, exhibet mihi scriptura sancta. De quo latius loco suo.

POst hoc autem de probabilitate opinionum dissentientem Caietanum, & suam ipsorum praeferentem nostrae, quae re uera Ecclesiae sententia dici potest, uideo tãto miraculo hominem tam paßim ac tam grauiter aberrare, ut mirer non tam errores ipsos quàm audaciam, cum aduersus omnes Ecclesiast. & uniuersitates etiam cum contumelia, nõ iam quasi disputator, sed ut censor pronunciauerit: quae dum expono, quaeso nullus irritetur, donec uiderit fortißimè comprobata quae dico.

¶ Summam totius probabilitatis opinionis ipsorũ constituẽs in autoritate doctorum atq; Sanctorum, ut nos exterreat, quindecim eligit, quorum sententias in nos obiectat. Et primo Augustinum sic dicentem, Adam est mortuus propter peccatum, Maria ex Adam est mortua propter peccatum. Caro autem domini ex Maria mortua est propter delenda peccata. Haec ille: ubi nota Aug. super psalm. 34.

primum bone lector, quòd illum locum non fideliter citat. Non enim ait Augustinus, Maria mortua est propter peccatum, sed dicit, propter peccatum Adæ, quod nemo negat. Si enim non peccasset Adam, nec illa nec ullus hominum fuisset mortuus: neque enim propterea quòd præseruata fuit à peccato, debuit à morte præseruari, quæ uenit à peccato, imò (ut diximus) tantò magis debuit illa mortem participare, quantò magis debuit illi conformari, qui ut eã præseruaret gustauit mortẽ, cũ illa esset eius nobilissimum membrum prædestinatum. Itaque primus hic ex Augustino locus nihil pro illis. Secundò profert eundem doctorem qui discrimen hoc ponit inter Christum & uirginem, quòd illa habuit carnem peccati, non autem ille. Sed neque hic locus rectè intelligentibus aliud probat, nisi quòd beata uirgo secundum carnem continetur naturaliter in ea massa peccato obnoxia, quoniam processit ex semine quod nequaquam de Christo dici potest, sed quid hoc obstat præseruationi eiusdem à peccati macula, ab ira Dei & seruitute peccati? nunquid & nos etiã post baptismũ per quẽ liberamur à peccato non dicimur adhuc caro peccati? Quòd uerò non intellexerit Aug. per carnẽ peccati carnẽ actu habentẽ peccatũ, manifestũ est per id quod ibidẽ ait, Et quid incoinquinatius illo utero uirginis? Quia & ipsemet Caietanus hoc ipsum docuerat paulò antè quàm manifestissimè. Quocirca magnopere mirandum quòd sic pugnet quasi aërem uerberans. Et cur non tractauit quæ ex Augustino habetur pro B. uirginis summa innocentia, tam præclara ac tam famigerata sententia

tia? Excepta uirgo Maria (Augustinus inquit) de qua propter honorem domini nullam prorsus cùm de peccatis agitur uolo habere quæstionem. Iam enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad peccatum omni parte uincendum, quæ illum concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hæc ille: quibus nescio quid ualeat dici potētius pro perfecta puritate Mariæ ab omni labe. Nō enim obstat quòd isti respōdēt, ibi loqui Augustinū de actualibus peccatis tātū, quoniā de hoc erat quæstio ibi cū Pelagio, ut aiūt, nā re uera principalis quæstio cū Pelagio de originali peccato erat: de actuali uerò incidēter, & propter originale: hoc enim est quod uolebat extorquere hæreticus ille, scilicet, nullū esse originale peccatū, & naturā nostrā ex Adæ peccato nō esse corruptā, cōtra quē August. magno spiritu inuectus multa edidit uolumina: & singulariter illum, ubi est præcitata sententia, ut uel solo ipso titulo patere potest, qui de natura & gratia inscribitur. ut igitur eius libri argumentum breuiter habeas, & huius loci ueram simul intelligentiam capias, attende: Scripserat Pelagius librum hæreticorum more, callidè: in quo uideri poterat imperitis, probare gratiam Christi, quā tamē re uera destruebat: Aug. ergo id tandē cōperiēs ut sagax, in eo libro primò subdolè disputantē hominē à se deprehēsum detegit, quod re uera Christi gratiā impugnaret, & naturā ac liberū arbitriū statueret. unde ait, Iam nūc uidete quomodo humanam naturā tanquam omnino sine ullo uitio sit conatur ostendere. Post hæc argumenta ipsius Pelagij subnectit, & inter cætera

Aug. in libr. de natura et gratia.

posuit illud, quoniam in scripturis multi laudabantur ut iusti, inter quos etiam ponebat beatam uirginem, dicens necessarium esse Christianæ pietati hoc fateri de illa, uidelicet omnino illam absq; ullo fuisse peccato, uniuersaliter enim intelligebat Pelagius, cũ de cæteris sanctis quos de scripturis producebat, tum uel maximè de beata uirgine, quòd omnino à peccato essent immunes. alioqui si tantum de actuali locutus fuisset, nihil pro suo dogmate conclusisset. Ponebat ergo immunitatem ab actuali peccato in sanctis, ut concluderet nullum fuisse originale, eò quòd sciret, hãc esse catholicorum doctrinam, quòd quicunque non haberet actuale, nec habuisset originale. Et hoc obiecit Iulianus quoque in Augustinum, qui cùm sumeret multos fuisse iustos & sine actuali, uidebatur iam satis obtinuisse nullum quoque fuisse originale. Quocirca eleganter hic respondens Augustinus, primum excipit gloriosam uirginẽ, de qua ipse facilè omnem à peccato immunitatem fatetur, quoniam de illa non uult quæstionem habere ullam, cùm agitur de peccatis. Sed ne ob hoc Pelagius uideretur obtinuisse pro naturæ integritate & contra gratiam, admiscuit acutus doctor ut argumenti excluderet efficaciam, causam huius perfectæ puritatis in uirgine, uidelicet, quòd non illud contigit beatæ uirgini ex natura, sed ex gratia. Summam & rationẽ gratiæ subdens, dixit, propter honorem domini, & neruum rationis attexens, adiecit, quia illum meruit concipere & parere quem constat nullum habuisse peccatum. Et propterea quantum attinet ad uirginem argumento satisfecit amplissimè. De

Nota hæc lector.

alijs

alijs uerò sanctus respondens, primò id negat quòd caruerint actuali peccato, & facile respondet scripturis quæ aliud porrigere uidebantur, deinde etiam in hoc ipso uolens à contentione discedere, respondet non per hoc concludi naturam fuisse integram & nõ collapsam, quoniam quicunque iusti fuerunt quantacunque iustitia fulserint, per gratiam Christi hoc acceperunt, & nõ natura, qua inspecta sumus omnes peccatores, quamobrem hæc tandem uerba subiecit, Neque illud nimis curo, utrum fuerint hic aliqui, uel sint, uel esse possint, qui perfectam cui nihil addendum esset habuerint uel habeant uel habituri sint charitatem, (ipsa est enim uerissima, plenissima, perfectissima iustitia) quoniam quod uoluntate hominis adiuta per gratiam fieri possit confiteor & defendo: quando, uel ubi, uel in quo fiat, nimis certare nõ debeo. hæc Aug. Ex quibus manifeste patet quòd Aug. non contendebat nisi pro gratia Christi, per quã reparatur natura uitiata, unde omnes natura subiectos illi peccato existimauit, ut etiam actualiter peccarent aliquando, à quo tamen morbo manifeste excipit Mariam. Sed & illi propter domini gratiam, pro qua certabat, & ut cõcedamus quòd Augustinus ibi ageret cum Pelagio de peccatis actualibus quod falsum est, tamen quoniam, ut dixi, incidenter de illis tractabatur, quia propria quæstio de originali erat, in ea tamen Augustini sententia ex ipsis uerbis patet extensum sermonem ad omne peccatum, dixit enim indefinite, cùm de peccatis agitur, non dixit, cùm de actualibus agitur, neque dixit, cùm de peccatis agitur, de quibus nunc

sermo digreßionis est, (quanquam re uera de originali principaliter sermo esset) & considera conclusionem uniuersalem, Nullam (inquit) prorsus uolo habere quæstionem. O piam, ô plenam omni ueritate sententiam, qua non solum ab omni peccato uindicatur beata uirgo, sed & ab omni quæstione absoluitur quum agitur de peccatis, ut per hoc absoluatur & ab originali, & à reliquijs eius, quæ sunt fomes, ignorãtia, error, corruptio corporis, expectatio resurrectionis uniuersalis, & si qua sunt alia, quæ non decuerint Dei matrem propter honorem domini. Hæc autem omnia pater ille sanctißimus ac doctißimus proculdubio diuino spiritu afflatus, paucis illis uerbis perstrinxit: & aduerte quæso, quàm confidenter dixit; Scimus quòd plus gratiæ ei collatum est &c. non dixit credo, aut opinor, nec dixit scio ego, sed scimus inquit sicut qui dixit, Et scimus quia uerum est testimonium eius, ut & rei certitudinem, et notam fidelibus significaret. O fidelem sermonem & omni acceptione dignum, & nota unde se hoc scire asserat Augustinus, quia inquit concipere & parere meruit illum, quem constat nullum habuisse peccatum. Nota uerba, de Christo ait, quem constat nullum habuisse peccatum, quod dictum omne peccatũ proculdubio excludit, ut in hoc uis ipsa rationis consistat, ideo nolo quæstionem habere ullam prorsus de matre cùm agitur de peccatis, id est, tam de originali quàm de actuali, quia illum & concipere & parere meruit quem constat nec actuale nec originale contraxisse, & pondera rationis neruum, propter honorem domini ait.

Si enim

Si enim est honor domini, seruatam fuisse ab actuali, cur non & maior honor si hoc etiam ab originali dicamus? Verum negant quidam hoc cedere in honorem domini. Quòd si imperitè hoc dicant, non rem dignam ducimus disputatione, non enim sunt dociles: si proteruè longè minus. Nimis enim per se apertum est, quòd si saluare est honorificum saluatori, etiam magis saluare, magis honorificum, cum proponitur persona digna & capax maioris salutis. Si quis autem Mariam Dei matrem & filiam primã eductã de fortißima costa uiri & sponsi sui, ac per hoc sponsam primam neget omni genere salutis dignam, quæ ipsum sibi & omnibus salutem peperit, ualeat, & emat unguentum & collyrium sibi, ut uideat in meridie.

Nol. Dif.

Postremò si uera est illa regula ueterum, quam Augustinus probat, quòd quicunq; actualiter nõ peccauit nec sub originali fuit, ita ut etiam de Christo dicat, peccatum fecisset si paruulus habuisset, profectò sequitur cum ponatur B. Virgo ab actuali immunis, quod etiam fuerit ab originali, cuius argumenti uim sentiens Gregorius de Arim. minus piè in eam partem propensior fuit, ut & actualem culpam concederet in B. Virgine. Quod neq; Thomas & absq; cõtrouersia, neq; Augustinus ualuit admittere, & iã Chatholicæ pietati aduersum est. Non me latet Capreoli nostri fuga & tergiuersatio, ut hoc argumentum euitaret, ineptißimis glossis lacerans Augustini sententiam, de qua re quàm latißimè in proprio tractatu disputo, ad quem relego lectorem, ubi poterit ex eodem glorioso doctore

Augu. lib. 5. cõt. Iulianũ.

Augustino, pro hoc siue Virginis priuilegio, collecta alia etiã fortissima argumenta cõsiderare, hic satis fuisse arbitror, hanc solam opposuisse Augustini sententiã absq; dubio longe fortiorem, pro nobis, quam illæ sint omnes quas contra ex illo ut iam uidimus, inefficacissimas, produxere. Sed nunc ad alios pergo. Inducit ergo Caietanus secundo loco Ambrosiũ, tanquam sic dicentẽ, uenit dominus & in carne quæ in matre peccato fuerat obnoxia militiam uirtutis exercuit: sed ibi non legitur, Quæ in matre peccato fuerat obnoxia sed simpliciter & in carne peccato obnoxia. Cur igitur hoc addidere de suo? Quæ in matre & certe turpe & illiberale est non ex fide citare autores. Quod eò magis miror quòd hunc librum ad Pontificem scripsit, sed diu latuit, uenit autem opportunè in lucem, ut posset merito argui.

ADdit & Io. Chryso, super Matth. nec locum citat, ut ualeam iure suspicari nec ex fide citari uerba, illud tamẽ constat. Si fuit Chrysosto. qui scripsit eã quæ eius nomine super Matthæum circũferuntur, possenos cum sua bona uenia eius autoritatem hac parte non admittere, cum & B. Thomas & alij sancti nõ admittant, in eo quòd etiam B. Virginem sub actuali constituit, et re uera quædam de illa ibi leguntur quæ non ualeo putare ex ore illo aureo prodijsse: sunt enim non solum falsa, uerum etiam ridicula & anilibus fabulis similia, quæ christianum pectus non solum non recipit, uerum etiam destomachatur: legat qui uolet.

ADdit. 4. loco & Eusebium Emissenum Episcopũ & post illum Remigium & Maximum, in sermonibus

monibus eorum. Quorum tamen uerba in fonte non licuit mihi hactenus comperire, ualde suspicor & meritò, non sic legi apud illos sicut producuntur: Quòd si sic etiam legeretur, nihil mouerer, uel quia uerba illa recipiunt commodam interpretationem, ut reducantur ad sensum nostrum, sicut postmodo comprobabimus, uel quia, etiā si illum sensum habuerint, excusandi sunt pro tempore, quoniam nondum cognita erat hæc ueritas & comperta in ecclesia ut modò est, nec tanta pro illa testimonia Deus ostenderat.

ADdit septimo loco Bedam qui dixit de B. Virgine, dum esset conceptura filium Dei spiritus sanctus superueniens in uirginē, mentē eius ab omni uitiorum sorde castificauit, & ab omni æstu carnalis concupiscentiæ temperauit atq; mundauit. Scio talia etiam dixisse Ambrosiū, & Damascenus dixit, superuenit Spiritus sanctus purgans eam. Sed absit ut sic fœde interpretemur, ut posset uideri imperitis, & qui ad altiores sensus scripturarum tales oculos gerunt, quales noctuæ ad lucem solis. Non enim nisi impiè putaretur Virginis mētē, quā plenā gratia pronūciat excelsus Angelus, & solam inter mulieres benedictā, uitiorum tamē sorde tūc inquinatā fuisse, & æstu carnalis illius cōcupiscētiæ ferueutem, à quibus purgari & castificari oporteret. Sed altiore cogitatione illud meditari debemus, quod ea tunc munditia in Diua uirgine exigebatur, propterea quod in se receptura erat, splendorem gloriæ æternæ, cui munditiæ comparata omnis prior eius munditia & sanctitas poterat dici sordida ac uitiosa: Sic enim etiam

humanitus contingere. Non ergo quia ex humanis argumentis inquiritur ueritas, minus autoritatis habet quod in decisione & definitione collectum est: quia certissime credenda est assistentia dei, ne ulla humana siue ignorantia siue nequitia fallatur ecclesia sua, cui promisit in huiusmodi ueritatem. Alioquin si aliter diceremus omnia statuta conciliorũ corruerent. Et ob istam gratiã non probo collectionem postremã, quam facit, his uerbis. Ex dictis patet non solum decernendi uia duplex, sed & modus duplex quo credendum esse decerni potest. Nam quædam decernuntur credenda, tanquam necessariò credenda, ita quòd cõtrarium sentiens est hæreticus, quædam uerò tanquam probabiliter & piè credenda, ita quòd contrarium sentiens non est hæreticus, ut de assumptione Beatæ uirginis cum corpore, & sanctificatione eius in utero matris, & alijs huiusmodi, quæ communis ecclesiæ pietas probabiliter credit. Ratio autem quare omnis uia, tã ordinaria quàm extraordinaria decernendi ea quæ sunt fidei, sola reuelatio diuina est, in promptu est, quia scilicet ea quæ sunt fidei, lumen humanæ mentis excedunt, & ex solo diuinæ uoluntatis beneplacito dependẽt huiusmodi singularia. Scriptum est autem, Quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis, Et quæ sunt dei, nemo nouit nisi spiritus dei, & cui uoluerit spiritus reuelare. Hæc illæ. Sed fallitur in eo primum quòd distinguit modum decernẽdi duplicem à uia duplici: quia (ut iam dixi, imo ipsemet dicit) una sola est ratio decernendi, uidelicet diuina reuelatio: cui soli primum ecclesia sancta innititur propter

promissio-

promißionem dei. Hæc autem reuelatio fit multis modis quos nouit deus, & credenda est sine dubitatione facta quoties legitimè facta est decisio ac determinatio. Nec obstat quod ait de assumptione Beatæ Virginis ac sanctificatione, quas si quis non credat (ut ille inquit) non erit hæreticus: non obstat inquam, quia non apparet circa hæc ullæ determinationes expressæ & præcepta fidei data ab ecclesia: sed solum quidam tacitus & diuturnus consensus. Et ideò qui hæc negaret non auderem dicere illum non esse hæreticum, quanquam ecclesia fortè non condemnaret, ut hæreticum: non enim sequitur, non habetur ab ecclesia ut hæreticus, ergo non est hæreticus. Nec tamen ecclesia pateretur eos qui sic diceret, quum præsumptuosè & scandalosè hoc facerent, & schismaticè contra communem piorum sententiam, & Ecclesiæ tacitum consensum & solennes celebritates. Si tamen Ecclesia, hæc iam tacitè recepta, expreßè probaret legitimè determinando, sicut posset, non est dubitãdum quod omnes teneremur ea credere, & non credentes manifestè essent hæretici: quia hæc posset faciliè Ecclesia determinare, quoniam hæ ueritates possent erui de scipturis sanctis: quarũ certa interpretatio in huiusmodi, ipsius sanctæ Ecclesiæ est. Posset enim & hæc sententia de immaculata conceptione determinari, ut ipsemet Caietanus alibi fatetur, post cuius determinationem si quis nõ crederet ut ipse fatetur parum tamẽ sibi cõstans hæreti cus esset, ut patet etiam ab Extrauagante, Graue nimis, ubi, ideò non censeri hæreticum qui non tenet hanc partem immaculatæ conceptionis, Papa inquit, quia hoc à Rom.

Caiet super 3. parte. q. 27. art. 2.

In cõstantia doctrinæ.

Rom. ecclesia non est decisum. satis innuens, quòd si decisum esset, hæresis crimine teneretur qui aliter sentiret. Postremò quod ait, In omni uia ratio decernêdi est reuelatio diuina, uerißimum est. At hoc pro nobis militat, quoniam diuina reuelatio infallibilem habet ueritatem, quam tenemur omnes amplecti. Et hæc satis circa prooemium.

Circa tractatum igitur, Quod primò concludit huius quæstionis neutram partê necessariò esse credendam, tanquam explicitè in scripturis contentam, non contradico. Et quòd etiam declarat, quod esset hæreticum si quis diceret. B. virginem sic fuisse immunem ab hoc peccato, eiusq; reatibus, ut non solum non habuerit illud, sed nec habere debuerit secundum suæ naturæ conditionem, uerißimum est. Sed nemo catholicus hoc defendit, hæc est enim positio nostra, quòd. B. Virgo licet ut Adæ filia debuerit illud peccatum, & maculam, & iram Dei, & seruitutem Diaboli, & peccati contrahere, tamen præueniente gratia Dei ex meritis Christi, ab eo peccato ac reatibus eius præseruata fuit. Quòd uero hanc positionem ipsemet fateatur non esse hæreticam, ut rem certißimã accipimus, & ut debitam. Nihil enim hic est pericli, Quòd autem non satis explicauerit hanc ueritatem, nõ est hic locus retegere, De hoc enim in proprio tractatu satis disserimus, & substinemus, Dictam ipsam Virginem singulari priuilegio seruatam fuisse ab omni reatu ac poenis, quæ ex eo peccato sunt consecutæ, tam in anima quàm in carne, præter eas poenas quæ relinquuntur ad exercitium & meritum, quas dignatus est in

est in se Dominus etiam sine sua culpa assumere, ad ipsam culpam puniendam delendamq; in semetipso. Nā huiusmodi pœnas tantò magis decebat illam sustinere, quantò etiam decebat magis conformari filio suo, per quem erat liberata à culpa illa. Nam etiam nos qui à peccato illo liberamur, non tamen à pœnis eruimur ut conformemur Christo, quia (ut praeclare docet Aug.) in exercitium nobis ac meritum conuertuntur, quanquā nobis etiam concupiscentia, & aliquae indecentes pœnae relictae sunt, quae nec filium Dei, nec matrem quouis modo decebant quàm totam pulchram, & iterum atq; iterum totam pulchram, exhibet mihi scriptura sancta. De quo latius loco suo.

Post hoc autem de probabilitate opinionum dissentientem Caietanum, & suam ipsorum praeferentem nostrae, quae re uera Ecclesiae sententia dici potest, uideo tāto miraculo hominem tam passim ac tam grauiter aberrare, ut mirer non tam errores ipsos quàm audaciam, cum aduersus omnes Ecclesiast. & uniuersitates etiam cum contumelia, nō iam quasi disputator, sed ut censor pronunciauerit: quae dum expono, quaeso nullus irritetur, donec uiderit fortissime comprobata quae dico.

¶ Summam totius probabilitatis opinionis ipsorū constituēs in autoritate doctorum atq; Sanctorum, ut nos exterreat, quindecim eligit, quorum sententias in nos obiectat. Et primo Augustinum sic dicentem, Adam est mortuus propter peccatum, Maria ex Adam est mortua propter peccatum. Caro autem domini ex Maria mortua est propter delenda peccata, Haec ille: ubi nota primum Aug. super psalm. 34.

primum bone lector, quòd illum locum non fideliter citat. Non enim ait Augustinus, Maria mortua est propter peccatum, sed dicit, propter peccatum Adæ, quod nemo negat. Si enim non peccasset Adam, nec illa nec ullus hominum fuisset mortuus: neque enim propterea quòd præseruata fuit à peccato, debuit à morte præseruari, quæ uenit à peccato, imò (ut diximus) tantò magis debuit illa mortem participare, quantò magis debuit illi conformari, qui ut eã præseruaret gustauit mortẽ, cũ illa esset eius nobilißimum membrum prædestinatum. Itaque primus hic ex Augustino locus nihil pro illis. Secundò profert eundem doctorem qui discrimen hoc ponit inter Christum & uirginem, quòd illa habuit carnem peccati, non autem ille. Sed neque hic locus rectè intelligentibus aliud probat, nisi quòd beata uirgo secundum carnem continetur naturaliter in ea massa peccato obnoxia, quoniam processit ex semine quod nequaquam de Christo dici potest, sed quid hoc obstat præseruationi eiusdem à peccati macula, ab ira Dei & seruitute peccati? nunquid & nos etiã post baptismũ per quẽ liberamur à peccato non dicimur adhuc caro peccati? Quòd uerò non intellexerit Aug. per carnẽ peccati carnẽ actu habentẽ peccatũ, manifestũ est per id quod ibidẽ ait, Et quid incoinquinatius illo utero uirginis? Quia & ipsemet Caietanus hoc ipsum docuerat paulò antè quàm manifestißimè. Quocirca magnopere mirandum quòd sic pugnet quasi aërem uerberans. Et cur non tractauit quæ ex Augustino habetur pro B. uirginis summa innocentia, tam præclara ac tam famigerata sententia

tia? Excepta uirgo Maria (Augustinus inquit) de qua proter honorem domini nullam prorsus cùm de peccatis agitur uolo habere quæstionem. Iam enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad peccatum omni parte uincendum, quæ illum concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hæc ille: quibus nescio quid ualeat dici potētius pro perfecta puritate Mariæ ab omni labe. Nō enim obstat quòd isti respōdēt, ibi loqui Augustinū de actualibus peccatis tātū, quoniā de hoc erat quæstio ibi cū Pelagio, ut aiūt, nā re uera principalis quæstio cū Pelagio de originali peccato erat: de actuali uerò incidēter, & propter originale: hoc enim est quod uolebat extorquere hæreticus ille, scilicet, nullū esse originale peccatū, & naturā nostrā ex Adæ peccato nō esse corruptā, cōtra quē August. magno spiritu inuectus multa ædidit uolumina: & singulariter illum, ubi est præcitata sententia, ut uel solo ipso titulo patere potest, qui de natura & gratia inscribitur. ut igitur eius libri argumentum breuiter habeas, & huius loci ueram simul intelligentiam capias, attende: Scripserat Pelagius librum hæreticorum more, callidè: in quo uideri poterat imperitis, probare gratiam Christi, quā tamē re uera destruebat: Aug. ergo id tandē cōperiēs ut sagax, in eo libro primò subdolè disputantē hominē à se deprehēsum detegit, quod re uera Christi gratiā impugnaret, & naturā ac liberū arbitriū statueret. unde ait, Iam nūc uidete quomodo humanam naturā tanquam omnino sine ullo uitio sit conatur ostendere. Post hæc argumenta ipsius Pelagij subnectit, & inter cætera

Aug. in libr. de natura et gratia.

posuit illud, quoniam in scripturis multi laudabantur ut iusti, inter quos etiam ponebat beatam uirginem, dicens necessarium esse Christianæ pietati hoc fateri de illa, uidelicet omninò illam absq; ullo fuisse peccato, uniuersaliter enim intelligebat Pelagius, cū de cæteris sanctis quos de scripturis producebat, tum uel maximè de beata uirgine, quòd omnino à peccato essent immunes. alioqui si tantum de actuali locutus fuisset, nihil pro suo dogmate conclusisset. Ponebat ergo immunitatem ab actuali peccato in sanctis, ut concluderet nullum fuisse originale, eò quòd sciret, hāc esse catholicorum doctrinam, quòd quicunque non haberet actuale, nec habuisset originale. Et hoc obiecit Iulianus quoque in Augustinum, qui cùm sumeret multos fuisse iustos & sine actuali, uidebatur iam satis obtinuisse nullum quoque fuisse originale. Quocirca eleganter hic respondens Augustinus, primum excipit gloriosam uirginē, de qua ipse facilè omnem à peccato immunitatem fatetur, quoniam de illa non uult quæstionem habere ullam, cùm agitur de peccatis. Sed ne ob hoc Pelagius uideretur obtinuisse pro naturæ integritate & contra gratiam, admisceuit acutus doctor ut argumenti excluderet efficaciam, causam huius perfectæ puritatis in uirgine, uidelicet, quòd non illud contigit beatæ uirgini ex natura, sed ex gratia. Summam & rationē gratiæ subdens, dixit, propter honorem domini, & neruum rationis attexens, adiecit, quia illum meruit concipere & parere quem constat nullum habuisse peccatum. Et propterea quantum attinet ad uirginem argumento satisfecit amplißimè. De

Nota hæc lector.

alijs

alijs uerò sanctus respondens, primò id negat quòd caruerint actuali peccato, & facilè respondet scripturis quæ aliud porrigere uidebantur, deinde etiam in hoc ipso uolens à contentione discedere, respondet non per hoc concludi naturam fuisse integram & nō collapsam, quoniam quicunque iusti fuerunt quantacunque iustitia fulserint, per gratiam Christi hoc acceperunt, & nō natura, qua inspecta sumus omnes peccatores, quamob rem hæc tandem uerba subiecit, Neque illud nimis curo, utrum fuerint hic aliqui, uel sint, uel esse possint, qui perfectam cui nihil addendum esset habuerint uel habeant uel habituri sint charitatem, (ipsa est enim uerissima, plenissima, perfectissima iustitia) quoniam quod uoluntate hominis adiuta per gratiam fieri possit confiteor & defendo: quando, uel ubi, uel in quo fiat, nimis certare nō debeo. hæc Aug. Ex quibus manifestè patet quòd Aug non contendebat nisi pro gratia Christi, per quā reparatur natura uitiata, unde omnes natura subiectos illi peccato existimauit, ut etiam actualiter peccarent aliquando, à quo tamen morbo manifestè excipit Mariam. Sed & illa propter domini gratiam, pro qua certabat, & ut cōcedamus quòd Augustinus ibi ageret cum Pelagio de peccatis actualibus quod falsum est, tamen quoniam, ut dixi, incidenter de illis tractabatur, quia propria quæstio de originali erat, in ea tamen Augustini sententia ex ipsis uerbis patet extensum sermonem ad omne peccatum, dixit enim indefinitè, cùm de peccatis agitur, non dixit, cùm de actualibus agitur, neque dixit, cùm de peccatis agitur, de quibus nunc

T 4 *sermo*

sermo digreßionis est, (quanquam re uera de originali principaliter sermo esset) & considera conclusionem uniuersalem, Nullam (inquit) prorsus uolo habere quæstionem. O piam, ô plenam omni ueritate sententiam, qua non solum ab omni peccato uindicatur beata uirgo, sed & ab omni quæstione absoluitur quum agitur de peccatis, ut per hoc absoluatur & ab originali, & à reliquijs eius, quæ sunt fomes, ignorãtia, error, corruptio corporis, expectatio resurrectionis uniuersalis, & si qua sunt alia, quæ non decuerint Dei matrem propter honorem domini. Hæc autem omnia pater ille sanctißimus ac doctißimus proculdubio diuino spiritu afflatus, paucis illis uerbis perstrinxit: & aduerte quæso, quàm confidenter dixit, Scimus quòd plus gratiæ ei collatum est &c. non dixit credo, aut opinor, nec dixit scio ego, sed scimus inquit sicut qui dixit, Et scimus quia uerum est testimonium eius, ut & rei certitudinem, et notam fidelibus significaret. O fidelem sermonem & omni acceptione dignum, & nota unde se hoc scire asserat Augustinus, quia inquit concipere & parere meruit illum, quem constat nullum habuisse peccatum. Nota uerba, de Christo ait, quem consta: nullum habuisse peccatum, quod dictum omne peccatũ proculdubio excludit, ut in hoc uis ipsa rationis consistat, ideo nolo quæstionem habere ullam prorsus de matre cùm agitur de peccatis, id est, tam de originali quàm de actuali, quia illum & concipere & parere meruit quem constat nec actuale nec originale contraxisse, & pondera rationis neruum, propter honorem domini ait.

Si enim

Si enim est honor domini, seruatam fuisse ab actuali, cur non & maior honor si hoc etiam ab originali dicamus? Verum negant quidam hoc cedere in honorem domini. Quòd si imperitè hoc dicant, non rem dignam ducimus disputatione, non enim sunt dociles: si proteruè longè minus. Nimis enim per se apertum est, quòd si saluare est honorificum saluatori, etiam magis saluare, magis honorificum, cum proponitur persona digna & capax maioris salutis. Si quis autem Mariam Dei matrem & filiam primā eductā de fortissima costa uiri & sponsi sui, ac per hoc sponsam primam neget omni genere salutis dignam, quae ipsum sibi & omnibus salutem peperit, ualeat, & emat unguentum & collyrium sibi, ut uideat in meridie.

Postremò si uera est illa regula ueterum, quam Augustinus probat, quòd quicunq; actualiter nō peccauit nec sub originali fuit, ita ut etiam de Christo dicat, peccatum fecisset si paruulus habuisset, profectò sequitur cùm ponatur B. Virgo ab actuali immunis, quod etiam fuerit ab originali, cuius argumenti uim sentiens Gregorius de Arim. minus piè in eam partem propensior fuit, ut & actualem culpam concederet in B. Virgine. Quod neq; Thomas & absq; cōtrouersia, neq; Augustinus ualuit admittere, & iā Chatholicae pietati aduersum est. Non me latet Capreoli nostri fuga & tergiuersatio, ut hoc argumentum euitaret, ineptissimis glossis lacerans Augustini sententiam, de qua re quàm latissimè in proprio tractatu disputo, ad quem relego lectorem, ubi poterit ex eodem glorioso doctore Augu. lib. 5. cōt. Iulianū.

monibus eorum. Quorum tamen uerba in fonte non licuit mihi hactenus comperire, ualde suspicor & meritò, non sic legi apud illos sicut producuntur: Quòd si sic etiam legeretur, nihil moueret, uel quia uerba illa recipiunt commodam interpretationem, ut reducantur ad sensum nostrum, sicut postmodo comprobabimus, uel quia, etiã si illum sensum habuerint, excusandi sunt pro tempore, quoniam nondum cognita erat hæc ueritas & comperta in ecclesia ut modò est, nec tanta pro illa testimonia Deus ostenderat.

ADdit septimo loco Bedam qui dixit de B. Virgine, dum esset conceptura filium Dei spiritus sanctus superueniens in uirginẽ, mentẽ eius ab omni uitiorum sorde castificauit, & ab omni æstu carnalis concupiscentiæ temperauit atq; mundauit. Scio talia etiam dixisse Ambrosiũ, & Damascenus dixit, superuenit Spiritus sanctus purgans eam. Sed absit ut sic fœde interpretemur, ut posset uideri imperitis, & qui ad altiores sensus scripturarum tales oculos gerunt, quales noctuæ ad lucem solis. Non enim nisi impiè putaretur Virginis mẽtẽ quã plenã gratia pronũciat excelsus Angelus, & solam inter mulieres benedictã, uitiorum tamẽ sorde tũc inquinatã fuisse, & æstu carnalis illius cõcupiscẽtiæ feruẽtem, à quibus purgari & castificari oporteret. Sed altiore cogitatione illud meditari debemus, quod ea tunc munditia in Diua uirgine exigebatur, propterea quod in se receptura erat, splendorem gloriæ æternæ, cui munditiæ comparata omnis prior eius munditia & sanctitas poterat dici sordida ac uitiosa. Sic enim etiam

dicimus perfectißimos Angelos in summis cœlis (ut elegăter Dionysius testatur) illuminari, aßiduè purgari & perfici. unde & scriptũ est, Stellæ nõ sunt mũdæ in cõspectu eius. Et tamen nulla sorde peccati coinquinati unquam fuerunt Angeli Dei. Hunc sensum Diuus Hierõ. ad Eustochium, dilucidius & uerbis sanctioribus expreßit: Dixit enim, Ante ipsum cõceptum sanè uterus Virginis, quamuis mũdus, quamuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quamuis sanctus, tamẽ adhuc uilitate humanitatis induitur, ut ita dicam, ac si lana mũdißima suoq; colore dealbata, ad quàm sanè cùm accessisset Spiritussanctus quasi & ipsa eadem lana, cum inficitur cõchilij sanguine uel muricis, uertitur in purpurã, uersa est & ipsa sine coitu in matrem, ut non sit iam amodo quæ fuerat, sed purpura uerißima ad indumentum & gloriam summi Regis aptißimè dedicata, ut nulli deinceps uti ea usu fœmineo liceat nisi Deo. Quippe, ut ita loquar, Beata & gloriosa Virgo Maria quamuis dudũ incomparabilis esset uniuersis quæ sub cœlo sunt Virginibus, ut decenter posset in se suscipere diuinitatis admixtionem salua utraq; natura, tamen cùm gratia repletur, cùm Spiritussancto perfunditur, cùm uirtute altißimi obumbratur, fit preciosior meritis, celsis sublimior fastigijs pulchrior sanctitate gloriosior suorum prærogatiuis meritorum, ita ut nullis sit usibus mancipanda nisi diuinis. Hæc Hieronymus, quæ iccirco attuli, ut qui non satis exercitati sunt in scripturis cognoscãt, quàm superent sanctorum sententiæ intelligentias nostras, cum præsertim ineffabilia contemplantur præ qui-

bus

bus omne creatum & sordidum & uitiosum conspiciunt.

ADdit.8.loco Anselmum, quem & si demus aliquando ita sensisse, habemus tamen ex illo sentētias è diametro oppositas. Scio quòd aduersarij negāt eas fuisse illius Anselmi. Hoc tamen dicere non possunt de illa sententia quam & Diuus Thomas & omnes catholici doctores probauerunt, quæ tam pulchra & omni acceptiōe digna est: dixit enim, Decuit. B. Virginē ea puritate nitere, qua sub Deo nulla maior queat intelligi. Hæc Anselmus. Quomodo autem consistit hæc sententia cum illa quæ ponit ipsam Virginem in iniquitatibus conceptam & in peccatis? Certè etiam sub Deo est & Christo quod nos prædicamus de illa, quòd in Christi gratiam fuerit præseruata. Considera quæso eius sentētiæ uigorē, unde cōpulsus est & ipse. B. Thō. fateri. B. Virginē etiā ab originali fuisse immunem, quāquam non desint qui suis glossis uim afferant etiam uerbis Thomæ: uerum de his inferius suo loco edisseram.

ADdit.9. Bernardū in Epistola ad Lugd. cuius uerba si ponderarēt, ut oporteret, sentirēt eū multo magis militare pro nobis, quā pro seipsis. Pōderemus ergo nos illa & Epistolæ summā colligamus. 1. Bern. corripit eos quòd festū cōceptiōis induxerint, ut pote nouā celebritatē ignotā patribus, et iure id quidē. Nō enim licet unicuiq; collegio ītroducere noua festa, tāet si pietas illa probaret: oīa enim quæ bona sunt, rite etiā faciēda sunt, hoc aūt ad Pōtificiā cognitionē spectabat. Deīde reijcit quod ex opposito afferebatur, uidelicet quod cælitus eēt

mandata

mandata eiusmodi celebratio, quoniam non tam leuiter, ac celeriter est reuelatiõibus fides habenda, præsertim ut rem huiusmodi priuata autoritate aggrederentur. At hoc est quod pro nobis ualde militat, Cum enim iam dudum sit à nonnullis seculis, à multis ecclesijs hæc solennitas concelebrata, & tandem iam ferè septuaginta anni sunt, quòd Ro. Ecclesia solenniter hoc festum Immaculatæ Conceptionis recepit & celebrauit, omnibus pontificibus à Xisto. 4. ad hunc ipsum qui præsidet Paulum tertium, in eadem celebritate perseuerãtibus, & omnes aliæ particulares Ecclesiæ id (ut par est) receperint. Quid nunc putamus dicturum aut facturum, si nunc in terris ageret Bernardus? Nunquid obstiturum autoritati Apostolicæ sedis & Ecclesiæ sanctæ? aut etiam non recepturũ quæ illa recepit, aut nõ celebraturũ quod illa celebrãdũ instituit. An uerò multò potius, quòd ipsemet coteſtatus est de seipso, dicẽs, Ego uerò quod ab illa (uidelicet ecclesia) accepi securus teneo & trado? Quare ipsemet iudex erit illorum, qui eius pro seipsis opinionẽ inducunt, resistentes huiusmodi celebritati, ac temerè nunc etiam damnantes illam: Quod enim illo tempore prudenter faciebat Bernardus cùm hæc tunc noua esset solennitas, & ecclesiæ incognita, damnans illam. Nunc imprudenter & contumaciter fit à quibus id fit: cùm iã non sit ulterius noua, nec apostolicæ sedi incognita, sed probata, imò & indulgentiarum fauore decorata. Sed ignorant isti Spiritum Dei qui est in Ecclesia in huiusmodi, quod tamen non ignorauit Bernardus, sed docuit, & ueritus est sicut, B. Thomas & alij sancti Dei. Sciebant

bant meritò à Ro. Pontificibus illud esse traditū ex Dei sapientissima prouidentia, ne membra à capite in huiusmodi obseruationibus recedant. Hoc, S. Pius & S. Victor in Paschæ celebratione edixerunt. Hoc Innocentius Decentio Episcopo & Iulius primus & Calixtus omnibus Episcopis insinuarunt. Hoc deniq; Ecclesiæ unitas suo iure uehementer postulat, ut schismatum atq; hæresum occasiones & fomenta tollantur. Nam ob istam quæstionem & negatum tali festiuitati assensum, quantum scandali & murmuris in Ecclesia Dei sit insecutum, nullus ignorat. Quo in loco non est dubitandum Bernardi pronunciationem eos ferire: quod adhuc post Romã. Ecclesiæ consultationem & oraculum tam diu manẽs, etiã nõ acquiescunt. Id enim ille maximè obiectabat quòd Ro. sedẽ nõ cõsuluisset: cuius respõso seipsum subijcere in hoc & quæ huiusmodi sunt humiliter & deuotè ut debuit est protestatus, sicut omnes sancti & pij uiri semper fecerunt. Nam audi quæso & diuũ Thomam, & nostros qui cùm conceptionis festum non satis probarent, hoc ferè præcipuè mouebantur quòd Rom. ecclesia illud non recepisset: & tamen quia quædam ecclesiæ iam id receperant, non usquequaque improbadũ esse censuit, ubi, quæso, uide prudens lector, & considera ambos hos uiros uerè sanctos & pios, Bernardum dico & Thomam nostrum, ibi uerè consentire, ubi plurimum dissentire uidentur, ut eundem spiritum agnoscas in eis, quo agebantur pro ueritate. Ecce Bernardus quàm acri stilo urget illos, quòd hoc festum celebrarẽt conceptionis, quod ipse penitus improbat, ac nullo modo to-

Tho. 3. q. 27

do to-

do tolerandum existimat. Thomas uerò contra docet, uidelicet, nō penitus reprobandum sed tolerandū esse. Quid est hoc? unde tanta dissensio inter hos sanctos? Respondeo audacter ab eodem spiritu factum miraris? At profectò sic est: Quod ut & tu, tua manu (quod dicitur) contrectes. Audi. Si nunc Bernardum rogem, Quid est primum quod mouerit eum, ut ipse tantopere hoc festum detestaretur & improbaret, nunquid aliud posset potius respondere, quàm id quod ipsemet exprimit suis uerbis dicens, Quia ritus Ecclesiæ illud ignorabat, & quia nouam celebritatem inconsulta sede Apostolica introduxerant: Ex quo superstitiosa uidebatur illa celebritas? Sic enim ipse ait, miramur satis quid uisum fuerit hoc tempore mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem quam ritus ecclesiæ nescit &c. Et iterum, Nam si sic uidebatur, consulenda erat prius Apostolicæ sedis autoritas, & nō ita præcipitater &c. En igitur unde mouetur Bernardus, ut detestetur hoc festum, & reprobet, uidelicet quia Ro. ignotum erat Ecclesiæ, sed & nouum penitus. Nunc si rursum rogem Thomam. Et tu. B. Thoma, cur non tantopere sicut ille detestaris hoc festū, sed facilius admittis? Accipe lector, quod ipsemet Thomas planè respondet, uidelicet, quoniam iam non erat nouum, sed nonnullæ ecclesiæ iam celebrationem illam admiserant hoc ipsa Romana tolerante. Etenim sic planè ait, Licet Rom. Ecclesia. B. Virginis conceptionem non celebret, tolerat tamen consuetudinē aliquarum ecclesiarum illud festum celebratiū. unde non est talis celebritas totaliter reprobanda, hæc

tuad

tu ad literam. Vide igitur prudens lector qui non ex cō tentione es sed ex ueritate, quomodo uterq; sanctus, eodem loco semper ad Ecclesiæ morem ac sensum respicit. Quia enim tempore Bernardi nesciebat Rom. Eccl. ritus, hoc festum, ideò ut reprobum ipse reijcit & detestatur: quia uerò tempore Thomæ iam inceptum sciens tolerabat: ideò & ipse cēsuit tolerādū, quia tamē putabat sensum Ecclesiæ esse quòd Maria esset sub peccato cōcepta: ideò uerbū cōceptionis ad sanctificationē trahit: ut semper cū Ecclesia cōsentiret. Igitur cū nūc tādē ipsa Ecclesia explicite sensum immaculatæ cōceptiōis declaret: & talis cōceptiōis se recepisse officiū planè pronūtiet: nō est dubiū: quòd si nūc uiuerēt & Tho. & Bern. & quotquot uerè sancti & docti & deuoti fuerūt, absque ullo scrupulo & formidine sequerētur Ecclesiæ sanctæ ritū. Nā & cū de irregularitate scriberet aliquādo B. Thomas, cōtra quod postmodo diffiniuit pōtifex, nullus fuit adeo pertinax, qui à Pontificis determinatione propter Thomæ doctrinā dissentiret: sed rectè ait Cōmētator B. Thomæ: quòd si ea decretalis fuisset tēpore B. Thomæ non scripsisset illud. Quid uerò putas de B. Bernardo? An rogo aliud quàm quod ipsemet, sua tandē protestatiōe, quā eodē spiritu Dei subiecit, profitetur, qui postremo ait, Quæ autē dixi absq; præiudicio dicta sint sanius sapiētis. Rom. præsertim autoritati Ecclesiæ atq; examini totū hoc, sicut & cætera quæ huiusmodi sunt uniuersa reseruo. Ipsius si quid aliter sapio paratus emendare iudicio. Hæc ille. Repone quæso te bone lector in corde hæc uerba: totum hoc (inquit) &

cætera quæ huiusmodi sunt, id est, quæ talia sunt, ut ad Dei cultum pertineant, & ad fidei nostræ professionē. Sciebat enim uir Dei illi sedi & non cuiquam mortaliū singulariter datum esse in huiusmodi infallibilis ueritatis spiritum. Quis ergo ausit posthac Bernardum producere contra dominæ immaculatam conceptionē, cùm ipse derogatoria clausula proculdubio quicquid dixit iam uiuens tunc emēdauerit: cùm illud se sapere sit protestatus, quod sapit ecclesia? Sed attende nunc rursum ad beatum Thomam, qui in omni doctrina sua semper (ut dixi) ad sedem illam respicit. Et audi quæso quid illius commentator Caietanus ad rem propositam opportunè docet. Cùm enim beatus Thomas papam dispensare non posse super uoto religionis clarè docuisset, ipse tamen eius commentator ita contrà ad uerbum scribit, Teneo quòd apud sanctum Thomam potest ecclesia dispensare in uoto religionis & ordinis. Quòd autem sit de mente s. Tho. manifestè concipi potest ex initio & fundamento positionis suæ in contrarium in. 2. 2. Ibi siquidem concludere uolens quòd papa non posset dispensare cum religioso pro radice positionis assumit autoritatem decretalis dicens, Sed quia decretalis, cùm ad monasterium, manifestè dicit &c. Et deinde ut conformaret se decretali adinuenit illam adaptationem de consecratione ut ibi patet. Ex quibus, omni paßione semota: quilibet perspicacis ingenij elicere potest, quòd si tēpore suo summus pōtifex dixisset oppositum uerbo uel facto (ut postmodum fecit) quod ipsi quoque accōmodasset rationem in obediētiā sedis apostolicæ. Et propterea

Caietanus in quodl. 1. q. 12

ptereà illa opinio non est sua: nisi pro quanto sustentatur ab illa decretali. Hæc ille. Vt sic concludat, quòd nō sit sua: quia per illam decretalem sanius intellectam nō sustentabatur. Quocirca ego similiter sapiens, ac discēs ab horum prudentia, concludo quòd omni paßione semota opinio Thomæ contra immaculatam dominæ conceptionem: pro tanto est sua pro quanto sustentari uidebatur à sensu ecclesiæ quem tunc arbitrabatur. At cū iam seipsam ecclesia declarauerit tum uerbo tum facto (ut abundè inferius patebit) pro immaculata ista conceptione, hinc consequens redditur, quòd uera sententia beati Thomæ ea est, quam recipit ecclesia, & non illa quæ tunc uidebatur. Quod profectò tantò magis in proposito est asserendum, quantò euidētius apparet de eius mente tum uerbo expresso, tum diuturna consuetudine: quantoq; ipsa materia magis est talis, super qua minus credibile est ecclesiam posse errare, quàm in uotorum dispensatione. Ad hæc adde ex Capreolo & alijs antiquioribus eandem prorsus sententiam in eodem spiritu. Etenim cùm ex diuo Anselmo aut quouis alio (negatur enim à plerisque fuisse Anselmus qui talia dicit) obijceretur eis non esse uerum amatorem uirginis qui respueret celebrare officium conceptionis eius, Respondebāt. Ecclesia Romana præsupponitur uera amatrix ipsius, & tamen non celebrat eiusmodi officium. Vnde &. B. Ioānes, Dominicus Florētinus, nostri ordinis super Ecclesiast. c. 7. sic ait, Libenter hoc Mariæ concederem, si ecclesiæ non repugnaret. Ecce ergo iam ecclesia Rom. & orbis uniuersus iam celebrat: unde & perspicuum

Nota hæc amator ueritatis.

Vide apud Capreolum in propria q.

est, non solum non repugnare hoc ecclesiæ sed maxime consentaneum esse. Quid obstat ergo quin cõcurrimus in eandem sentẽtiam quasi uno spiritu omnes, nisi quòd sapere interdum uolumus plusquàm oportet, & nõ ad sobrietatem? Iam enim constat nobis Ro. ecclesiam hoc officium recepisse: uidelicet cõceptionis Diuæ uirginis: & iam manifeste declarasse, quomodo & in quem sensum receperit, ne quis dicat quòd hoc uerbum cõceptionis exponẽdũ est pro sanctificatione, quæ est à peccato, quoniam aperte dicit se officium proprium & speciale miræ & immaculatæ conceptionis recepisse, & solẽniter ac publice celebrasse, & in eius collecta quæ in recepto ab ea officio canitur per totum orbem, sic habetur. Deus qui per immaculatã Virginis conceptionẽ, dignũ filio tuo habitaculũ præparasti, cõcede quæsumus, ut sicut eã ab omni peccati labe præseruasti, ita nos quoq; mũdos eius intercessione ad te peruenire cõcedas. Itaq; iam non licet in cõtrouersiã inducere in quem sensum hoc festum receptum fuerit, cum põtifex ipse, cuius est declarare canones suos id sole clarius atq; illustrius nobis reddiderit in extraua. graue nimis. de reliq. & uen. Sanctorũ. ubi & cõpescuit quorundã arrogantiam qui tale officiũ, & sententiam ipsam quæ in eo exprimebatur ausi sunt in cõcionibus atq; etiam in publicatis libellis condemnare. Dãnans eorum circa hoc positiones ut falsas ut erroneas ac penitus à ueritate alienas: quæ sola pontificis pronũtiatio, uere deberet os claudere cũctis, qui spiritus dei & ueritatis habere præ se ferunt. Itaq; nihil est quod Caietanus respondet ad ecclesiarũ autoritatem

tatem

tatem celebrantiũ de conceptione, qui hoc uocabulum ad sanctificationẽ torquere conatur, cũ sit manifeste cõtra põtificis declarationẽ, ut ipsemet Caietanus ab initio nõ aduertẽs cõfessus est, ut ab ipsa ueritate coactus. Quare non est hoc exponere decretalem sed opponere se decretali. Qua autẽ autoritate hoc, alij uiderint, ego autem tacebo, nec dicam aliud, quia me arguunt amici mei dicentes, Iste mordet. Redeo nunc ad Bernardum, *ne quis dicat me quæ contra opinionem argumentatus est, consulto, uelut fugiens, prætermisisse.* Dico autem cũ *omni modestia & honore qui tanto uiro debetur.* Nam *toto corde me fateor nõ esse dignum osculari terrã ubi sanctus ille posuit pedes suos, dico tamen ipso mihi hoc proculdubio concedente, imo & tacite annuente ut loquar pro ueritate, quã nũc uidet, quòd eius argumenta nõ aliud concludũt nisi quòd. B. uirgo nõ fuit concepta ex spiritu sancto, quod fatemur & prædicamus: & quòd propterea non fuit immunis à peccato originali, sicut Christus, quod & uerissimum est, quia illa natura huic pctõ subdebatur. Quòd autẽ ex gratia præseruãte et spiritu supueniẽte ac sctĩficãte in suæ cõceptiõis instãti nõ fuerit sine macula, illa bñdicta aĩa in eius corpore sanctificato, & sine ira dei, minimè ꝓbat, quãquã acutè syllogizet: nõ enim præsupponẽda est anima prius esse tẽpore quã sanctificetur, quod ipse tñ uidet assumere, Satis est si prius esse natura intelligatur, sicut & angeli fuerunt simul in rerũ natura & sanctificati.* Nec obstant amplexus maritales huiusmodi sanctificationi, *nec puto esse concedendum in illis amplexibus & coitu*

Inconstantia doctrinæ

maritali, unde conceptio tantæ fœminæ producta est, prorsus ullum fuisse peccatum, quem ex obedientia inierunt iam senes & uetuli & sanctißimi cõiuges. Nec fas est putare coniugium ullum fuisse aut fore unquam castius illo coniugio, unde tantus prodijt & tam sanctus partus, qui dedit delitias & salutis fructũ uniuerso orbi. Nec propterea æquamus ipsam Christo, aut Annam matrem æquamus illi. Si dicimus eam præseruatam ab ista culpa per gratiam & merita Christi filij sui. Sed longo interuallo relinquimus uirginem post filium, & Annam post uirginem. Christum enim nec liberatum, nec liberatione ulla indigentem ponimus, Mariam uerò per contrarium & indigentem liberationis & liberatam, & quo maior gloria Christo accedat per ipsum Christum, & modo eminentißimo, ut uterque magis exaltetur & filius in matre, & mater per filium. Hoc enim singulare & proprium Christi fuit, ut ait. B. Tho. ut haberet talem plenitudinem ut redundaret in omnes secũdum id quod dicitur Io. 1. de plenitudine eius omnes accepimus. Sed B. uirgo talem gratiæ plenitudinem acceptit ut esset propinquißima autori gratiæ. Hæc ille. Nos autem secundum hanc uerißimam Thomæ doctrinam quod est proprium Christo, ipsi reddimus, scientes quòd ipse iam dixerat honorem suum & gloriam nemini daturũ. Sit igitur ipse Christus gratiæ primus autor, non Maria, sit tamẽ illa propinquißima Christo scilicet per Christi redemptionem quæ sit eminentior: redẽptio enim summa illa est quæ à captiuitate non iam incursa eripit, sed incurrenda. Nam si in hoc loco & gradu excogitabili

Nota hæc pie lector et quiesce.

Tho. 3. q. 27. art. 5.

Isa. 42.

cogitabili, non ponitur non satis uerificatur Thomæ dictum, quòd fuerit propinquissima Christo: non est igitur hoc derogare Christo, sed potius pro merito suo illi arrogare, Cùm meliorem atque excellentiorem redemptorem illum erga optimam matrem suam cōstituimus. Si enim illi est honor redimere, profectò & magis redimere est maior honor. Quare neque illud uerum quòd æquemus Annam Mariæ: Etenim Annam sub orig. ponimus non Mariam. Annam concepisse Dei matrem asserimus, Mariam etiam Dei filium uerum Deum, Annā diu sterilem, ex uiro tamen sene fœcundam factam. Mariam autem semper uirginem de spiritu sancto plenam, Annam matrem eius quæ natura subdita erat peccato, Mariam uerò eius genitricem qui solus per omnia à peccato liber peccatum destruxit. Collige ergo ò bone lector, quanta & quàm gloriosa & nihilo minus inter se distantia, de his tribus prædicamus dum Christum non modò saluatorem matris suæ constituimus, sed etiam præstantiorem saluatorem. Ipsam uerò matrem præstantius quàm cæteri omnes ab eo saluatam. Annam deniq; honoratioris filiæ matrem, & nobilioris nepotis auiam, ut sic sua cuique prærogatiua seruetur, nec æquetur redēptori redēpta, nec præseruatæ non præseruata. Quæ si capis, bone lector, satisfactum dices esse omnino Bernardi syllogismis, qui etiam laudandus est, quòd cùm in diatribis istis scholasticorum non didicerit, sic tamen acutè disseruerit: quod alibi tamē multò mirabilius manifestat. Et nihilominus hoc in loco animaduertere debes quòd quæ disseruerit, non assertiuè sed opinatiuè dixit, ut

xit, ut ipse testatur. Porrò ut habes à sancto Thoma & certè pluribus in locis multum refert utrum sanctus aliquis quicquam asserat, an uerò tanquam ex proprio sensu opinetur. Nam priore modo uix unquam in sancto reperies errorem. Et hæc quantum attinet ad Ber.

Nota.

Post Bern. producit. 10. loco Erardum episcopum & Martyrem. Et post illum undecimo. B Antoniũ de Padua. &. 14. B. Bernardinum de Senis: quorum dicta, quia uera sunt, & contra nostram sententiam nequaquamm (?) militant paulò post dicemus.

Post hos. 12. loco affert. B. Tho. &. 13. B. Bonauẽturã, ego uerò nõ diffiteor illos sic tũc docuisse pro tẽpore, nec tamẽ eos uelle, ut se sequamur in omnibus, & in hoc præsertim ubi iã patet quid magis probet ecclesia, & iniquũ profectò est ut homo qui in tã multis nõ solũ à Tho. sed ab omnibus doctoribus dissidet, quãta uis polleat sanctitate: nũc & ĩ hoc demũ art. uelit nos horũ sentẽtijs alligare, quãquã miraculo nec paruo factũ est, ut hi sancti aliqñ nonnulla dixerint quæ ualde sententiã nostrã cõfirmãt, ex illis enim diuinis uerbis. B. Anselmi qui dixit, decuit. b. uirg. ea puritate nitere, qua sub deo maior nõ põt intelligi, cõclusit aliquãdo. d. Tho. quòd illa & ab orig. & ab act. pctõ immunis fuit, nec ualet quod qdã exponũt hãc immunitatẽ fuisse ab eo tẽpore quo fuit sanctificata in utero, ut Capreolus, uel ut alij post illã sanctificationẽ, quãdo cõcepit filiũ, nã hoc nõ est expõere sed adiũgere: Tho. enim indistinctè dicit eã immunẽ tã ab orig. quàm ab act. & certè cũ ab act. fuerit perpetuò immunis, cur nõ & ab originali? cũ ambo hæc

bo hæc uno uerbo determinētur? Adde quòd esse immunē ab aliqua re perpetuā ab ea re absolutionē significat. Sicut ipse Tho. definiēs uirginitatē, indicat: ait enim q̄ uirginitas importat quòd persona cui inest immunis sit à cōcupiscētiæ adustiōe. Falsa uerò esset hæc definitio, nisi perpetua immunitas significaretur. Possem & alia plura ad cōfirmationē afferre, quæ latius in ipso tractatu habētur. Illud nō omittā quòd ipsius sancti doctoris declaratio nō admittit has glossas: ipse enim cōcludit quòd secūdū recessum à pctō eā puritatē debemus cōfiteri in B. uirgine: qua sub deo maior non potest intelligi, unde cōcludit eā immunē & ab act. & ab orig. Declarās autē quomō hæc puritas esset sub deo dixit, eò quia in illa erat saltē potētia ad peccādū, quæ nō est in Deo. Itaq; cū solā peccati potētiā ponat in uirgine, cuius causa cōstituitur eius puritas sub deo, manifeste excludit actualitatē oēm cuiuslibet pctī, nā si actu cōstituitur peccatrix, nō habet illā maiorē puritatē quæ sub deo potest intelligi, quæ est solū esse in potētia ad peccādū, & nō in actu ut fuerūt angeli sancti. Hem bōe frater, teneris, effugere iā nō potes, nī uelis manifestā oppugnare ueritatē: nā & Capreolus tandē nō dubitauit admittere. D. Thomā aliquando aliter opinatū fuisse. Sunt qui nolunt unquā beatum Thomam opposita docuisse, alij quòd quæ docet in summa mordicus tenenda sunt. Quantò melius si daremus homini quod est hominis, & quod est Dei Deo. Hoc certè multò magis placeret Thomæ, & multò melius intelligeremus doctrinam eius, nec aleremus contētiones ad subuersionem populorum.

Tho. 2. 2. q. 152.

Quod autem de nobis dico, non minus de alijs dictum uolo qui sibi non ueritati, & per contentionem honorem quærunt: Parcat nobis Deus.

VEnio nunc ad Bonauenturam, Nec dicam quod aiunt nonnulli ipsum postmodo ante mortẽ emendasse ac reuocasse sententiam certo libello. Quod enim non legitimè probatur facilè exploditur, nec negare ualeo utrinq; decertatum esse potius ex affectu quàm ex ueritate, & multa falsò & non fideliter esse citata. Nõ nego tamen, & illud euenire facilè potuisse ut mutarit in hoc sententiam, sicut & uolente Deo mihi accidit, cui & gratias ago. Quicquid tamẽ uerius fuerit circa hoc, illud audacter pronũcio de uiro isto tam Sancto ac tam pio. Si tunc putasset hanc sententiã non esse contra scripturas & Ecclesiæ autoritatem, sicut nunc est, clarißimũ, suapte sponte concessisset in eam, nõ propter ipsius Virginis, sed magis propter ipsius Christi gloriam. Nõ enim ut putant quidã hæc sentẽtia est ad magnificandã solum gratiam Diuæ Virginis, sed multo magis ad gratiam & gloriam filij pertinet, cuius meritis hoc illi datum asserimus. Nam gratia D. Virginis est à fonte & autore gratiæ qui est Christus. Sicut ergo beatius est dare quàm accipere, ut ipse Dominus testatus est, ita ipsum in hoc priuilegio multo magis laudamus qui hoc dedit, quàm illam quæ ipsum recepit. Et nihilominus uolo non ignorare lectorem, quàm pie locutus est ille doctor & cum quanto timore hanc circa rem. Postquam enim quod opinabatur exposuit quia uidebat quosdam zelatores plus nimio cõmoueri nec seruare in hoc Christianam

stianam

stianam mansuetudinem his eos uerbis compescere procurauit. Credo tamen & confido de Virg. gloriosa, quòd si quis hanc solennitatem celebrat, non ex amore uanitatis sed potius ex deuotione, non credens etiam cõtra illud quod potest ex sacra scriptura elici, quod bene dicta Virgo deuotionem eius acceptat, & si aliquid est reprehensibile, spero quòd apud iustum iudicem dignabitur excusare. Nec huic obuiant dicta Bernardi: Potius enim intendit excludere errorem ne quis credat uirginem sanctificatam in conceptione, quàm erga Virginem nostram deuotionem diminuere, cui nullus potest esse nimis deuotus: ita tamen quòd nihil credat de ea quod sit contra ueritatem: & sacræ scripturæ & fidei Christianæ, quæ omnem deuotionem nostram tam erga Deum quàm erga matrem eius debet præcedere: quòd si aliquis obijciat aliorum sanctorum conceptiones non esse celebres, poterit ei dici quòd alij sancti pro malo nõ habebũt si aliquis honor specialis matri domini tribuatur, quoniam sanctificationis eius magnitudo & acceleratio cæteras antecellit: & ideò mirãdum non est, si spiritus sanctus inhabitans in cordibus fidelium, magis deuotionem ipsorum erga Virginem inflammat, quàm erga alios sanctos & sanctas. Hac de causa quotidie de Virg. gloriosa facimus officium speciale iuxta ordinem Rom. Eccl. licet pro B. Petro Apostolorum principe solummodo ter in anno faciamus officium, Quacunq; ergo hora, quacunq; die aliquis fidelium cum totis præcordijs & uisceribus honorat Virginẽ increpandus non est pertinaciter ne ipsius Virginis animaduersio incurratur. Nota uerba.

tur,

tur, quæ auxiliatrix & amatrix est omnium fideliũ suorum laudatorum: sicut illi qui tales sunt experimento multiplici cognouerũt: Hæc ille. Notate ergo uerba prudentiæ, ô omnes qui admittitis disciplinam, & discite non esse prudentes apud uosmetipsos, & amari contra illos qui secus opinantur ac uos, hoc præsertim tempore quãdo tota ratio probabilitatis scilicet, ab autoritate Ecclesiæ & scripturarũ cõuersa est, idest, quando iam cernitis etiam Caietano docente quòd hæc sententia nõ est cõtra scripturas aut cõtra Ecclesiã. Sed nos tutius in illa cõsistimus, potius fauente nobis Ecclesia & cõmuni spiritu qui illam instruit nec putetis uos solos esse ueritatis amantes & sapiẽtes, quoniã hæc proculdubio uia prima & lata est ad desipiẽdũ (ut inquit Apostolus. Ecce testẽ Deum inuoco in animã meam quòd pacifice loquor, & ueritatis amore coactus, quoniam dil:go fratres meos in Christo, & testificor multis, quòd zelum quidẽ habẽt sed nõ secũdũ sciẽtiã. ipsi aliquãdo uidebũt, si nõ antea, saltẽ in die illo quãdo reuelabũtur abscõdita tenebrarũ, quã syncere nũc loquor & ad pacẽ omnibus.

Nota frater

NOn omittam. B. Vincẽtium qui secutus Thomam idem est opinatus, & excusatur ob conditionẽ tẽporis, & à tanti magistri autoritate, sicut alij multi. Et quoniã non dũ apertum erat, quam partẽ susciperet ac ueneraretur Ecclesia Dei. Sicut enim aliquãdo sanctus ille fauit ab initio per humanũ errorẽ schismatico Põtifici, ut scribit. B. Antoninus, & cũ uidit ueritatẽ palinodiam cecinit, sic non dubito & in hoc fecisset, si datum illi fuisset, & hoc rescire quod multis negatum fuit,

Deo,

Deo ſic diſponente qui & quodam in loco ait. Multi Prophetæ & reges uoluerunt uidere quæ uos uidetis & non uiderunt, & audire quæ uos auditis & non audierũt. Deniq; ut reuertar ad eos quos omiſi, fateor totum quod ait Caietanus, Euſebium Emiſſenum dixiſſe, licet in fonte nõ uiderim, uerißimũ eſſe: uidelicet quòd Beata Virgo non fuit immunis à nexu peccati originalis, ſed ſolus Chriſtus à quo ipſa indiguit liberari, miror autem quòd hunc attulerit locum, quem ipſemet iam reſoluerat. Nam qui liberatur etiam per præſeruationem, non dicitur omnino eſſe immunis ab eo à quo liberatur, ſicut non eſt immunis à morbo qui ſanus eſt ſi poteſt ægrotare ac multo magis ſi in ea conditione eſt omnino ut ægrotet niſi præueniat medicina: qui autem hoc negat neceſſe habet innumerabiles & ſcripturarum & ſapientum ſententias falſas dicere. Sic & poteſt dici & rectè. & uerè quod aiunt, & maximum & remigium dixiſſe uidelicet quòd Beata Virgo fuit in utero ſanctificata & ab omni contagione orig. peccati mundata. quoniam, ut Philoſophus ait, Quod omnino futurum eſſet, niſi quid fortè accideret apprehenditur tanquam eſſet, unde & bene fortunatum rectè uocari ait, qui ab imminenti quopiam malo & inſperato euaſit, eo quòd intellectus malum illud imminens ac propinquum proinde accipit, ac ſi iam de facto contigiſſet, & eſſet: quoniam iam quodammodo erat in ſua cauſa, Sic & malè fortunatum econuerſo illum qui magno aliquo bono præparato atque propinquo iam aliqua incidente fortuna fraudatur, ob eandem cauſam quoniam perinde

Luc. 10.

Philoſophus 2. phyſ.

Not. h. l.

perinde accipitur ac si iam fuisset in re. Beatus quoque
Thom.3.q. Tho. cum ueram resurrectionem & ueram à morte li-
53.ar.3. berationem declarat, eam esse docet, quæ non solum à
morte iam incursa, uerum etiam ab incurrenda, idest, à
necessitate. Imo & quod plus est à possibilitate morien
di liberat, quia quandiu aliquis uiuit subiectus tamen ne
cessitati moriendi quodam modo ei mors dominatur, ut
ait, Paulus ad Ro. Et quod possibile est secundum quid
dicitur esse, scilicet in potentia. Hæc ille. Quanto ergo
magis illud esse dicatur quòd ita possibile est, ut & o-
mnino causas habeat ad fore necessarias, nisi desuper
Isa.38. prouideatur? Sic dixit absolute Ezechiæ Esaias in uerbo
Domini, morieris & non uiues, qui tamen non est mor-
tuus. Illud ergo (morieris) quomodo uerũ, nisi quia sic
naturales causæ erant paratæ? unde dicit Dominus. Ecce
adijciam super dies tuos.15. annos, ut intelligamus hos
annos adiectos non computari in diebus, qui eius dies
Matth.12. fuisse dicuntur. Dominus etiam dixit de blasphemia spi
ritus quòd non remittetur neq; in hoc sæculo neq; in fu
turo. Et tamen exponit D. Thomas & rectè, ut hoc nõ
de facto intelligatur ne Deo ligentur manus sed secun-
dum meritum quoniam illud peccatum ex se & sui natu
ra non habet quicquam excusationis ad ueniam ut dimit
ti ualeat, ut sic exponatur, Nõ dimittetur, idest, nõ est di
missibile sic dicũtur letales infirmitates & incurabiles:
quæ tamẽ curantur à Deo, dixit Petrus de Christo quòd
soluit dolores inferni exponit hoc autem Tho. 3. parte
q.52. ad.2. quòd soluit dolores pœnarũ sanctorum pa-
trum non quas incurrerunt sed quas incurrissent nisi
præuenisset

preuenisset auferens illas, unde ait, præseruando ab eis sicut medicus dicitur soluere morbum à quo preseruat per medicinam. hæc ille. Dominus dixit sanis non esse opus medico sed male habentibus. Quo in loco inter ægrotos & etiam male habentes, sancti doctores eos computant qui ex se tales sunt ut facile in morbum possint incidere, & in quem certo inciderent nisi præueniens medicina saluaret, unde & certe docet Augustinus sicut duo sunt officia medicinæ, Alterum quo sanatur infirmitas, Alterum uerò quo custoditur sanitas. Ita sunt duo dona gratiæ, ut altero sanetur infirmitas] quæ iam ingruerit, Altero ut depellatur ne ingruat, & sic sanitas conseruetur, unde & propheta aiebat. Deus meus, misericordia mea præueniet me. Bernardus etiam Angelos redemptos uocat, Hieronymus etiam saluatos dicit, qui tamen nunquam peccauerunt, & sub nulla captiuitate fuerunt, sed eo quòd tales erant, qui sicut alij potuissent decidere, licet non essent certæ causæ ad decidendum, cum liberi essent arbitrij & gratia magna præditi: quanto ergo magis hoc de . B. Virg. dicendum est, quæ suapte natura talis erat, idest, ex debito peccatrix, cum esset filia Adæ, ut non solum potuisset incidere, sed etiam proculdubio incidisset nisi summa & speciali gratia præuenta fuisset in redemptionem atq; salutem? David etiam dicit, Qui redemisti David seruum tuum de gladio maligno. Sic enim est punctus in hebræis. Vbi uides quòd redemptum se à gladio Saulis profitetur, licet non inciderit in illum, sed quia incidisset, ni illum Dominus seruasset. iuxtà huiusmodi sensum quoq; omnis quā Psal. 341.

uis

Nota. uis sanctus orat assiduè, dimitte nobis debita nostra, quo mam assiduè debitores sumus Deo & assiduè peccatores ex nobisipsis, & nunquam plene liberamur in mundo isto non Propheta non patriarcha non Apostolus, do nec luteas istas domos habitamus. Sic non ascendo ad diuam Virginem, quam credibile est etiam in hac uita aliquando ad altiorem quendam gradum confirmationis erectam atq; prouectam, quod forte dabit Dominus ut quandoq; intelligamus & uideamus. Amen. Nos quoq; omnes nonne oramus in supplicationibus. Libera nos à malo, à pœnis inferni, à porta inferi, à cæcitate cordis, ab ira Dei, à morte improuisa & alijs huiusmodi? Nunquid ergo oramus ut hæc mala eueniant, aut præsupponimus nos in illis esse, ut sic deinde liberemur ab eis. An potius deprecamur ne accidãt & ne incurramus in illa?

Psalm. 13. Quis adeo desipiat, ut dubitet? Psalmista etiam dixit Dominus respexit super filios hominum, ut uideat si est intelligens aut requirens Deum. & subdit, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum, Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant &c. quæ sequuntur immania & horribilia. Nunquid igitur ita hæc sunt accipienda de facto quòd nullus filiorum hominum intellexerit aut requisiuerit Deum, aut fecerit bonum sicut ait Propheta? Quid ni? Nunquid potest solui scriptura? Sed hic est sensus, sicut Augustinus prædocuit quòd ideò nullus fecit bonum, quia nullus fecisset nisi Christus monstrasset, Sic exponit & Cassiodorus, sic & Caietanus ipse tandem cuius & uerba subijciam, Plus explicatur

plicatur (inquit) inuentum esse à Deo quàm Propheta di xerat dum explicauit, Non etiam unus. & per hoc intel lige describi uires naturæ & statum mundi ante aduentum Meßiæ, & sic proculdubio uerum dicitur, quoniã nec ex uiribus naturæ nec ex uiribus legis Moysi quisquam inueniebatur faciens bonum: & hic sensus directè quadrat intentioni Pauli Apostoli ad Ro.3. Nec obstat quòd multi sancti uiri fuerint ante aduentum Meßiæ, quoniam gratia quocunq; tempore data ad tempus Meßiæ refertur. hæc ille: & rectè: hic enim est mos scripturæ frequẽs, & modus egregius loquendi doctis. Ad uerte lector. Sæpenumero scriptura de re aliqua, aut persona aliquid enunciat, ut ipsa est, aut sicut esset secundum ipsius rei aut personæ conditionem, & naturã, aut meritum proprium, non secundum quod extrinsecus accidit aut superuenit. Sic & rectè dicitur de Adam quod erat mortalis etiam antequam peccaret, quia eius erat naturæ ut posset mori. Imò & moriturus esset, nisi Deus obstaret. Nam ex superaddito habuit, quòd non moreretur si staret in gratia: ac propterea dici posset & immortalis. Sic dicitur omnis homo mendax quia ex se hoc habet homo, ut sit uanus, & in mendacium procliuis. Sic dicit Apostolus quòd nemo unquã carnẽ suam odio habuit, quia nullus ut homo est, & ut naturæ legẽ sibi impressam sequitur, potest odisse carnem suam: sed cum odimus, aut ex sapientia spiritus odimus & castigamus, aut etiã sæpenũero irrationabiliter. certè nõ secũdũ naturã agẽtes, ut qui à diabolo pellecti seipsos suffocãt aut suspẽdũt, ut Iudas. Sic & alias Aposto. dicit. Nemo

Nota. | Gen.2. et. 3. | Psal.115. | Ad Eph.5.

Iaco.3. potest domare linguam suam, non quòd aliqui non do-ment, ut Augustinus eleganter exposuit, sed quòd ut ho
Aug. de nat. & grat. mo, id est, ut in peccatis adhuc existens, & non factus Dei filius per gratiam, nullus domuit, sed nec domare potuit. Sic uocatus est ab apostolo & ab ecclesia dici-tur, Christus redemptor omnium & saluator, non quòd effectu operatus est redemptionem omnibus & salutẽ,
Ad Tim.4. sed quia quod ex se fuit exhibuit sufficienter ut omnes redimerentur & salui fierent, quia & id in meritis suis habuit, quòd si quidam non saluantur, eorum est culpa,
Io.1. qui uel recusant uel negligunt salutem. Sic & dicitur il luminare omnem hominem uenientem in hunc mundũ, quia quod ex se est lumẽ profert. Si autẽ multi de facto non illuminantur, eorum socordia aut insipientia acci-dit, qui ad lumen præbitum non aspiciũt, aut etiam ocu los claudunt, aut aliquid contra lucem opponunt, ne ui-
.Tim.1. & ult. deant. Sic solus dicitur Deus bonus, & solus sanctus & solus dominus, & solus immortalis, & solus innocens,
Ex.34. & huiusmodi multis nominibus decoratur singulariter, quia hæc ex se solus habet. Nam & ipsi soli esse conue-nit ut solus hoc nomine gaudeat, qui est, quia solus ex se est, quod est uerũ esse. Huiusmodi igitur sermões qui ex primũt naturam rei frequẽtissimi sunt in scripturis, & apud sapiẽtes, Atq; ob eã cãm possumus fateri, cũ omni
Nota. ueritate quòd. B. uirgo fuit peccatrix nec solũ originali ter, sed etiam actualiter, quia talis fuisset nisi dominus præseruasset, ideo dici similiter cũ ueritate potest, quòd fuit redempta saluata, liberata, uiuificata, erepta, mun-dificata, seu sanctificata, à Diabolo, à culpa, à morte cul

pa, à

pæ, à macula, ab ira Dei, & his omnibus malis, propter ea quòd iam ex se & sui natura in captiuitatem & peccatum & maculam & iram Dei, & cætera mala incidisset, sicut una quælibet filiarum hominum, si à Deo seruata non fuisset in filij sui gratiam. Quin etiam tantò maiorem erga illam redemptionem & saluationem & sanctificationem & liberationem & cætera huiusmodi prædicamus, quanto melius est à futuro malo seruari quàm eripi à iam incurso, quod qui negat profectò non est dignus cum quo uerbum fiat: ualeat, fruatur sensu suo, absque inuidia, sed cum misericordia potius. Si autem uerum est, quod dicimus, cur igitur summum istum redemptionis gradum non concedimus summæ creaturæ, tantæ uirgini, tam amanti generis nostri, & parienti salutem uniuersis, quam & Dei matrem dicimus, & sponsam primam, sponsiq; sororem ac sociam, filiam primogenitam principis, singulariter amicam, singulariter electam ac prælectam singulariter dilectam atque perfectam? illam quæ prior de Lucifero triũphauit conterens caput eius, ut fortissima mulierum, imò sola fortis, quam Salomon inquirebat & reperit, quam & præparauit, imò & fecit sibi uerus Salomon. Hæc est illa terribilis quam tremunt inferi: illa sublimis quam uenerantur superi, hæc est mediatrix nostra, & uerè uiuentium mater, nos enim sub amara ficu parturiuit & peperit. Hæc aduocata & interpellatrix pro nobis aßidua apud filium & patrem. Hæc est regina cœli, domina mundi, porta paradisi, exaltata super omnes beatos spiritus, quæ lunam habet sub pedibus,

& coronam in capite stellarum duodecim, de qua tam sæpe sponsus cui placuit sola sine exemplo. Tota pulchra es, tota pulchra es, & macula non est in te. Et iterum: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, id quod aliter dixit angelus,* Benedicta *inter mulieres, quæ certè uerba non aliud rectis mentibus magis insinuant quàm hoc priuilegium quod prædicamus: omnes enim reliquæ animæ spinæ fuerūt, id est, sine odore, & peccati aculeum habentes.* Hæc *sola semper odorifera sicut rosa, sicut uiola, & lilium flagrans.* O *si considerarent hæc fratres mei, & quod insuper de illa scriptura testatur, Sexaginta sunt reginæ: octoginta concubinæ, adolescentularum non est numerus. Sed una columba, id est penitus innocens, una perfecta, scilicet omni gratia, & omni tempore, una matri suæ, una genitrici suæ, id est,* Heuæ *communi omnium matri, electa: nimirum ad restituēdam illam, & reliquam eius prolem in amissam gratiam: Si inquam hæc tranquillo animo fratres mei meditarentur, profectò satis caperent, quàm malè conueniūt tot & tanti honorum & gratiarum & prærogatiuarū tituli, quot unanimiter concedimus dominæ nostræ, cum hac indignitate peccati, & cum ista seruitute* Diaboli, *& cum ira* Dei, *& cum animæ illius ulla macula.* Agnoscerent *proculdubio magnam cacophoniam, & uiderēt nō impletū perfectè quod dicitur de sapientia,* Non *habitabit in corpore subdito peccatis.* Et *iterum absurdam cacophoniam sentirent, dum hinc illam ad præliandum cum serpente ac reparandum genus nostrum, antequam pronunciatum esset quicquam in hominem* præcle-

praelectam fuisse in eis uerbis intelligunt, inimicitias ponam inter te & mulierem & semen tuum & semen illius. Inde uerò subditam Diabolo, tametsi paruo tempore pronunciant, & tertio cacophoniam intolerabilem cognoscerent, dum hinc sponsam primariam filij regis, qui & ipse rex regum & dominus dominātium illam fatentur, & nihilominus adultero subditam aliquando & coinquinatam fuisse admittunt, ut non uideant quòd pontifici summo, ut lex poscebat Leuit. 21. aptanda erat propria sponsa uirgo intacta, illibata, incognita mœcho, & tota pulchra & speciosa, & ut scriptura uocat, uirago, ut hoc opprobrium nunquam posset in eam, imò & in eum ille malignus obijcere & exprobrare: Ego aliquando possedi tuam. nec angeli quibus omnibus est prælata, de sua ipsorum regina, possent unquam talia meminisse, ac si fieri posset etiam tacitè submurmurare. Denique uix est quicquam priuilegiorum, quæ singulariter habuit ab omnipotente qui fecit illi uerè magna, quod ferre secū ualeat, hūc peccati fœtorem, hanc iræ diuinæ acerbitatem, hāc denique Sathanæ uictoriā improbißimā, uerum non sentimus hæc inconuenientia, quia nec etiam consideramus de illa quæ digna sunt illa, & parum illi deuoti sumus. Et Satan nihil magis satagit quàm eius gloriam obscurare, & ab animis Christianorum auellere, cui inuidit ab initio, quam & postmodo sensit & bellantem & triumphantem de se & superbia sua, quoniam hæc est uera Iudith, quæ caput Holophernis suo ipsius gladio abscidit. Et uidet malignus quot mistras animas

Ibidē & Genes. 2.

illa de suis manibus eripit, quæ sapienter eius implorant auxilium. Verum ut ad rem redeam, Si hæc ergo quam prædicamus de uirgine præseruationem est summa liberatio, summa redemptio, & saluatio, & sanctificatio excellens, Et est post Christi prærogatiuam, & quod est maximè considerandum in gratiam Christi est, ut sic erga illam habeat singularem istam gloriam, licet ab antiquis incogitatã, ut prædicetur in ea Christus perfectus, & sublimis eius redemptor & saluator, sicut illa id agnoscens singulariter de se toto spiritu erũpens in canticum prædicauit dicens, Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Si hæc inquam ad gloriã utriusque pertineant, cur non idipsum sentimus omnes? Quòd si nolumus hoc dare uirgini, demus saltẽ id Christo. Sed nonne melius ut & Christo demus & uirgini, cùm ipsi noluit separari, eò quòd unum sint, & carne & spiritu, quoniam illa super omnes illi semper adhæsit, Et scriptum est, qui adhæret Deo unus spiritus

1.Cor. 6. *est cum eo. Verum audi pie lector Caietani commentum aduersus hæc, imò aduersus seipsum, qui hæc probauit. dicit enim, Excludunt dictæ autoritates glossam, scilicet, de facto uel debito, uel quantum est ex se uel ex causa extrinseca, quasi sancti intenderint quòd beata uirgo incurrerit peccatum originale non de facto sed de debito &c. Et nos dicimus primò, quòd non est quærendum semper quid sancti intenderint, sed quid dixerint, aut quid expresserint in eorum uerbis, quia non est inconueniens dici multa à sanctis quæ exponi possunt ac debent secundum ueritatem, licet ipsi fortè*

ad

ad eam non intenderint, eò quòd Deus magis habet prouidentiam in eorum dictis propter alios quàm in eorum mente, quod & alibi ipsemet Caietanus etiam sapienter animaduertit, hic uerò dißimulat. Etenim in tertia parte.q.78,art.1, ubi postquã re uera docuit cõtra diui Thomæ doctrinam, & non solũ contra mentẽ, sed contra uim ipsam uerborum: de quo tamen non contendo nunc, putans ipse nihilominus suis expositionibus uerba ipsius. D. Thomæ salua consistere ad suam, id est, ipsius commentatoris detorta sententiam sic scripsit, At si quis contendit expositiones has posse conuenire literæ, sed non intentioni autoris, qui uidetur ex proposito docere oppositum, meminerit primò me ab autore didicisse, post Augustinum talem exhibere aliorum lectorem, qualem meorum expopto. in ultimo siquidem præcedentis quæstionis articulo, autor uerba Innocentij in.c. cũ Marthæ, ad uerũ sensum trahit non curans de intẽtione opinantis, accidens migrare de subiecto in subiectum &c. Et alibi in suo tractatu de autoritate papæ, & concilij, ubi ipse exponit quædam uerba cõciliorum Constantiensis & Basiliensis, & ad sensum uerum declarat metuens hanc obiectionem, quòd non ad mentẽ episcoporum exposuerit, sic respondet, Et si glossas nostras contra intentionem autorum esse dixerit aliquis respondebo primò, quòd ego homo sum, & uideo quæ foris sunt quo ad ipsa decretorum uerba, Deus autem intuetur cor &c. Quo in loco etiam non malè considerat, ut id, quod dixi accipiatur, scilicet, quòd autoritas scriptorum ex dictis potius quàm ex mente hauritur à lector.

Nota.

nota prudẽs lector.

X 4 nobis

nobis, & ideo Deus propter communem utilitatem pro culcubio magis præseruat eos in hoc ne falsa scribant, quàm ne falsa opinentur, quoniã in eo uersatur præiudicium multorum, non ita in hoc, sic & Caipham fecit lo-
10.12. qui uera, licet aliam ipse mentem & intentionem habuerit. Quamobrem & B. Thomas sæpißimè uerba Augustini & aliorum ad bonum ac uerum sensum etiam torquere conatur, non ignorans etiam aliud eos intendisse. Quocirca miror quòd tantopere hic exigat à nobis, ut intentionem doctorum consideremus, quam considerationem ipse ut uidimus tanquam superfluam reijcit, nam manifestè ipse superfluam eam uocat his uerbis, Omissa igitur superflua curiositate, quid opinatus fuerit in re clarificata hic uel ille theologus, sufficere nobis debet ex solido fundamento ueritatem agnoscere. Hæc ille. Quod non putes semel aut bis ab eo factum: nam re uera multò sæpius quàm poßit existimare nouitius discedit à mente. D. Thomæ uerba ipsius glossans & exponens ut lubet: tacitè tamen præteriens plerunque de eius mente, ne tũc lector offenderetur, cautè id quidẽ tũc & prudenter, donec autoritatem & ipse suscipiens non curauit postmodo palam iudicare in quot & quantis sese opponat non solum Thomæ, sed & omnibus penè doctoribus quanuis & sanctitatis & doctrinæ gloria illustrißimis, quàm autem uerè, docti uiderint, ego arbitror me satis indicasse non proteruis: Et hic est tamen qui à nobis exigit in re adeo iam clarificata, hanc tantã pietatem, ut captiuemus intellectum nostrum non tamen ad uerba sed etiam ad intentionem paucorũ, quos

ipse

ipse ut fortiores elegit de turba. Desidero ergo ab hoc uiro hoc in loco primum æquitatem, ut non ab alio exigat quod ipse non præstitit, imò & præstare recusauit. Addo deinde quòd etiam ibidem ipse adijcit: ait enim, Aduertat deinde lector autorem, si oppositum sensit, opinatiuè locutum. Ergo hoc etiam debuit in re nostra ipse considerare. Nam doctores pij qui hanc quæstionem tractarunt ex proposito id est, qui fuerunt à tempore diui Thomæ huc usque, quando posita fuit in controuersiam, non potuerunt loqui contra nostram sententiam nisi opinatiuè: nam qui assertiuè etiã temerariè locuti sunt, quia non debuit asseri quod non erat certum aut per scripturas aut per ecclesiæ determinationem, aut certè saltem errore decepti sunt, si idcirco asseruerunt contrariam partem, quia putauerunt hanc ipsam nostram sententiam repugnare menti ecclesiæ & sanctis scripturis. Nam eos in hac parte errasse, nec ipse Caietanus inficiatur. Si igitur in hoc talem eorum mentem, contra nos afferat abijcimus illam uel ipsomet autore, qui in hoc nobis fauet coactus à ueritate: Nam manifestè fatetur hanc sententiam nihil continere erroris, quod è scripturis eliciatur, aut ecclesiasticis determinationibus. Scio tamen aliquos eius ordinis magistros cuius & ego sum in hoc minimè consentire cum illo quem in duobus carpunt, ut iam non sine Dei nutu etiã inter eos uideas ortũ schisma, ut nec illud stare possit in quo consentiunt. Caiet. enim eousq; dixit hanc nostrã sẽtẽtiã nõ cõtinere errorẽ, ut etiã se hoc dicere

ex doctrina D. Thomæ sit arbitratus. Hæc enim ex illo collegit in.1.2.q.81.art.3.his uerbis, Aduerte duo, quòd ad fidem catholicam spectat quòd omnes præter solum Christum cōtrahant peccatum originale, quod dictum non intelligendum est aliter quàm de morte quæ est pœna peccati originalis: ita quòd sicut omnes incurrunt mortem, id est, necessitatem moriendi ita omnes incurrūt peccatum originale, id est, necessitatem habendi peccatum, sed nō spectat ad fidem an aliquis ex aliqua prærogatiua gratiæ, non incurrat actualiter originale peccatum: de utroq; enim simul, inquit Apostolus ad Rom. 5. Per unum hominem introiuit peccatum in mundum, & per peccatum mors. Est igitur necessarium secundū Catholicam fidem credere, quòd omnis utriusq; sexus ab Adam secundum rationem seminalem proueniens ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato originali, & contra Pelagianos dicentes oppositum Augustinus disserit & diffinit. De solo autem Iesu Christo uerum est quod ex ipsa generatione nulli obnoxius est peccato, iuxta uerbum Angeli ad. B. Virg. ante filij conceptionē, quæ uocatur natiuitas in utero, dicētis. Quod ex te nascetur sanctum. Et iuxta hunc sensum militat ratio autoris, scilicet, quia aliter non indigeret redemptione quæ per Iesum Christum facta est. Si enim peccatum originale uel in actu uel in necessitate habendi illud quis non incurreret, non egeret redemptione, quod hæreticū esset dicere. Sed si omnes obnoxij sunt peccato originali, sufficit ad indigentiam redemptionis, neq; enim solum redemptione eget actualiter captiuus sed etiam obnoxius

Nota uera Caietani doctrinam in hoc.

captiuitati. Hæc ille. Et addit. Et hæc bene notabis tu Thomista ne nimio zelo non secundum scientiam accen sus, erronea dicas quæ non sunt erronea, quum de Beatiss. Virg. Mariæ cõceptione disputas aut prædicas. Hæc ille olim doctè, sanè, ac uerè. Sed utrum ad mentem D. Thomæ alij uiderint. Quidam enim ex nostris non credunt, & merito, quoniam si uerum dicendũ est. B. Thomas hanc nostram opinionem olim aliquando putauit erroneam ut ex uerbis eius facile colligitur, Alioqui nihil profectò dixit aduersus illam, si sic intelligi debeat dictum eius quòd Virgo originale peccatum contraxit ut ipse Caietanus exponit. Sed sunt qui etiã ipsum Caietanum & in hoc carpunt, quòd male defendat ab errore sententiam nostram. Arguunt autem in hunc modum, Nullus potest dici obnoxius peccato qui nondum sit, Quod enim nondũ est, quomodo potest esse obnoxium peccato? Si igitur quando iam fuit Maria in rerum natura tunc fuit peccato obnoxia, hoc certè fuit maximè in primo instanti suæ conceptionis. Quod si in primò illo instanti factũ quoq; dicimus per gratiam præuenientem, ne tunc incurrat peccatum illud, consequenter dicimus quòd neq; in illo instanti fuit obnoxia. Nam si mihi teneris soluere cras centum, & ego præueniens remitto debitum, profectò non eris mihi obligatus cras. hæc ille in summa. Ex his ergo clare uides, primo quàm sint ipsi etiam inter semet ipsos pugnantes, euidens certè signum non compertæ ueritatis. Secundo attende falsum esse quod ille sumit, non posse dici quenquam peccato obnoxium, quando nondum sit in rerum natura, cum in re

Magistrum Franciscum Siluestri citat hic.

propositæ

Ambrosius. proposita ab omnibus passim contradicatur. Ambrosius enim dixit, quòd Adam obligauit posteritatem: obligauit autem opinor cum peccauit: tunc uerò nondum
Ad Ro. 5. erat sua posteritas. Paulus etiam dixit quòd omnes in Adam, scilicet peccāte peccauimus. Quomodo uerò peccauimus qui nondum eramus? Item dixit quòd Leui deci
Ad Hebr. 7. matus fuit in lumbis Abrae cū ille obtulit decimas Melchisedech. Quomodo autem decimatus Leui qui nō dū erat? Thomas etiam non confunditur Christi carnem in patribus fuisse obnoxiam peccato, cum tamen nondum uere esset Christi caro in rerum natura. Pari modo nihil prohiberet dici, Mariam peccato obnoxiam etiā cū nondum esset in rerū natura, quia saltem erat in apprehensione Dei & Angelorum & hominum. unde debuit magister ille considerare ex doctrina Philosophi, non ualere consequentiam semper de tertio adiacente ad secundum adiacens, ut cum dicimus, Homerus est poëta, non sequitur, ergo Homerus est: quia, est, in priore propositione per accidens prædicatur, pari ergo ratione nō ualet, Est obligatus hæres meus, ergo hæres meus iā est. Similiter, Maria, erat aut est peccato obnoxia, Ergo Maria erat aut est. Dico enim quod hæc non ualent ut ex se patet. Quia in huiusmodi hæres & Maria non secundum existentiam in rerum natura accipiuntur: sed ut capiūtur in intellectu. Et hæc ex superfluo dicta sint. Nam ut propius ad rem accedam, non dicimus nos simpliciter quòd Maria fuerit unquam peccato obnoxia, sed quod ex se & suæ conditione naturæ, quod est esse obnoxiam secundum quid, unde peccat argumentū Magistri

gistri huius per fallaciam quæ est, Accipere simpliciter, quod est secundum quid. Absq; ulla enim contradictione dicitur, Mariam ex se fuisse peccato obnoxiam, & tamē simpliciter seu de facto nō fuisse obnoxiam propter gratiam præueniētem ac præseruantē. Et quia maxime consideramus quod est ex se, ideò plerunq; sano intellectu simpliciter dicitur. Et licet hæc ita sint: uidelicet nō esse mentem & intentionem doctorum semper considerandam, sed nonnunquàm solum modo uerba, nolim tamen putes lector, hanc non fuisse mentem antiquorum doctorum qui in scripturis erant assueti. Nam ut uideas quod hunc sensum habuerint, & hoc sensu proferebāt huiusmodi sententias. Accipe & nota suas ipsorum explanationes. Ambrosius de Christi natiuitate loquens sic statuit, Solus per omnia dominus Iesus contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit. Quid est inquam quod ait per omnia, nisi id quod dicimus, non ex precaria gratia, quæ ex alio pendeat: sed suo iure & naturæ conditione? Nam hoc declarans adiecit, Immaculati partus nouitate non sensit, & propterea subdit, & cœlesti maiestate depulit, quod certè de Maria dici uere non potest. Non enim ipsa maiestate sua depulit sed Christus pro ea. Ioannes Chrysostomus exponens illud diaboli testimonium. Noui quod sis Sanctus Dei: ita ait: Sanctum autem dicit eum, non unum de pluribus: quia & sanctus erat unusquisq; Prophetarum, sed unum esse denuntiat. Gregorius etiam Nisenus sic ad literam de Christi natiuitate, Solus hic partus masculinus

spiritua-

ſpiritualiter eſſe cognoſcitur, qui nihil de fœmineitate culpæ portauit, unde reuera, ſanctus uocatus eſt. Vnde Gabriel quaſi hoc decretum ad ipſum ſolum pertineret memorans dicebat, quod ex te naſcetur ſanctum. Sanctus etiam Gregorius ſummus pōtif. tractans illud Iob. Nō adæquabitur ei topatium de Aethiopia, in hunc intellectum ita egregie ac mirifice expoſuit, ne acceptis quiſq; uirtutibus extollatur, à Sancto uiro nūc dicitur, non adæquabitur ei topatiū de Aethiopia, ac ſi aperte dicat, nullus ſanctorum quibuſlibet uirtutibus plenus, ex iſta tamen nigredine mundi collectus ſe æquare poteſt ei de quo ſcriptum eſt, Quod enim ex te naſcetur ſanctum. Nos quippe & ſi ſancti efficimur, non tamen naſcimur, quia ipſa naturæ corruptibilis conditione reſtringimur, ut cum propheta dicamus, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea. Hæc ille: notate uerba, nos quippe & ſi ſancti efficimur, non tamen naſcimur, uidete ut hæc opponuntur naſci ſanctum & effici ſanctum. Quod uere ita eſt iuxta datum intellectum. Naſcitur enim ſanctus qui ex conditione naturæ ſanctus prodit in lucem, At efficitur ſanctus qui aliunde accipit ſanctitatem. Illud ſingulare Chriſti eſt, hoc cæteris communicari potuit, quod & abundius declarans ille ſanctus pontifex ſubdit, Aliud eſt enim natos homines gratiā adoptionis accipere, aliud unum ſingulariter per diuinitatis potētiā deum ex ipſo conceptu prodijſſe. Notate quod ait ex ipſo cōceptu, & nō dixit in ipſo cōceptu. Nā Maria uirgo licet ſancta fuerit ī ipſo cōceptu, nō tamē ex ipſo cōceptu

Nota.

ceptu.i.ex ui & cōditiōe seu natura sui conceptus: hoc enim singulariter fuit Christi. Athanasius etiā hūc sensum secutus dixit. Christus singulariter sanctus, & ab oibus alijs in sanctitate dissimilis. Adhoc etiā respiciēs Hierony. cū, uniuersam Christi gratiā refusam ab eo in matrem diceret ut Christo hāc prærogatiuā seruaret, subiecit, quanquam aliter & aliter. Idem etiam alibi expreßius ita scripsit, in psalmis dicitur, Nō iustificabitur in conspectu eius omnis uiuens, nō ait omnis homo, sed omnis uiuens. i. nō Euangelista, non Apostolus, nō Propheta, ad maiora conscendo, non angeli, non Throni, nō dominationes, non potestates, cæteraq; uirtutes, solus Deus in quo peccatum non cadit. Et paulo post ab Apostolis, solus iustus dicitur, solus immortalis & iustus cui collata uniuersa iustitia iniquitas inuenitur. Hec ille: sed quid moror? cur illud Angeli dictum quod ex te nascetur sanctum &c. omnes theologi singulariter pertinere ad Christum confiteantur? & tamen iam omnes fatemur Mariam in natiuitate sanctam. Igitur solus Christus sanctus secundum eminentiam sanctitatis, ut expositum est. Veræ igitur sunt omnes istæ conclusiōnes. Nullus hominum, aut nullus ex filijs Adæ, aut nullus ex concubitu maris & fœminæ conceptus aut natus uenit in mundū sine peccato. Sed hunc sensum habent iam tot ac tātis autoritatibus probatum & clarum. Nullus secundum conditionem humanam, aut secundum quod ex Adam descendit, seu ex semine, aut ex maris & fœminæ commixtiōe, uenit immunis à peccato: cum quo tamen stat quòd per gratiam quæ superat naturam qualis

fuit in

fuit in Maria, ut Hieronymus & Augustinus egregiè dixerunt, contra sit, & peccati immunitas cōstituatur. Hic est frequentissimus mos loquēdi in scripturis. Nam præter alia quæ supra recitauimus multa, audi Paulum dicentem, Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Quomodo ait egent gloria Dei, cum iam tunc dominus multos in gloriam adduxisset. Audi Augustinū, Ille tibi hoc uerbis suis exponit, Ita enim contra Pelagianos ad literam interpretatur, Quid est egens? id est, nemo idoneus per se quod carnaliter nascitur, nemo operibus meritorum uitam recipit perditam. Hæc ille: sed iam hactenus plusquam satis ad persuadendum bonis mētibus, prauis ac proteruis, nec si Angelus de cœlo uenerit persuadebit. Verum redeo rursum unde digressus sum. Pergit enim Caietanus ut istam Glossam (quam ipse tamen decies probauit) reprobet, & ait. Hāc inquam glossam excludit tum quia ly de debito, & ly quantum est ex se, est conditio secundum quid aut diminuens, quia habens aliquid quantum ex se est, uel de debito, non habet illud simpliciter & absolute. Sancti autem doctores dicunt quòd Beata Virgo habuit peccatum originale sine ulla conditione secundum quid aut diminutione ac per hoc simpliciter & absolute. Hæc ille. Quæ uolo ut acutus lector amore ueritatis consideret. Ipse dicit quòd doctores sancti dicunt quòd. B. Virgo habuit peccatum originale sine ulla conditione secundum quid &c. Si ipse uellet dicere ut uerba uidentur primo auditu sonare, quòd doctores sancti hoc totum dixerunt, uidelicet quod. B. Virgo habuit originale peccatum sine ulla conditione,

Augustinus contra Pelagia.

id est,

id est, etiam de facto contraxit illud, certè falsum diceret, quia doctores sancti quos affert non hoc dixerunt. Si autem uult dicere, ut certè uult, quòd quia doctores sancti dixerunt simpliciter ipsam contraxisse originale peccatum & non adiecisse conditionem ullam, uidelicet ex debito aut ex sui natura, propterea nō admittunt istā glossam quæ sic exponit, id est, ex debito & sui natura. Hoc dictum tam facile ac iure repellitur quàm facile ac sine ratione dicitur? Nam ideò glossæ adduntur ad exponendum textum, quia textus non est manifestus, alioqui non opus esset unquam glossis ad textum, si textus contineret expresse quod glossa quasi interpres exponit. Sed dicet, ista glossa uiolentiam affert literæ. Nam doctores dicunt simpliciter quòd Beata Virgo habuit peccatum originale, modo dicere quod Beata Virgo habuit peccatū originale ex debito uel ex sui natura, nō est simpliciter illā habuisse peccatum orig. Hic igit attēde ut fallaciā in uerbis agnoscas, Aliud est dicere quòd doctores simpliciter siue absolute dicūt quòd B. Virgo habuit peccatum originale. Aliud uerò est dicere, quòd dicunt doctores quòd B. Virgo habuit simpliciter siue absolute peccatū originale. Si enim hoc ultimo mō loquerētur, profecto glossa quæ diceret quod B. Virgo habuit peccatū originale ex debito, textū destrueret, quia idē eēt ac si dicerēt quòd nō habuit peccatū illud absolutè, quod repugnaret textui, quoniā uerò doctores nō dicūt quòd simpliciter aut absolute B. Virgo habuit peccatū originale, sed sic dicūt quòd B. Virgo habuit peccatūoriginale, hoc autē cū possit dupliciter intelligi uidelicet uel ex

debito, sui natura, uel etiam de facto. textus huiusmodi dat locum glossæ quæ sic exponit, quòd habuit illud peccatum ex debito, siue ex se & sui natura, non autem de facto. Quòd si quis instet & pro Caietano quòd uerba ista non admittant hanc glossam, confutabitur illiusmet testimonio qui dicit, ut iam uidimus, quòd ad fidem catholicam spectat quòd omnes præter Christum contrahant peccatum originale, quod ipsemet exponens sic ait. Quod dictum non est intelligendum aliter quàm de morte, quæ est pœna peccati originalis, ita quòd sicut omnes incurrunt mortem, id est, necessitatem moriendi, ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, necessitatem habendi peccatum originale, sed non spectat ad fidem an aliquis ex aliqua prærogatiua gratiæ non incurrat actualiter originale peccatum &c. Ecce ut ipsemet planè sic exponit, imò sic esse exponendum docet, contrahere peccatum & intrare peccatum originale in omnes, & sic intrare mortem, & similiter habere peccatum, uel maculam & huiusmodi, sic inquam esse exponendum ipse docet, id est, ex se & sui natura, aut ex debito iuxta naturalem conditionem non autem de facto. Quare miror quòd etiam tanta censura nunc reprobet quòd tanta prius doctrina probarat admonens Thomistam, ne dicat erronea quæ non sunt erronea. Alioquin iam esset erroneum dicere, quòd Maria non contraxit originale peccatum de facto cùm sancti doceant & scripturæ, hoc pertinere ad fidem, uidelicet, quòd omnes præter solum Christum contraxerint peccatum originale. Si hoc dictum non

Nota ut semetipsos aduersantes expugnant.

non posset sic exponi de se & iuxta conditionem natu-ræ, sed oporteat etiam eo modo intelligi, scilicet de facto, quæ tamen ut sæpius dixi, ipsemet damnat uolens quòd dictum ipsum sit uerum cum sua tamen expositione. Nam si hæc uerba à scripturis prolata illam glossam admittunt, cur non etiam à sanctis doctoribus prolata cùm illa ipsa acceperint à scripturis? hic teneris, qui non uis recipere. Quòd si quis etiam instando adijciat. quòd dictum hoc ex se & suæ conditione naturæ est cõditio diminuens, & propterea glossa ista quæ hoc adijcit, diminuit dictum quod est dictum simpliciter, & sic nõ stas etiã in doctrina Caietani circa scripturas: Respõdeo: primum quòd ista glossa necessaria est & non est nostra, sed Pauli apostoli qui dixit, Eramus natura filij iræ: non dixit ibi simpliciter filij iræ, quod tamen alibi simpliciter dicit, cùm omnes peccatores & impios & Dei inimicos uocat, sed ibi id quod erat uerum adiecit, natura, ut præseruaret se ab hac una quæ secundum gratiam non est inuenta filia iræ, licet natura illi hoc deberetur: nam & hoc uehementer animaduerti uelim. Comparat Apostolus, secundum oppositum tamen modum, Christum iustificantem, ipsi Adæ mortificanti his uerbis, Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ. At certum est quòd per iustitiam Christi in omnes homines non processit iustificatio de facto, Ergo hoc intelligi debet ex merito, & secundum id quod debitum fuit Christo & iustitiæ & obedientiæ suæ, quia relicta est

Ad Ephe. 2.

Nota hæc.

potestas homini recusandi beneficium Christi. Ergo similiter quòd de ipso Adam dicitur, quòd eius delictum in omnes homines fuit in condemnationem, sic intelligi debet, id est, iuxta meritum eius, id est, delicti & inobedientiæ suæ, & non de facto, ut sic æqua comparatio fiat, & sine quæstione procedat. Nam meritum illius peccati non fuit ut solum ad tempus damnaremur sed in perpetuum amittentes dona data in persona Adæ, & promißionem futuræ uitæ, & tamen multi sunt liberati ab ista damnatione. Cur igitur hæc una non etiam preseruata ob excellentem gratiam dici poßit etiam incolumi apostolica sententia, quæ proculdubio ad meritum non ad factum respexit? Atque ideo puto (nec falli existimo) quòd diuus Paulus ut hoc nobis mysterium inueret, abstinuit à uerbo, & sententiam imperfectam pronuntiauit: dixit enim, ut nos ad hanc cogitationem induceret, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationẽ, non adijciens uerbum, puta diuina sentẽtia processit, aut quid tale, eò quòd meritum ipsum, non rei exitum atque effectnm indicare uolebat. Nam si homo potest obicem ponere merito iustificationis, quæ est per Christum, ne sortiatur effectum illum in se, non etiam potuit Deus pro matre & sponsa & filia unigeniti sui dilectißima, quæ de latere eius prima est generata, obicem posuisse, Adæ merito, ne debita inde condemnatio in hanc ullo pacto perueniret? certè non hoc incredibile uerbum, sed fidele est & omni acceptione dignum. Adde his quòd hæc conditio ex se & natura rei, quia respicit naturæ substantiam, quam scire

sed

ac diuidere ab ijs quæ extrinsecus accidunt ad doctrinam maximè attinet, non est conditio propriè diminuens ut sententiam coangustet, quæ est in primis docenda, quia ius primò non factum docendi sumus in lege, nostrum enim est nosse primum non quid est illa uel ille de facto. Sed quid secũdum rei naturam sit, & quid secundum gratiam, ut hinc ad id ueniamus, & quid sit de facto consideremus. Si tamen id possumus coniectare, & ad rem pertineat: nam qui prius non considerant quid sunt ex seipsis proculdubio seipsos ignorant & Deum. Ideo frequentißimè sic loquuntur scripturæ, ut hominem iuxta naturam suam nobis proponant, & non secundum gratiam, ut superius tot exemplis monstraui & sententijs. Omnis homo mendax. Nullus hominum potest domare linguam suam. Nemo carnem suam odio habuit. Paulus uolens ostendere peccatum Corinthiorum dixit, Nonne homines estis? Christus etiã similiter multa dixit, ut illud, Cui minus dimittitur minus diligit, non respiciens ad id quod de facto posset contingere, & sæpe contingit uidelicet ut cui minus dimittitur etiam magis diligat, & sic falsa esset sententia Christi. Sed proculdubio id respexit quod ex se & ex rei natura debet esse, ut sit sensus uerus, quòd minus diligere tenetur secundum causam dilectionis quæ est beneficium, sic & dixit, Dilige proximum tuum sicut teipsum, quod non est sic interpretandum, id est, sicut teipsum de facto diligis: Nam multi de facto peruersè diligunt se, & ideo exponẽdũ est, id est, rationabiliter in Deo & Nota.

propter Deum &c. Sic & dixit, non remittetur peccatum illud, id est, non habet ex sui natura ullam causam remißionis. Sic & dixit, Omne peccatū & blasphemia remittetur hominibus, id est, habet causam remißionis. Sic alius dicit, Morieris & non uiues, quia causæ naturales iam ad mortem ducebant. Fateor etiā quòd interdum & per contrarium respicitur gratia, & causa extrinseca secūdum quod & aliquid simpliciter dicitur, quòd hominibus posset uideri falsum, uidelicet de Lazaro. Hæc infirmitas non est ad mortem, cùm iuxta causas naturales esset ad mortem, sed propter propinquā suscitationem gratiosam illud est dictum: unde & dilectus, Est peccatum non ad mortem, & tamen de mortali peccato loquitur quod secundum se parit mortem de facto, sed considerata misericordia Dei cui misericordiæ peccatū illud non repugnat, uocat peccatū non ad mortem. Hæc & similia quæ simpliciter dicūtur nisi expōerētur per huiusmodi gloßas, nō solum ueras, sed etiam necessarias omnino, sensum falsum & penitus absurdum redderent. Nā quid est admirabilius dictum quàm illud domini, Mea doctrina non est mea? ut intelligas non esse computandum merè inter nostra quæ sunt ex dono. Sic Paulus de se & Apollo ait, Qui plantat & qui rigat nihil est, & tamen de se plantante ait, Vt sapiens architectus fundamentum posui. Quid igitur? Nunquid nō est aliquid sapiēs architectus? Sed quia hoc ex Deo habuit, illi acceptum refert & habet quasi non suum, quod fuit ex dono suum, propter hoc & nos dicimus, quòd hoc priuilegium quod habuit beata uirgo, quia uenit non ex

se, sed

se, sed ex Deo salutari suo, in quo & ipsa sapientißimè exultauit, fere non est computandum inter sua bona, quia non hæc ex natura habuit sed ex gratia, quæ ut Augustinus & Hieronymus eleganter testantur, longè superauit, & conculcauit naturam in illa, quoniam super hominem fuit, & omnem hominem & omnem angelum, dignißima creaturarum longè gratia antecelluit. Et propterea magis Deum quàm illam in hoc efferimus & prædicamus distinguentes sic naturam à gratia, quod bene uidit Augustinus, & Pelagio Mariæ exemplum obiectanti mirificè respondit, Excipiens illam ab omni peccato, non propter seipsam sed in gratiam domini. Quæ cùm uerißima sint & tam latè pateant, ad fulciendam glossam illam, quis non miretur, uirum quem tanti faciunt tam inconsideranter improbare quod tam apertè scripturæ probant, in quod & sapientes consentiunt & omnes consentire coguntur, imò quod & ipsemet adeo manifestè & in proprijs terminis approbauit? Ipse enim est qui dicit teneri nos ad credendum omnes contrahere peccatum originale etiam beatam uirginem quia sic dicunt scripturæ, & ipse est qui sic exposuit quòd hoc non est intelligendum de facto, sed ex debito. Et nihilominus ipse est qui hanc glossam reprobans sic adiungit, Petendum est ab istis si ista uerba, beata uirgo fuit concepta in peccato originali & similia, nön explicant quòd ipsa de facto non contraxit peccatum originale, quibus uerbis uti debebant sancti doctores ad hoc explicandum. In his nanque explicatur persona beatæ uirginis ut subiectum originalis peccati.

Explicatur tempus conceptionis, explicatur originale peccatum, explicatur factum per ly concepta est, contraxit, & similia. Quid ultra debet apponi? Et *si ista hoc non significant, consequens est, ut dicentes oppositum, scilicet. B. uirginem non esse conceptam in peccato originali, non significant hoc quod debent. Fatuæ ergo atq; temerariæ sunt huiusmodi nõ extorsiones sed corruptiones autoritatum locutionumq; Latinarum.* Hæc ille. Cui *quanquam posset durius ac pro merito respon deri, ne mordacem me dicant amici, benignè tamen hæc excipiam, dicens primum, quòd iam sæpius non ab re di xi, quòd has fatuas & temerarias corruptiones ipse probauit, ipse etiam docuit ut sapiens non ut fatuus, tanquam ueras non ut temerarias, tanquam iuxta sensum scripturarum, non ut extorsiones à ueritate.* Petit, *quibus uerbis debebant uti sancti ad explicandum factum si non ista sufficiunt, concepta est, contraxit &c.* Respondeo, Poterant *uti alijs uerbis & declarare sensum istum si uoluissent, aut permisisset* Deus *per quem expreßè declararetur factum, & excluderetur glossa hæc ex natura, ex debito, quia non satis est dicere concepta est, & contraxit ut omnino habeatur sic fuisse de facto, sicut non satis fuit dicere intrauit mors aut pertransijt in omnes homines ad hoc ut necessariò intelligamus hoc fuisse de facto, ut ipse docet, imò ut ipse tenet.* Tenet *enim de facto quòd multi non morientur, contra* Augustinum *tamen in hoc &* Thomam, *& communem doctorum sententiam, & nulla suadente ratione, & uerè improbabiliter, ut particulariter annotaui.*

Cur

Cur ergo liceat illi eo modo exponere in re etiam falsa & nulla ratione probabili, nobis autem non liceat in re pia ac tanto fauore digna? Sed uide ut perpetuò nouitios exagitat, per fallacias & amphibolias quando ait, Et si ista hoc non significāt, consequens est ut dicentes oppositum scilicet. B. uirginem non esse conceptam in peccato originali, non significant hoc quod debent. Imò uerò significamus hoc quod debemus, nec dicimus oppositum, quia id dicimus quod & sentimus & declaramus expreßè, sobriè, rectè, quàdo & uerba id patiantur: nō enim sunt ista opposita. Maria cōtraxit originale, & Maria nō cōtraxit originale. Si primum dictum sanè intelligas, uidelicet cū illa glossa, id est, erat natura in debito contrahendi; quam glossam ipse probauit, Et si dictum secundum sic accipimus ut declaremus palam, dicentes quòd de facto, & per gratiam dei non contraxit: Nam si penitus excludendæ sunt istæ glossæ quæ maior ecn traditio & maior fatuitas, quàm in illo dicto mea doctrina non est mea? Et quod alibi dicit, Et si ego perhibeo testimonium de meipso testimonium meum non est uerum, ac rursum ex opposito, Et si ego testimonium perhibeo de meipso testimoniū meū uerum est. Quid hic deest si uerba nuda considere sine gloßis ad contradictionem? Et ideo non sunt fatuæ nec temerariæ glossæ, quæ & in se ueræ sunt & frequentissimæ subauditæ imò necessariò subaudiendæ in scripturis Sanctis & sapientibus sententijs? Nā

Augustinus & omnes sancti doctores solo Christo excepto, reliquos omnes non solum dicit conceptos uerũ etiã natos in peccato originali. Et sic legitur illa prophetica sentẽtia apud antiquos, Ecce in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis peperit me mater mea. Quæ sentẽtia ad omnes pertinet, ut non solum cõceptio sed ortus ipse & natiuitas ipsa omnium hominũ ponatur in uitio, & sic determinatũ fuit & sic probatum ab ecclesia sancta dei, quæ sic nos docet uniuersaliter & uerum est. Quòd si nõ intelligatur iuxta istã gloßam uidelicet iuxta naturã, & ex debito, certe falsum inuenietur, quoniã ut & aduersarij concedunt, Beata uirgo nata est sancta sicut & Iohãnes baptista & Ieremias & forte alij quos ignoramus. Et per hæc nisi uelint usq; ad insaniã proteruire, fateri cõguntur quòd non fuit non solum religiosæ mansuetudinis, sed nec secundum scientiã prolatũ, quòd sint fatuæ istæ glossæ & temerariæ aut fatui qui sic proferrent dicta talibus gloßis indigentia, ne si hoc demus necessariũ habeamus in innumeris locis confiteri fatuas eße scripturas, et quod horreo dicere dominũ ipsum, sapientiã summã, fatuam. sed quid est quod non fatuũ dicant qui se solos sapientes existimant? Nũc audi lector, quod alij contra istam gloßam opposuerunt. Aiũt enim minime poße uere dici uirginem hoc peccatũ incurriße quia debuit incurrere sicut nec dici potest Iudas prodidiße dominũ, quia debuit nõ prodere. Tu uero agnosce fallaciã hoc in loco, quam cõmittunt manifestam, figuræ dictionis, ut Philosophus uocat, dũ idem quod modo secundũ paßiuam, modo secundũ actiuã significationẽ sumendum

mendum eßet, cõfundunt, ac si uno modo sumeretur. Nã quod dicitur debuit Maria cõtrahere peccatũ, intelligimus paßiuè quòd ex merito antiqui delicti & ipsa obligata erat incurrere, scilicet, patiendo ipsam trãsfusionem peccati, quod ex seipsa uitare non poterat: ideo habetur tanquàm incurrerit: quod enim nõ incurrerit, extrinsecus accidit. At cum dicimus, debuit Iudas nõ prodere, intelligimus debitum quod ad agendum illum obligabat, id est, ad nõ prodendũ, quod ex se quidẽ poterat facere, id est, uitare proditionem, idcirco si nõ fecit imò si contrafecit prodendo, uere dicitur prodidiße non autem uere non prodidiße, quod uere tamen diceretur si casus daretur, quòd quàntum ex se nõ commisißet eam proditionẽ, utputa uel coactus uel deceptus uel si quouis modo dari poßet illud scelus nõ ex se, sed à causa extrinseca patratum.

Concludo igitur ex ueritate quam mihi ipsemet Caietanus probat ex sua doctrina, primum, quòd sancti (sicut in primis Augustinus, disputãs & diffiniẽs in Pelagianos) nõ aliud diffiniuerũt, quàm quòd omnes secundum rationem seminalem ex Adam uenientes secundum hunc respectum debitores sumus peccato, quòd qui negat est detestandus hereticus. ideo Augustini sententiæ sic intellectæ ut docet Caietanus intelligi debere imò ut ipsemet Augustinus exponit, non faciunt aduersum nos. Secundo dico quòd si qui sanctorũ etiã de facto loquẽtes supposuerunt. D. Virginem peccato, nõ assertiue sed opinatiue locuti sunt, quos licet non sequi sicut docet Tho. nõ enim magnã probabilitatẽ sic faciũt eorũ Nota.

opiniones

opiniones, quæ spiritu, ac timore dei cohibente habent formidinem ab alia parte, sic locutus est. D. Bernardus & alij quidã. Et ideo etiam Augustinus excusat in hũc modum autoritatem Ambrosij sibi obiectã; dicit enim, non exacte tunc cogitasse Ambrosium, nec asseueranter locutum, qui & alibi aliter docuerat. Tertio dico, quòd si qui assertiue locuti sunt errarunt in hoc, & passi sunt humana, qui eorum error iam manifeste apparet. Non enim potuerunt (ut iam dixi) illud asserere, nisi cũ hoc errore, quòd existimarunt à scripturis & ab ecclesiæ sensu & ab euidẽtibus rationibus inde deductis idipsum euinci, sed iam cõstat ex ecclesiæ declaratione, & ipsius Caietani tandem ingenua confeßione, quòd scripturæ id nequaquam euincunt, ecclesia uero iam sensum suum ædidit, manifestans, nõ habere quicquam periculi hãc sententiam quam recipit etiam celebrans & commendans. Constat & quòd rationes quibus mouebatur & Thomas & alij non lædunt sententiam istam, imò potius roborant, nisi uelimus proteruire, quod mox paucis perstringens etiam declarabo. Quid ergo restat tãdẽ quod faciat tantam probabilitatem ex autoritate doctorum, quantam obijcit nobis terrens nos Caietanus? An probabit Augustinus contra nos qui ut fatetur ipsemet & docet contra nos non militat, sed cõtra Pelagianos destruẽtes gratiam Christi? At nos magis magnificamus in uirgine Christi gratiam per hanc sententiam. An probabũt adeo uehementer quidam, qui tamen opinatiue locuti sunt & cum formidine? Aut illi qui & si assertiuè locuti sunt, errarunt tamen ut confitetur etiam ipsemet? Vis

autem breuiter errores colligam: En ex doctrina Thomæ quatuor ratiões eliciuntur, ut Capreolus excerpit, quibus ad eam opinionem adductus est, quarum cum nulla concludat, nonne frangitur autoritas hæc? Prima enim ratio est quòd oportet asserere. B. Virginem esse redemptam, at hæc sententia illam etiam magis redemptam asserit. Secunda ratio est quia nō debet in puritate & immunitate & elongatione à peccato æquari filio suo. At hæc opinio non æquat eam filio, sed longo interuallo post filium habet matrem in his. Tertia ratio est quòd in sanctitate & gratia cōcipi est singulare priuilegiū Christi, & hoc etiā nos asserimus ex cōditione naturæ, quia ex Spiritu sancto cōceptus est solus, nec dicimus tamē esse hoc priuilegiū in Christo, qui suo iure id habuit proprium, sed Virgini ex priuilegio damus idq; in gratiam Christi; sicut & alia multa, nam & illud solius Christi fuit, ut debitum sibi, non dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Et tamen hoc matri concedimus ob illius gratiam, salua singulari Christi prærogatiua, quæ est, in hoc, quòd habuit id iure suo, mater autem ex gratia & priuilegio. Item sicut & paganæ leges dicunt de principe, quòd est solutus legibus, Augustam uerò dicunt solutam non ipso iure sicut princeps, uelle tamen ipsum principem, ut & ipsa gaudeat prærogatiuis iisdem, & se noscat, non ex se illas habere, sed à principe. Sic & nos asserimus de Principe Christo & Maria matre, quòd ille ex se habuit suo iure, illa uerò ab illo, & propter illum, quod

Nota hæc Thomistæ.

L. Princeps. ff. de legibus

& illa prudentißima & Augusta uerißima cõfessa est concinens, Quia fecit mihi magna qui potens est, quia sanctum nomen eius, ut sanctificare poßit ut uult. Quarta ratio est, Quia omnes qui ex commixtione maris & fœminæ ueniunt in hunc mundum contrahunt tale peccatum & nos id fatemur cum sua glossa, contrahunt; id est, hoc ex sui natura habent, ut contrahere debeant, ut sæpius diximus. At. B. Virgo domina nostra multa habuit unde debuit gratia & misericordia præueniri, ne quod debebat exolueret, cum soluẽte pro illa filio, ipsa
Nota. dimissa fuerit libera. Ecce enim rationum radices in quibus utraq; pars cõtradictiõis huius fundatur. Qui enim dicũt illam in originali de facto cõceptam fuisse ex hoc mouentur, quia filia Adæ fuit ex semine. Qui uerò contra, eam præseruatam dicunt, ex eo mouẽtur, quòd erat præcognita & electa futura Dei mater. Mitto nũc alia electionis suæ momenta maxima. Hoc igitur considerandum nunc, utra harum rationum debuit præualere, id est, utrum potius tanquam filia Adæ ut sic de facto peccatrix dicatur. An tãquã Iesu Christi mater, ut sic præseruata intelligatur. Ad hoc autem dispiciendum, credo
Nota. opportunum esse ad scripturam respicere, & ad Genealogiam tantæ Virginis. Si enim in tota scriptura in sua Genealogia, aut ullibi locorum inuenitur commemorata. B. Virgo habẽs patrem aut matrem in terris: & sic ex semine proditã. esse quod tamẽ alijs rationibus fieri debebat, uincant qui illam prædicant sub originali cõceptam. Quòd si ecõtrario hoc solum de illa comperimus in Genealogia, uidelicet quòd illa est de qua natus est Iesus

sus qui uocatur Christus, quæso uincat illa pars quæ id cōsiderat, quòd solū à scriptura profertur, et id omittat quod scriptura de industria omisit, ne id cōsideraremus aduersus illam, quod ex naturæ debito, sed id solū quod à filio ex gratia debuit accipere. Sed o Maria quis mihi dabit habentes spiritum & intelligentes quæ dico? nolim enim (tu nosti) margaritas iactari &c. Ergo qui habet cor ad capiendum capiat. Nunc ad rem redeundo. Si sic uere se habet res, quòd doctores qui contra nos producuntur & ipse præsertim. D. Thomas, rationibus motus est quæ minime cōcludūt, sed magna ex parte potius nos adiuuant, nunquid debemus opprimi autoritate hominum, magis quàm autoritate rationum, quibus nisos illos esse uidemus, & sine quibus omnis euanescit autoritas, præterquàm solius dei, ut recte ait Augustinus? Nota.
Certe si, D. Thomas aut sancti quilibet doctores absq; rationibus aliquid pronuntiarent, possemus merito hærere, ac dicere non est putandum sine probabili ratione motos esse ac propterea sic merito titubantes iudicium suspenderemus. At uero & postquàm rationes afferunt quibus uidemus motos eos ad opinandum aut decernendum quicquam, rationes autem ipsas planè considerantes uidemus, apertissime inefficaces, quid quæso restat quamobrē debeamus autoritati succumbere, cuius principium, quod est producta ratio, palam nouimus nō subsistere? Est tamen & aliud argumentum. B. Thomæ qui ait, Beata uirgo non fuit sanctificata ante animationem, ergo post, ergo contraxit originale. Sed manifeste non ualet, quia potuit in ipsa animatione sanctificari, quod

non

non negat Durandus, & qui aliquid sapiunt. Nam uide quæso, ipsemet Caietanus & concinne & eleganter has omnes Thomæ rationes euertit, ut minime concludētes in nos, sic enim ait ille. Absolute loquēdo inter illas duas positiōes extremas, uidelicet, qđ fuerit sanctificata ante animæ infusionem, uel post, est media positio quòd fuit sanctificata in instanti infusionis animæ. Cuius opinionis autor hic non meminit, quia tempore suo nō erat ad iuuenta. Et post pleraq; (quæ de suo sensu effudit in hāc opinionem) quæ etiam ut facile enunciauit, ita facile uel contemni, uel refelli possent, quanquam de his inferius pertractabitur, in hæc uerba de hac opiniōe nostra propinquius accedens ad ueritatem conclusit. Si tenetur. B. uirginem non ex ui cōceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis animæ præseruatam ab originali peccato, quod tunc incurrisset, nisi illa gratia affuisset, nihil cōtra fidem tenetur. Sed specialis modus redimendi ac saluandi à peccato originali Christo attribuitur respectu suæ matris: sic enim ipsa Virgo indiguit redimi & saluari à peccato per Christum, quoniā ipsa tunc incurrisset peccatum nisi munus gratiæ præueniētis, non tēpore sed natura, affuisset: & ita puritas eius fuit maxima sub Christo, qui nullo modo indiguit redimi, qui ex ui suæ conceptionis fuit sanctus, fuitq; in B. Virgine prius natura non tēpore, quod est animale quā quod spirituale, quoniam infusio gratiæ in ipsius anima supponit productionem animæ, quamuis ut dictum est, præueniat peccati maculam, quæ tunc incurrenda erat, nisi gratia illā impediuisset. Hæc ille, unde & statim subdit.

Caiet. in cō-mē. super. 1. parte. q. 27. art. 2.

dit. Probabilis profecto opinio, nisi sanctorum antiquorum autoritas obstaret longe probabiliorem reddens cõtrariam opinionem. Hæc ille tandem. Ex quibus patet quòd quum res rationibus agitur ipsemet cunctas resoluit, & ita opinionem recitat & declarat, ut ex hoc solo colligat eius probabilitatem. Vide bone lector quantæ sit efficaciæ ueritas, hoc enim magnum argumentum pro ueritate quando nuda expositio opinionis probabilitatem efficit absq; alijs adminiculis, ut ipse concludens tandem fatetur, quanquam in hoc elanguescit, quòd autoritatem doctorum quæ in disputatione locum infimũ & infirmũ solet habere, sic hoc in loco magnificat (non enim aliud habebat) ut in eo solo suæ oppositæ opinionis maiorem & maximam probabilitatem constituat, etiam illud confitens, quòd rationes quibus illi adducebantur non urgent. Nos uerò circa sanctorũ autoritatẽ, quã sarctam tectã semper uolumus, rei summã perstringẽtes, confidẽter asserimus quòd omnes sancti tenent & tenuerũt semper hanc sententiã multo magis quàm oppositam, quia sibijpsis Ecclesiæ sensum & autoritatẽ semper ante tulerunt, quod qui negat, & qui non cõsiderat, cõsulo ut prius incipiat discere fundamẽta fidei & prouidentiã omnipotentis, ac postmodo immisceat se catholicis disputationibus. Et hæc satis ad excludẽdũ quæ de sanctorũ autoritatibus in nos obiectãt, quãquã singulariter in Caietanũ poteramus reijcere, quòd iam nõ pertinebat ad cũ zelus iste pro sanctis, qui tã paßim ac tã periculosè & cũ tãto piorũ scãdalo nõ ueretur aduersus omnes dogmatizare, quod, heu, nimis iam patet. Nota.

SEd nunc uidendum quantum laboret ut causas probabilitatis nostræ sententiæ quæ multæ sunt & urgentes, extenuet. primum eneruare nititur autoritatem pene innumerabilium doctorum, qui hanc sententiam tenuerũt, eò quòd ut ait, nullus eorum fuit sanctus, quod & falsò & arroganter dictum existimo, cùm non nulli producantur quos ecclesia ueneratur ut sanctos, ut ego in proprio citaui tractatu, quãquam iniuria ipse falsarios uocet, qui hos producunt, sed demus hoc pietati Caietani qui æmulatur pro sanctis, non fuerunt sancti qui hanc opinionem defenderunt, catholicos tamen fuisse nemo negat, nonne ergo magna in hoc probabilitas constituitur cum tanta numerositas allegatur, imò tãtò maior probabilitas quantò nisi rationes urgentes & manifestas uidissent, aut nisi spiritus Dei illos illuc impulisset, profectò nunquam in eam sententiam conuenissent, quæ aduersaretur opinioni sanctorum, nisi forsan etiam impietatis nomine eos uelit arguere, quod esset arrogantis atque schismatici. Adiecit quòd etiam fuerunt recentiores, nam antiqui contrà senserunt, ut etiam hoc demus illi, certum est tamen quòd multa nostris temporibus circa res Dei sunt clariora nobis, quàm fuerint antiquis, ut res ipsa testatur. Nam multa paulatim cognouit & determinauit ecclesia, quod & Thomas testatur, quæ olim in dubio erant. Tertiò eandem probabilitatem infirmat, quia Scotus timuit (ut ait) hãc opinionem asserere, qui tamen fuit inter primos, qui hanc opinionem introduxere. Sed illud hic cogitandum quamobrem timuerit Scotus, profectò non ob aliã causam

Nota.

ſam, niſi quia tunc cōmunis opinio erat in contrarium; tanquam hæc aduerſaretur ſcripturis. Sapienter ergo tunc fecit Scotus, quoniam eccleſia nondum fecerat ſua autoritate ſecuros qui huic ſententiæ hærerent. Quare dixit, Si autoritati eccleſiæ uel ſcripturæ non repugnet, uidetur probabile quòd eſt excellentius Mariæ attribuere. At nūc iam conſtat quòd neutri repugnat nec ſcripturæ nec eccleſiæ, ut ipſemet Caietanus faſſus eſt. Ergo cauſa timoris ceſſante, timor ipſe quoque ceſſare debet. Nō eſt ergo modica probabilitas tātus doctorū cōcurſus, & tam diuturnus, & qui ſemper creuit in dies.

Secundam probabilitatis cauſam quā affert à reuelationibus, quæ iam ab initio uſque ad hanc diem ſeruis & ancillis Chriſti demiſſæ cœlitus proferuntur, & nominatim B. Birgittæ, his uerbis eneruare conatur; quod ſanctæ Birgittæ è regione opponitur ſancta Catharina de Senis, quæ dicit ſibi reuelatū fuiſſe oppoſitū, & maiori fide digna uidetur ſancta Catharina quia canonizata eſt ſicut cæteri ſancti. Sancta uero Birgitta canonizata eſt tempore ſchiſmatis quo nullus habebatur certus & indubitatus papa, à Bonifacio in ſua obedietia nouo. Hæc ille. Et de nouis reuelationibus ſic ait, Nouæ autem reuelationes contra tot ſanctos & antiquos doctores, angelum Satanæ in angelum lucis transformatum, aut phantaſias uel etiam figmenta ſapientibus ingerere uidentur. Hæ ſiquidē reuelationes cū uocatis miraculis quæ in hac cauſa afferuntur pro mulierculis non pro ſancta ſunt ſynodo. Vnde nec cenſeo digna de quibus uerba fiant. Hæc ille. Itaque & reuelationi-

tionibus adiuncta miracula in hac parte palã contemnit (ut uidemus) solum nitens illa sua, quam mordicus hic tenet, & nuda doctorum autoritate contra cœlum & terram, quasi non sit poßibile eos & si tot essent, quot ipsi falsò numerant errasse, cùm ipse tamen, contrà mul to plures incomparabiliter, & sæpius & in multis di sputauerit & concluserit. At quantò *cautius ac pruden tius beatus* Bonauẽtura, *qui cùm opponerẽtur sibi olim reuelationes sic respondit*, Non *audeo reprehendere so lennitatem conceptionis. quia ut quidam dicunt non cœ pit humana inuentione, sed diuina reuelatione celebra ri, quod si uerum est, sine dubio bonum est solennizare in eius conceptione. Sed quia hoc autenticum non est, nõ compellimur credere, quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare.* Hæc ille. De *beata ue rò* Birgitta *quis pius ferat, etiam in dubium reuocari ca nonizationem eius, quæ in tanto concilio fuit agitata ac pertractata & tam fœliciter conclusa? Verum, inquit, quòd hoc fuit à* Bonifacio nono *qui tunc erat du bius* Pontifex. At *ecclesia ipsa postmodo recepit, & nunquam fuit res controuersa, & ut penitus occlu deretur os aduersantium,* Martinus Papa *eam post modo canonizationem probauit, & Pontificia au toritate solenniter confirmauit & sub indignatione* Dei, *&* apostolorum Petri *&* Pauli *recipi iußit, sed iam nihil timentur ista, quia ignorant potestatem* Dei *datam hominibus.*

Defensio ca nonizationis B. *Birgittæ.*

Q*Vod uerò adiecit quòd beata Catharina dixit sibi reuelatum fuisse oppositum, nullibi pror-*

sus

ſus probatur, nec beatus Raymundus, *nec beatus* Stephanus *de Senis, nec alius quiſquam omnium, qui uitam eius & reuelationes quàm diligentiſsimè collegerunt, hac de re ullum penitus uerbum reliquerunt, nec ipſa in epiſtolis aut in* Dialogo *hoc conteſtata eſt uſquam, niſi quòd in una orationum ſuarum, & in calce quidem, non tanquam ex reuelatione accipiens, ſed ut ipſa loquens ad* Deum, *eam opinionem probat, ſi modò ipſa fuit, & non potius aliquis zelator (quod res ipſa pdicat) emblema illud appoſuit de ſuo, nam manifeſtè apparet emblema, & aſſutus ibi alterius coloris pannus, nimirum ut haberent quod tunc beatæ* Birgittæ *reuelationi opponerent.* Dominus *parcat ei quicunque fuerit.* Nam *& ratio quam ibi ſubnectit facilè indicat emblema quæ non poteſt ex reuelatione deſcendere.* Certè *ſi uirgo illa id habuiſſet in reuelationibus, non fuiſſet omiſſum ab ijs qui omnem eius uitam, uel ſuſpirium eius minimum collegerunt.* Sed *ex zelo & contentione ſemper undique proceſſum eſt, quam rem* Deus *ſeueriſsimè uindicabit, & iam multi dignas luerunt pœnas.* Miracula *etiam multa huius rei gratia facta eſſe ego quidem non dubito, uæ mihi ſi dubitarem.* Sed *ſunt etiam plura in multis locis memoriæ prodita, ut audiui, ac ſeruata, & ut ferunt in uniuerſitate* Parrhiſiorum, *& ego nonnullos fide dignos noui, qui in hoc nomine immaculatæ cōceptiōis ſanitates & gratias admirabiles receperūt: quæ licet alij credere nō teneātur, temerè tū hæc deſpicere & irridere, nec exiſtimo eſſe prudentiæ nec pieta*

tis Christianæ. Obsecro meminerimus dominum corripuisse discipulos, qui non crediderunt etiam mulieribus quæ uiderant eum resurrexisse quæ primæ meruerunt illum uidere, ut instrueret nos ad edomandam superbiam nostram, quod & fœminarum sunt reuelationes cœlestes. Nã & Philippi filias legimus prophetissas, & Ioel non ab re dixit, Et prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Ergo in omnibus seruandus est modus, ut nec irreligiosè, aut temerè despiciamus quæ nescimus, nec leuiter fidem habeamus nouis reuelationibus, sicut fecere semper prudentes homines. Qua in re fateor me aliquãdo mea simplicitate animi, cum pluribus tamen, errasse, sed per Dei gratiam errorem compertum emendasse. Et uidi quòd qui uerus est amator ueritatis non diutius, aut saltem non perniciosè, decipitur, sed potius non decipitur, si purus fuerit ueritatis amator nec ullo teneatur carnis affectu, tunc erit aptus probare spiritus utrum ex Deo sunt.

Contra tertiam probabilitatem, quæ ex Basiliensis concilij determinatione ab eo inducitur, desiderassem etiã ipsum nõ tanta autoritate ac tã effusè fuisse locutũ, quoniã nec ipsa Ro. eccles. tãdẽ adeo illud cõciliũ improbauit, licet quędã acta tãtũ, nec in hac parte dãnauit illud, licet nõ ut autẽticũ habuerit. Sed sunt aliquæ prouinciæ que illud in hoc admittũt & probãt, etiã tolerãte Ro. ecclesia, in quarũ iniuriã profectò hoc dicitur, quòd fuerit schismaticũ & synagoga Satanæ, ut iste dicit quòd & cõparat cõcilio Pisano, cũ tamẽ Pisanũ illud semper et uerè fuerit schismaticũ, quia cõgregatũ cõ

tra

contra autoritatē papæ, nō sic autē Basiliēse quod papæ autoritate institutū & inchoatū fuit: deinde semper illud Pisanū à Ro. sede fuit reprobatū per omnia, nō sic autē Basiliēse cuius gesta sunt etiā cōfirmata. Nā Eugenius. 4. honorificè de eo locutus est tū in inceptione, tum in prosecutiōe illius, cuius etiā gesta uenerabiliter se suscipere dixit, & pluribus suis bullis cōmēdat. Nicolaus etiā. 5. lōgißima epistola eiusdē cōcilij acta cōfirmat. Nā & hæc determinatio quæ ibi facta fuit pro immaculata dominæ cōceptione, dicitur Romæ in bulla plūbea adhuc asseruari. Prudentius ergo fecisset si à tam horribilibus uerbis in illud conciliū se abstinuisset. Quòd & si quid per errorem egit circa pontificis depositionem, illud cōperta ueritate postmodo emendauit. Quòd uerò affert concilium Florentinum sub Eugenio. 4. quasi contradicēs determinationi Basil. cōcilij in hoc, multū abest à ueritate. Ibi enim legūtur hæc uerba firmiter credit, profitetur & docet sacrosancta Ro. ecclesia, neminē unquā ex uiro fœminaq; cōceptū à Diaboli dominatu fuisse liberatū, nisi per fidē mediatoris dei & hominū Iesu Christi domini nostri, qui sine peccato cōceptus, natus & mortuus humani generis peccata delendo solus sua morte prostrauit, & regni cœlestis introitū, quod primus homo peccato proprio cū omni sua succeßione perdiderat, reserauit. Hæc est illius synodi uerißima profeßio & doctrina: Caietanus autem ait, quod ea idcirco induxit, ut appareat quòd illo tempore quo res erat in quæstione, uniuersalis ecclesia solum Christum excepit ab originali peccato, quod non erat dicendum, si beata

quoq; uirgo excipienda esset. Hæc ille. Et nos contra dici mus quòd illa uerba si solum Christum excipiunt ab originali peccato manifestam sapientibus intelligentiã porrigunt, quòd in eo sensu debeant intelligi, quem sæpius ob istam importunitatẽ repetiuimus, uidelicet quòd ille solus ex se & suæ conditione naturæ ab originali immunis fuit, unde Papa & Synodus in eo loco sapienter ostẽderunt nolle decidere quæstionem de conceptione .B. Virginis, quia spiritussanctus uidebat nondum esse tempus aptum. Sed solum uoluerũt id manifestare ad quod peruentum erat in notitia fidei, & quod necessarium erat tenere, uidelicet, Christum solum hoc iure suo habuisse. De B. autem Virgine siluerunt rem, dimittentes sub dubio. Alioqui si uoluisset improbare Synodus illa determinationem Basilien. concilij, & rem oppositam statuere proculdubio mentionem fecisset de. B. Virgine & de Synodo illa, quod contra Rom. Ecclesiæ fidem determinasset, quorum neutrum prudentißimè fecit, quia non erat hæc Spiritussancti mens reprobare, quæ uera esse pernorat. Quod autem hoc ipsamet uerba sanctæ illius synodi clare porrigant, aduertendum est diligenter ad illa, quoniã primo dicit Synodus illis uerbis quòd omnes liberentur ab eo peccato per fidem mediatoris, Nota. *quod sanè concedimus, & in B. Virgine, quoniam sanctificata est ex fide, nunquam sine illa existens, & sic liberata est à peccato illo, eo modo quem diximus, uideli cet ne illud de facto contraheret: Nam hæc summa & singularis liberatio, digna matre Dei à filio suo. Hactenus igitur nihil contra nos: deinde dicit de Iesu Christo,*

quòd

quòd ipse cõceptus natus et mortuus sine peccato, solus omniũ sua morte peccata deleuit. Quod & gratis fatemur: nõ enim dicit, Solus ipse cõceptus sine peccato, sed quod solus sua morte prostrauit peccatũ. Quod si uolumus referre ly Solus etiã ad ly cõceptus profectò extortè nimis, & claudis tibijs procederet ille textus, nisi ad omnes particulas illas copula cõiunctas etiam referretur, ut dicatur iuxta filum literæ quòd ipse solus cõceptus & natus & mortuus fuit sine peccato, quod tamen etiã uerum est & ut uerum libenter amplectimur, quoniã ipse Christus reuera in omni tempore ac statu, ut ita dicam, id est, & conceptionis & natiuitatis & uitæ & mortis solus inuentus est ex seipso & sui natura à peccati debito alienus, & ideo etiã in morte ipse singulariter dicitur inter mortuos liber in scripturis. Nam alij Psalmus 93. quicunq; extra illum, per illum potius liberati dicuntur, ac per hoc & multi de facto liberi inuenti sunt in morte non ex se sed per eius gratiã, sicut in primis dignißima mater eius, ut par est credere, & multi sancti qui post eius mortem nullo inferni uinculo detenti sunt, quantũ tamen ad animam pertinet, licet corpus in terris reliquerint adhuc obnoxium inferis. Sed Beata Virgo sola ex toto liberata fuit, ut iam piè recepit & credit & ueneratur omnis Ecclesia Christianorum. Et hæc uera est Spiritussancti intelligentia & Synodi, circa illa uerba. Alioqui (quod est ridiculum) iam haberemus determinatam ab Ecclesia Roma. quæstionem hanc pro parte opposita ipsi officio cõceptionis: quòd tamen ipsamet recepit & cõmendauit & honorat iugiter iam. 70.

sunt anni cum reliquis ecclesijs. Adde quod est etiam cō tra declarationem ipsius Ecclesiæ manifestam in decretali, Graue nimis, quæ palam dicit non esse rem hanc decisam aduersus ullam ex partibus, quanquam cui parti faueat satis indicet. At aliud est fauere & amplecti, aliud tanquam ad fidem pertinens determinare, Sed superfluum est contra positionem tam manifestè falsam latius disserere. Ipse enim Caietanus & aliud sciuit & aliud docuit quàm manifestissimè, cum neutram contradictionis partem attinere ad fidem palam declarauerit. At quod firmiter credit Ecclesia ut dicitur in Synodo illa, quam citat ad fidem proculdubio attinet. Itaq; sic docere modo unum modo aliud, & non constanter in eodem loco loqui, iam non est docere sed ludere: igitur de hoc hactenus iam.

Nota inconstantiam.

Q*Vartam probabilitatem adiecit & excludit his uerbis, Ecclesiasticus affertur cultus, quòd iam per omnes ferè Ecclesias latinas festum conceptionis non sanctificationis celebratur; insinuādo per hoc, quòd non sanctificata est à peccato originali, sed cō cepta est sine illo. Sed & hæc probabilitas dupliciter deficit. Primo quia multæ Ecclesiæ sunt per orbem diffusæ celebrantes in illo die sanctificationem, non conceptionem, & in hoc Ecclesia unumquenq; in suo sensu abundare permittit. Secūdo quia constat quòd à quibuscūq; catholicis celebratur hoc festum, celebratur ratiōe sanctificationis B. Virginis in utero matris, siue illa sanctificatio fuerit præueniens, & quasi præoccupans peccati originalis actualem incursum, ut opinio ista dicit, siue*

fuerit

fuerit mundans ab originali peccato, iam contracto, ut altera dicit opinio. Quocirca omnes conueniunt in sanctificatione B. Virginis, & quòd fuit in utero, & quòd est ratio celebritatis, iuxta illud. Tu solus sanctus Mariam sanctificans, licet differant in effectu sanctificationis an scilicet præseruauerit à macula, & propterea rationabiliter ab omnibus deberet celebrari dies cõceptionis sub nomine sanctificationis ut nomen cõsonaret rei. Hæc ille: quæ facile possent nouitios decipere, qui nõ profundè admodũ cogitant. Sed nos rem enudabimus cum Dei gratia, ut appareāt manifestè radices fallaciarum. Primò ipse circa cultum Ecclesiasticum opponit Ecclesias multas per orbem terrarum, quæ isto die celebrant sanctificationem non conceptionem, sed non citat ex nomine ullas ex his multis. Fortè intendit per Ecclesias, ordinem nostrum sic diffusum per orbem terrarum: Sed ordo noster præter id quòd non facit Ecclesias, sed est sub Ecclesia una & prima, etiam in hoc diuisus est, Deo & B. Virgine sic disponente, & Patriarcha nostro Dominico (ut non dubito) procurante ut iam pro maiori parte (ni fallor) celebret sub eo titulo conceptionis, & probabile est, quòd & circa hoc fermentabitur totus, ne schisma maneat etiam inter nos, nam paulatim multi adhærent huic celebritati, & qui non celebrabant, celebrare iam cœperunt, etiam aliorum ordinum religiosi, clare sentientes pondus Spiritus, quod in hanc partem uehemẽter inclinat. Nam hæc sapientia Dei est, quæ licet à fine ad finẽ attingat fortiter, disponit tamẽ omnia suauiter. Quo in loco etiam non solum deputandus est Sap. 8.

numerus

numerus Ecclesiarum (secundum quam dispectionem, quæ conceptionem celebrant, penè incomparabiliter ex= cedunt numerum earum quæ diuersum ritum obseruant si modo ulla sit ecclesia iam quæ aliter celebret, quod nō existimo) uerum etiam ipsarum ecclesiarum dignitas & maiestas consideranda est ut. B. Augu, *admonet in libro de doct.* Chrīst. *Et certe cultus nostri ordinis, ni uelimus nobis arrogare quod non est nostrum, non potest dici cultus alicuius particularis ecclesiæ, puta,* Florētinæ *aut senensis aut cuiusuis alterius. sumus enim exempti à par ticularium ecclesiarum episcopis, & habemus pōtificē summum pastorem nostrum cui immediate noster ordo subijcitur.* Itaq; *in hoc deberemus (dent quæso honorem ueritati qui offenduntur hoc uerbo) deberemus inquam in hoc, eundem sequi ritum, quem ipse instituit solenni= ter ac monstrauit. hoc enim* Bernardus, *hoc* Thomas *no ster, hoc deniq; sancti & pij omnes & docuerunt & ob seruarunt, hoc ipsorum pontificum decreta admonent, hoc deniq; illa sedes quam spiritussanctus proculdubio regit in his. suo iure postulat.* At *inquies, permittitur hic nobis abūdare in sensu nostro.* Video *& laudo ma= tris pietatem, quæ noluit hactenus cogere nos, propter pacis bonum, uerum enimuero uellet spiritus eius & uehementer cuperet, ut omnes idipsum & sentiremus & obseruaremus.* Nam *diu certe, ac nimis diu fruiti su= mus sensu nostro, & cum honore res nostra iam defer= tur in sepulturam.* Ecce *dixi quod ex uisceribus charita= tis coactus sum eloqui.* Dominus *deus det omnibus sa= pere secundum benignam uolūtatem suam.* Amen. Itaq;

hactenus

hactenus concludo iam nullas esse ecclesias quæ non celebrent de cōceptione. Quanquam si nō esset alia quàm Romana quæ id faceret, maximam probabilitatē tamen hæc sola constitueret, cui nunquam se opponerent uiri sancti & bene sapientes, quoniam compertum est quòd quicunq; illi se opposuerunt in his, confusi sunt, quod cū multa exempla quàm latißimè probent, duo certe illustriora sunt: alterum, uidelicet, celebritas paschæ, cōtra quam etiam clarißimi nominis uiros contendisse, etiam autoritate sanctorum fretos memoriæ proditum est ut superius commemoraui, Alterum uerò iteratio baptismi ab hæreticis collati. In qua re & Cyprianus tantus Episcopus, & tam magnus doctor, & Agripinus, & alij nonnulli spectatæ famæ antistites errauerūt in sensu suo abundare uolentes, eo quòd matricem ecclesiam non (ut debebant) cōsiderarunt, utpote non adhuc plene instructi à spiritu. Quocirca, B. Augustinus in hoc se illis opponens non alio maiore argumento eorum autoritatem fregit, quàm à ritu ecclesiæ huius sanctæ, in qua deus posuit spiritū suum. Nam audi quæso ipsum suis uerbis id personantem, dum Cypriani autoritatē sibi ab hæreticis obiectam uult reddere improbabilem. sic enim ait. Ego uiri huius laudem assequi non ualeo, eius multis literis scripta mea nō comparo, eius ingenium diligo, eius laude delector, eius charitatdm miror, eius martyrium ueneror, hoc quod aliter sapuit non accipio, quia ecclesia non accipit pro qua sanguinem fudit. Hæc ille. At uero nūquid nō & ipse. B. Thomæ ait, morē ecclesiæ preualere autoritati doctorū, ut dicat q, aduersus illā nec

Nota.

Nota.

Thom .2.2. q.10.art. 12. nec Augustinus nec Hieronymus suas opiniones defini-dant, certè sic palam docet etiam ubi minus Ecclesia suũ sensum ostendit, hæc autem Thomæ uerba præclarissima sunt. Dicendum quòd maximam habet autoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ est in omnibus æmulãda, quia ipsa doctrina Catholicorum doctorum ab Ecclesia autoritatem habet, unde magis standum est autoritati Ecclesiæ quã autoritati Augustini uel Hieronymi uel cuiuscunq; doctoris. Hoc autẽ Ecclesiæ usus nũquam habuit: quòd Iudæorum filij inuitis parentibus baptizarentur &c. ubi uide mirabile ex hoc doctore, quòd etiam ubi Ecclesia nihil dicit, eius tamen autoritatem accipit, ut illud fieri non conueniat quod ipsa non facit, quanto ergo magis ubi quid ipsa seruat & seruandum tradit, & commendat, deberemus illud amplecti, ob eius maximã & excellentissimam autoritatem? Quin & ipse Caietanus autoritatem Ecclesiarum, quã magnifaciat in alijs locis etiam contra Thomam nõ obscure docuit. Ab ipso enim. D. Thoma hoc didicerat, Eius autem uerba hæc

Caietanus Super. 3. q. 74. art. 3. sunt, cum enim doctorum opiniones citasset circa materiam sacramenti Eucharistiæ, sic ait. Tertium demum fundamentum quod magnifacit Petrus de palu. est autoritas quarundam Ecclesiarum. Et paulopost, non obstante doctrina. B. Thomæ sic ipse concludit. Ad quæ

Nota uerba Caiet. quidem fundamenta si liberè respexerimus nullam cogentem inuenientur habere rationem, nisi hoc ultimum propter autoritatem spiritussancti gubernantis Ecclesiam. Nam ob similes particulares consuetudines uenerabiliter sustinent Theologi plures sacerdotes consecra

re eandem

re eandem hostiam. Hæc ille: ubi uides quantum arrogat & merito, Ecclesiarū ritibus, ut ijs postponat quaslibet autoritates doctorum, quas in hac sola quæstione, tam adeo magnificat, ut uelit nos opprimere atq; obruere, quod tamen si & alibi faceret, & ipse seruasset, non nihil momenti haberent uerba sua, quanquam cum bona eius manium quiete dictum uelim, putamus apud nos & quàm maximè saluam esse ac sartam tectam, & uolumus; & pro uirili nostra absq; ulla hypocrisi curamus ipsam sanctorū autoritatem. Quod uerò secundò nititur persuadere, quòd celebritas quæ est sub titulo sanctificationis rationabilior est, quàm quæ sub titulo conceptionis, falsum fundamentum habet. Hoc enim uerum esset, si Ecclesia haberet quæstionem hanc quasi dubiam sibi, & sic existente dubia illi, tamen accepisset partem quæstionis celebrandam ut claram, sic enim irrationabiliter fecisset, quoniam res dubia minimè celebranda est, quoniam in cultu uerba assertionis sunt. Pontifex ergo quando recepit officium hoc & celebrationem conceptionis, planè declarat, quam conceptionem celebrare intēdat, & indulgentius honorare, nimirum immaculatam conceptionem, per præseruationem specialem quod non attendit Caietanus uel noluit attendere quia hoc uiuum tāgebat. Aliud uero est si ausint etiā reprehendere Pontificem, quod & nonnulli audent eò quòd partem dubiam, ac minus etiam probabilem, & ut impiè iactant quidam etiam hæreticam, celebrandam Nota. esse præsumpserit, ac similiter arguant omnes alias Ecclesias quæ in hoc Romanam secutæ sunt, quod certè

non

non est aliud quàn simul tacitè etiam ipsum spiritum sanctum arguere, quòd non astiterit iuxta promissum Christi, ecclesiæ suæ, quam in huiusmodi, quam passus est in cultu Dei tam clarè decernentem tam perniciose errare, ut diceret sanctum & immaculatũ, quod erat immundum, & ita blasphemaret, ut id quod erat Christi proprium, ut ipsi uolunt, tribueret creaturæ, & per rem falsam & hæreticam obsecraret omnipotentem, cũ tam confidenter orando dicat ad patrem, Deus qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum filio tuo habitaculum præparasti, præsta quæsumus, ut sicut eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te uenire concedas. Hæc ecclesia dicit orans ad patrem, quòd si mendaciter & hæreticè dicit, iam non tam est oratio, quàm dira imprecatio, ac blasphemia: si enim sic petimus peruenire mundi ad ipsum, sicut illa præseruata fuit ab omni labe, si uerè non fuit præseruata iam non munditiam nobis rogamus, sed immunditiam. Hoc igitur ego tam insigne mendacium & hæresim in qua tanta execratio, & in cultu Dei, & in oratione, quam ferimus ad ipsum Deum, ueritatem summam, in ecclesia esse, & ab ecclesia, quæ in ijs regitur à Spiritu sancto esse putabo? Et per eorum autoritatem id putabo, quos planè noui (parcant quæso, uerbo ueritatis) duci sectarum & factionis affectu? qui nec inter seipsos constant tam sibi inuicem aduersantes quàm ueritati? Absit. Alioqui ubi erit uerbum Bernardi, ego quod ab illa (uidelicet ecclesia) accepi securus, & doceo & trado? Nam quæ securitas ubi tantus error, tamq́; perniciosum

nitiosum mẽdacium? Siquidẽ in cultu dei omne mẽdaciũ perniciosum est, quoniã in cultu hoc protestatio nostræ fidei est, ut Thomas eleganter docet ex Augustini doctri na. Quam rem alibi satis super q; satis puto me demonstrasse. ut enim. s. pontifex in Pelagianos aiebat, Quis ferat ad Deum orantem mentiri? superest igitur ut non solum probabilitas, sed maxima probabilitas ecclesiarũ educatur ab usu ac præsertim Ro. ecclesiæ super omnem quoq; probabilitatẽ, quæ à sanctorum opiniõibus educi poßet, teste ipso Thoma & omnibus sanctis imò & ipsomet Caietano. Sed dicet quis, Ergo nos qui celebramus sanctificationes, erramus. Respõdeo, an erres tu nescio. hoc uero scio, quòd ipsa celebratio sub hoc titulo nõ est erronea, nõ enim toleraretur ab ecclesia si talis esset, et animaduerteret, licet quidã imperite aliter putent, neq; est opposita reuelationi nostræ. Nã & si ecclesia toleret uarios ritus in diuersis ecclesijs uel ordinibus nõ tamen cõtrarios, & in præiudiciũ ueritatis, ut docet ipse Thomas, nõ ergo falsum quid habet titulus sanctificatiois, cũ uerißimè fuerit illa uirgo sanctificata, & tanto meliore sanctificatione quanto alienior à peccato illa fuit: unde & scriptura eximiè de illa loquitur dicens. Sanctificauit tabernaculum suum altißimus. Et sic ecclesia sancta similiter eximiè hoc adiecit im hymno angelico Mariam sanctificans, uerum quia sanctificatio non omnino exprimit hoc beneficiũ præseruationis à macula, quod tamẽ uolebat ecclesia, idcirco spũ sancto inspirata ut solet in his quæ expreßius uult celebrare, ut rẽ clarius ostẽderet, cõceptiõis titulo hoc expreßit, sciẽs ut recte bern.

Tho. 2. 2. q. 93. art. 1. uide illum.

Nota.

ait & Thomas. quòd non debet quicquam celebrari nõ sanctum: non est ergo contraria celebritas sanctificationis celebritati conceptionis, sed nõ tã explicitè indicat hoc priuilegium, cùm & Ioannes sanctificatus fuerit in utero. Itaque hæc celebratio quæ sub titulo sanctificationis celebratur, relicta est illis qui adhuc non explicitam habent hanc fidem de præseruatione, sed adhuc sub nube sunt formidantes & timentes ubi non est timor, sed interim ex benignitate tolerantur, ut sæpius dictum est. Verum non illi excusantur qui tantum audēt ut etiam dicant hanc sententiam hæreticam. Et cùm ita sit, in maximam omnium ecclesiarum iniuriam nullus est qui tantam insolentiam reprimat, aut animaduertat, tantus obrepsit sopor nunc in ecclesiæ proceres circa ea quæ sunt Christi Iesu & suæ quoque ipsorum maiestatis quæ est à Deo ut iã quilibet fraterculus circa ea quæ fidei sunt, prædicet ut libet, scribat ut libet, imò etiam sanciat ac determinet ut libet, nihil minus quàm ecclesiam reuerentes. Ecce dixi quod est uerißimum, & quo angor maximè. Si ergo tempus est iam eos à somno isto tã profundo surgere, ecce excito uoce mea, ut possum.

ALiã probabilitatẽ ꝓ nobis afferẽs ac simul repellẽs pronũciat his uerbis. Quòd hæc opinio iã sit facta communis, ita ut omnes ferè catholici Latinæ ecclesiæ arbitrentur se obsequium præstare Deo in huiusmodi sequela opinionis, ex eo reddit opinionem probabilem, quia probabile est quod multis uidetur. Sed probabilitas hæc uulgarem autoritatem non excedit, & eidem contraponitur, quod probabile in ueritate est, quod ui-

detur sapientibus, qui ut patet ex supradictis contrariã sunt secuti opinionem. Vulgus autem probabile in apparentia constituit. Hæc ille. Quo in loco primum uehementer admiratus sum iudicium hominis, quòd uulgi nomine, traducat totam ecclesiam, ita ut non sint ulterius sapientes in ea, nisi qui sectantur aliam opinionem, ac sic pro nihilo habeat tot uiros summos qui à ducentis circiter annis ad hanc ætatem partim uiguere, ac partim uigent, quorum magna pars hanc sententiam, non iam ut opinionem sunt secuti, uerum etiã suis scriptis ut firmißimam ueritatem comprobauerunt, & in hæreticos disputantes qui oppositam opinionem prædicant, ut episcopus Roffensis in Lutherum, cuius laus in ore omnium uersatur in uniuersa ecclesia, ut etiam Albertus Pius Carpensis in Erasmum uir literarum insignis & theologus non uulgaris. Mitto alios qui etiam hoc nomine eorum impietatem redarguerunt. Nec tamen sic spernendum erat uulgus catholicorum, qui tanto quasi impetu in hoc feruntur obsequium, quoniam ubi est fides & spiritus & nulla apparet illecebra carnis, ut ad hoc propterea moueatur, non erat putandum nisi boni spiritus impulsu id fieri, ut fere omnes quasi unus uideãtur sapere, ac in eam sententiam concurrere. Nam qui seipsos iudicant sapientes & extollunt præ uulgo, aut potius quicquid est reliquũ præter seipsos uulgus censent & peccatores, merito in illud incidũt, ut ipsi maximè desipiãt & elõgẽtur à ueritate, nã tales erãt qui dicebãt. Nũquid ex principibus aliquis credit in eum aut ex Pharisæis? Turba hæc quæ nõ nouit legẽ maledicti sunt.

Quòd si opponat nō uulgo sed promiscuè sapiētibus & insipiētibus nostri seculi, doctores illos ātiquiores, quos sapiētes uocat iā semper unā & eādē nobis ingerit cātilenā, quæ iā facta est absurda & friget. Nā illā iā superius multis de causis imbecillē mōstrauimus & imbellē, ac propterea iā ut merito explosam relinquimus. Aug. enim in Donatistas in hoc solo innitētes dixit signū esse causæ à ueritatis neruo destitutæ quæ solum modo in hominū autoritate innititur. Itaque & hæc probabilitas, uidelicet quòd iā hæc opinio facta sit communis & fere omniū sententia catholicorū, quæ nō à uulgo tātū colligitur sed à sapiētibus, qui nō sectis ullis addicti sunt ordinū profectò & magna est & firmißima manet, & tāto firmior quāto probabilißimum est, ut diximus, quòd sine causa magna à ueterū doctrina non receßisset.

Reijcit & aliā probabilitatē, quæ de scādalo & offensiōe piorū auriū affertur, ac simul aliā quòd à multis uniuersitati. theologorū etiā, probata sit hæc sententia, cōtra quā ipsi soli militāt, id est, pars unius ordinis. Ait enim uerso ordine respōdēs, primū quòd uiuersitates cōtra tot sanctorū & cōem priscorū doctrinā, in his quæ sūt fidei præsūptuosæ sunt, ubi uide lector obsecro quā insolēter iste hō determinat primò enim quasi clarū nobis ꝓponit quòd hæc sentētia nostra sit cōtra sanctorū & priscorū cōem doctrinā, quòd quàm ꝓbauerit ipse, iā uidimus. Certè nullus priscorū hāc quæstionē ex proposito tractauit. Si priscos intelligamus ut oporteret, Hieronymū, Aug. & qui circa tēpora illa uiguerūt, uel ante uel post usque ad scholasticos, quoniā nō erat

pate

patefacta sentẽtia haec tũc, et eorũ sentẽtiae quae de pctõ orig. q̃ in oẽs ptrãsierit proferebãtur ex eorũ etiã mẽte uelint nolint aduersarij, sic proferebãtur ut rei naturã mõstrarẽt, nõ etiã gratiã Christi praecluderẽt ut particulariter de Aug. fassus est, uel ipse Caiet. quod planè prospeximus: quã doctrinã qui nõ cõfitetur, ex nũc audebo & ego in zelo meo, eos uel maximè cerulcosos uel incredibiliter stupidos post tãtã declarationẽ, tã euinctã, tam clarã, meo periculo pronũciare. Quin etiã illud assero quòd bene scrutãtibus Aug. sentẽtias, ipse in Pelagiũ disputãs hoc priuilegiũ tribuit. B. uirgini, ut superius obtinuisse me puto apud nõ proteruos. Sũt & Hieronymi quaedã sentẽtiae in hoc maximè inclinãtes. Sũt & Ansel. & aliorũ pluriũ, quos in alio tractatu perstrinxi. Itaq; primò cõsentimus in dicto quouis modo, quòd haec sententia sit cõtra cõem priscorũ sanctorũ doctrinã. De scolasticis uerò uetustioribus fateor ab initio id uerũ fuisse, sed paulatim cõuersam esse cãm, quoniam nõ multò post fere oẽs, nisi quos manifestus affectus cohibuit, discessere ab ea cõi ueterũ scholasticorũ sentẽtia, quae res iã manifestior est, quàm ut egeat indicari. Scitur enim quã diu ex cõtẽtiõe pugnatũ sit, & iã olim extincta fuisset aliorũ opinio nisi ex factiõe sustineretur. Quas ob cãs cõtumeliosum uisũ est mihi tãtas uniuersitates eo nomine, uidelicet praesumptiõis notare, praesertim q̃ id faciũt eccl. Ro. sciẽte ac permittẽte, cuius esset offensio, si qua esset, sed minimè offenditur, quoniã & in hac earũ determĩatiõe id asserũt quod ipsa recepit et ꝓbat. Et quãquã nõ est uniuersitatũ ea q̃ sunt fidei determĩare, tñ id locũ

habet cum in ambiguo adhuc manet res, Cum uerò iam & miraculis claruit, & reuelationibus manifesta est, & ipsa pietate clamante, communi penè omnium consensu, præter eos quos diximus, confirmata est, id certè possunt, ad remouenda scandala in populis quæ (re manente controuersa) feruntur, quod apparet in locis ubi non dum est determinata. Sic & antiqui Episcopi congregabantur, quùm quid huiusmodi contentionis exoriebatur in populis, & quod eis sanum uidebatur & fidei cōsentaneum declarabant: quibus cessantibus in eorum locū prouidit Deus uniuersitates has. Sic enim & Apocalypsim Ioannis probauerunt Synodi quædam, & alia multa in Arianos, Pelagianos & uarios hæreticos absq; summi Pontificis autoritatę sanxerunt non ut haberent omnimodam uim ad cogendum consensum, sed magnum momentum, ad parandum illum. Nam certè nisi maior urgeat autoritas in eas pronunciationes & definitiões quas faciunt, qui sapientes putantur, omnes consentire deberemus. Sed audiamus quid respondeat ad scandalorum euentum. Scandalum hoc non actiuum sed paßiuū,

Nota.

insipientium est potius quàm piarum aurium, imò Pharisæorum conuincerentur esse declarata eis ueritate: ideo nihil ex hoc probabilitatis sortitur opinio hæc, nisi

Censura caietani.

apud ignorantes. Hæc ille. Quę cùm mecum considero & à quo spiritu efflata sint deputo, hinc dolore cōstringor, inde indignatione succendor. Cuius nam bone Deus censura hæc? cui reuelationes quæ circunferuntur à probis & pijs figmenta sunt aut Angeli Satanæ ludificationes etiam quas illa tamen Sancta Synodus Constantiē

sis

ſis probauit, ſanctæ fœminæ Birgittæ. Canonizatiões ſanctorum, quas uult ratas habet, quas uult ſuſpectas, nullas tamen, ut alibi docet omnino firmas: ſigna & miracula pro mulierculis cenſet eſſe ſeruanda, non pro ſancta Synodo, quaſi nec Deus ultra ualeat patrare miracula nec ſancta Synodus informari miraculis. Quicunq; aliter hac de re ſentiunt quàm ipſe doceat inſipidum uulgus ſunt, indocti omnes, Phariſæi omnes, ſi poſtquã tam mirifice declarauit ille nobis hãc ueritatem, ſcandalum adhuc patiantur, quãdo audiant. B. Virginem ſubdi peccato & diabolo & Iræ Dei. Vniuerſitates quoq; quæ aliter probauerunt indoctè & præſumptuoſe id egerunt. Eccleſiæ Dei quæ hanc celebrationem ſub nomine conceptionis receperunt, imò ipſa Ro. Eccleſia quæ illã tradit minimè ſapiens, minus prouida, & circunſpecta fuit. Nam huius iudicio, aptius erat ſub nomine ſanctificationis celebrare, ſcilicet, ut obſcuraretur hæc ueritas quam non probabat. Porrò pietas opinionis, quam nec ipſe (ui ipſa ueritatis coactus) negare ualuit, nihil tandẽ momenti habet. Quis ergo ſtabit coram tanto cenſore? Quis non terreatur à uerbis tantæ confidentiæ? Equidẽ ni ego ille eſſem qui rationum uim potius ac momenta conſidero, quàm quicquã mouear à tumore ſolo uerborum, fateor exterritus eſſem ac tantum ſpiritum nõ ſuſtinuiſſem. At cum uideo uacillum harundineum, quo fretus tantum audet potius animum ſumo quàm deprimor propter hæc. Sanctificat enim nobis ille autoritatẽ ſanctorum, quo etiam loco premeret, niſi partim falsò citaret, partim detorqueret ad uictoriam, & iniuria

Glossam illam ad eorum sententias non admitteret, quã ipsemet tamen in scripturis sanctis eleganter & docet & iure approbat. Deniq; colore aliquo saltẽ apud in doctum uulgus exigere posset, ut omnino succumberemus doctorum & sanctorum autoritati quam prædicat si hoc ipse primum præstitißet. Sed in quot articulis & in quantis, bone Deus, & quàm grauibus ipse recedit prorsus ab omnium & sanctorum & doctorũ sententijs & decretis etiam summorum Pontificum & cõstantißimo Ecclesiæ sanctæ usu & prædicatione, quod latius & paßim per nos annotatũ est. Sed audi nunc quæso uerba eius cõtra seipsum de pietate opiniõis nostræ, quam tamen mallem appellare fidem quàm opinionem: Sic enim scribit, Si dicatur quod pium est credere, quòd B. Virgini concedẽdum est quicquid gratiæ sub Christo tum conferri potuit, fateor quòd pia esset credulitas, nisi sanctorũ autoritates obstarent, quod Scotus timuit, sed minus docti non timent quia ad pauca respicientes de facili enunciant. Hæc ille. At uideamus quis est tandẽ qui tam facilè enunciet, & quis est qui respiciat ad pauca. Nũquid ipse bene respexit quod Scotus dixit? Non certè, cum eius uerba mutet siue non respiciens, & in calore disputationis, ut certè puto, siue forte non syncere, quod uolo credere. Non enim dixit Scotus, Nisi sanctorum autoritates obstarent ut Caietanus allegat, Sed dixit, Si autoritati Ecclesiæ uel autoritati scripturæ nõ repugnet, uidetur probabile quod excellentius est attribuere Mariæ. Hæc Scotus, ad uerbum timuit, ergo ab autoritate scripturæ Scotus & Ecclesiæ, ut par erat, quã autoritatem

ritatem isti potius contradicentes non curant. Nam sanctorum autoritates nunquid quæso uiolare potest quod pium uidetur omnibus? & quod ipsimet contradicentes fatentur uideri alioquin & esse pium? Vide quo ueritas ipsos impulit. Nonne hæc pietas ab ipsa sanctorum autoritate colligitur? Nempe sanctorum est hæc sententia & fidelis quidem & omni acceptione digna, quam protulit D. Anselmus, probauit Thomas, & alij penè omnes theologi usurparunt nec ullus reprehendere unquam ausus est, uidelicet. Beatæ uirgini quicquid gratiæ potest excogitari sub Christo, cōcedēdum esse. Cur igitur hāc nō cōcedunt quæ est & sub Christo & à Christo & Christi gloriam & gratiam eius magnificat in matre, ut sic è cōtrario eius animo merito magnificet illum? hem fateamur obsecro tandem fratres ueritatem, quam certè ni stupidi sitis probe sentitis, & semota omni sectarum affectione omnes dicamus idem, & diligamus & agnoscamus tandem quàm sit bonum & quàm iocundum tantæ matris filios conuenire in unum. Quod ille faciat quæso qui & ad hoc uenit ut filios dei in unum congregaret. cui gloriam & imperium cum matre suaq; in sæcula sæculorum Amen. Nota.

DE angelis quāquā multo plura putē annotatione digna in eius doctrina, pauca tamē hic & breuiter perstringā: primū, circa numerū Angelorū ipse putat ꝙ nō excedat oīm rerū naturaliū multitudinē. Et cōmētus est qd' Btūs dionysius q̄ dixit, multi sunt btī exercitus supnarū mētiū, īfirmā & cōstrictā excedētes nostrorū materialiū nūerorū cōmēsurationē, nō cōpauit āgelo.

numerum numero rerum naturalium, sed solum numero specierum. At certè rerum species tã paucæ numero sunt ut nimis inepta fuerit, si ad illas facta sit comparatio.

Tho.in. 1 q. 50. art. 3. Repugnat etiam hoc doctrinæ beati Thomæ qui ait rationabile est quòd substantiæ immateriales excedant secundùm multitudinem substantias materiales quasi incõparabiliter. Videmus enim quòd corpora incorruptibilia quæ sunt perfectiora inter corpora excedunt quasi incomparabiliter secundũ magnitudinem corpora corruptibilia. Hæc Tho. qui ut hoc sapienter factum esse à Deo suaderet, sumpserat hanc dignitatem tanquam meritò concedẽdam, uidelicet quòd cum perfectio uniuersi sit illud, quòd præcipuè Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata à Deo, Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem, ita in rebus

Dan. 7. incorporeis attẽdi põt secũdũ multitudinẽ: hæc Tho. Daniel quoq; innumerabilẽ multitudinẽ designaret, & innumero quãuis magno præciso tamẽ, ostẽderet innumerabiles illos spiritus, dixit milia miliũ ministrabãt ei. Sic et

Ad Heb. 1. Paul. per miriadas multas hũc innumerabilẽ numerũ uoluit indicare, Grego. itẽ. Quòd si quis hac de re uoluerit

Baruch. 3. mecũ cõtẽdere, & per arg, Caietani cõuincere, prædico sibi nũc, quòd ego nõ suscipiã, sed prouocabo ad ipsum cælũ ut suspiciamus quàm magna sit domus eius, & quã

2. Corin. 12. ingẽs locus possessiõis eius, aut saltẽ expectemus, & satagamus ut ibi simus, & beatis oculis ueritatẽ cõprobemus, Sed & hoc noluissem quod ipse Caietanus cælum empyreũ negasset esse, cõtra cõmunẽ doctorũ sentẽtiã.

Illud

ILlud tamen lõge minus placuit quod ipse scribit, Credideriim ego dæmones esse spiritus aëreos, & id consonare ueræ philosophiæ ratiõi, ut queãdmodũ inuenitur uegetatiuũ sine sensitiuo, & sensitiuũ sine secundũ locum motiuo. & intellectiuũ sine secundũ locum motiuo, ita inueniatur secundum locũ motiuũ sine sensitiuo; quod est ponere huiusmodi aereos spiritus constantes ex intellectiuo & secũdũ locũ motiuo: & est sermo de motu progreßiuo absque sensitiuo &c. Hæc ille. hæc aũt. Platonica opinio inter Origenis errores adnumeratur, & certè mirãdũ, quòd ex peripatetico tã repente in Platonicum euaserit Reuerendißimus. Quo in loco etiã illud uide quæso, quod ipse scripsit in tractatu de subiecto philosophiæ contra eos qui huiusmodi blatterabãt, quos & innaturales uocat: Ait enim, Non ex sacra scriptura nec ex theologis sanctis ab ecclesia approbatis traditum quòd angeli sic mouentur, ut motus continui subiectum sit: sed potius oppositum ut in theologia discussum à sanctis est: unde si Peripateticos arguendos censent glorietur ex Scotica officina hos errores deprehendere non ex theologia. Hæc ille. Quinetiam magis mirabile est argumẽtum, quia, ut inquit, inuenitur uegetatiuum sine sensitiuo, & sensitiuum sine intellectiuo, ita inueniri oporteat secundum locum motiuum sine sensitiuo: simili enim argumento probabiliter etiam sensitiuum sine uegetatiuo eße, quod est inopinabile. Quòd autem ait, intellectiuũ sine secundum locum motiuo inuenire in ordine animatorum (ut est sermo) falsißimum est. Non est ergo intellectiuum sine secũdum locum motiuo

Apud Paul. ad Ephes. 2. c.

Inconstantia doctrinæ.

tiuo, nec secundum locum motiuum sine sensitiuo, nec sensitiuum sine uegetatiuo. Sicut enim figuræ ita se habent hi gradus ut trigonum in tetragono, ut ait philosophus. non autem è conuerso. Ad *hæc si dæmones talia corpora sint, nunquid & angeli* Dei *tales erunt? si neget, ergo angeli boni alterius erunt naturæ quàm dæmones, quia spirituales substantiæ, dæmones autem corporeæ, quod facile potest etiam per scripturas reprobari.* Si *autem etiam angelos corporeos affirmet, inuenietur defectus in uniuerso: desiderabitur enim creatura spiritualis, quod certè sapientiam* Dei *sugillare uidetur.* Sic *enim beatus* Thomas *arguit.* Extra *controuersiam in scripturis semper uocantur spiritus, nunquam corpora.* Præterea *otiosum est ponere ut declarat beatus* Thomas *ex philosopho, formam ullam corporis in rerum natura quæ duntaxat sit propter motum, cùm semper melius ac nobilius natura intendat.* Melius *autem & nobilius est, ut motorem extrinsecum quàm ut formam, mouere.* Ad *hæc ait* Reuerendissimus, *intelligo per aërem non hunc aërem: & tamen ait* Paulus *aëris huius: neque* Græca *lectio repugnat si subtiliter consideretur.* Denique *ubi quæso inueniat tale genus corporis quale ponit, uidelicet simplex incorruptibile, natum moueri motu progreßiuo ex natura corporis ad omnes differentias positionis absque repugnantia &c.* Chimerica *hæc profectò & sine ratione & autoritate, & tantisper tanquam casu effutita uidentur.* Et *hæc satis ad hunc tractatum.*

ANNOTATIONVM F. AMBR. Catharini Politi in commētarios Caietani,

LIBER V.

De his quæ circa sacramenta digna uisa sunt annotatione, & primum de baptismo.

QVOD NON SIT ILLA *præcisa forma baptismi*, Ego te *baptizo in noīe patris & filij, & spiritus sancti: sed si dicatur*, In *nomine Christi, aut in nomine Trinitatis: quòd sic disputat Caietanus atque concludit*. Mouetur *autem primò ex uerbis domini, quia iubet baptizari in nomine patris & filij, & spiritus sancti*. Qui *autem in nomine Christi, aut in nomine Trinitatis baptizat, in nomine patris & filij, & spiritus sancti baptizat, quia in nomine Christi subintelligitur & pater & Spiritus sanctus, ut declarat Ambros. & in nomine Trin. subintelligūtur tres personæ.*

nihil

nihil ergo prohibet, quin ualeat his uerbis collatus baptismus, quum satisfiat mādato domini. Confirmat, quia sicut laudatur & inuocatur pater & filius & Spiritus sanctus, quanquam non suis his nominibus pronuncientur explicitè, & satisfit præcepto laudis & inuocationis, Sic (inquit) baptizatus censeatur in nomine patris & filij, & spiritussancti. Licet hæc nomina nō sint prolata explicitè.

¶ Adiecit Secundo olim sic perficiebatur baptismus. In nomine Christi, & ualebat: ut patet ex actis Apostolorum. Quòd uero dicitur, illud fuisse ex dispensatione spiritussancti, non cōstat. Tertio arguit. Si nomina illa præcise requirerentur. Sequitur quòd si quis diceret, in nomine patris & Iesu Christi & Spiritus paracliti, nō baptizaret, quod est absurdum. Deniq; pro hoc affert sententiam Nicolai Pontificis, qui non improbat baptismū in nomine Christi collatum. Hæc ille in summa. Contra Thomæ & communem sententiam. Nos autem neq; cōtra illum, neq; pro Thoma, sed pro ueritate, hanc doctrinam falsis inniti fundamētis ostendemus. Nā primū illud quod sumit, uidelicet ex uerbis domini non dari formam baptismi in explicatione personarum diuinarum, contra omnium acceptionem sumit, quia omnes aliter acceperūt, ni fortè unus aut alter dubitauerit. Et ad hoc inducit ratio. Quoniam si Deus ibi dat formam, ut nemo negat, & natura formæ hoc exigit ut habeat certa uerba explicitè pronuntianda, sicut & uerum est, satis hinc sequitur quòd dominus ad illa expressa ab eo uerba, uoluerit ipsam formam determinare. Nō enim dixit,

De consec. dist. 4. cap. A iudæo.

baptizantes

baptizantes eos in nomine Trinitatis, aut quouis modo unde significetur Trinitas, sed formam præstituẽs dixit. In nomine patris & filij, & spiritussancti. Vnde non licet mutare formam iam ab eo præstitutam, præsertim quum non æquipollentia reddãtur uerba. Sunt enim nomina illa, Pater & filius & spiritussanctus nomina propria illarum personarũ, ut Thom. docet, & rectè. Qua de re non dubito errare etiam hunc hominem qui ait, Nomen illud pater esse commune, & nõ significare propriè illam primam diuinam personam. Licet enim secundum institutionem hominum sit commune nomen quo significatur omnis qui genuit filium, Specialiter tamen in diuinis ac proprie significat illam primam personam, idq; non est ex accommodatione usus, ut putat Caietanus, Sed ex autoritate scripturæ. Nam in eis hæc nomina esse illarum personarum propria manifestatur. Vnde Christus dixit, Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ, Dixit absolutè pater, & non mi pater, tanquam utẽs proprio nomine illius personæ. Et de seipso absolutè dixit. Si filius uos liberauerit uerè liberi eritis. Sicut & Isaias, filius datus est nobis. Similiter & Spiritussanctus, nomen esse tertiæ personæ proprium, Scripturæ nõ proteruis satis persuadẽt. Et ob istam gratiam in huiusmodi sacramento, quum sint nobis à domino commendata, debent Sanctè ac religiosè seruari, ut explicitè pronuncientur. Nam & hinc apparet minus aptè conuenire quod putauit esse simile de laude & inuocatione Trinitatis: quoniam ad inuocationem & laudem, quum non sint sacramenta, non indigent, certis & conceptis uerbis

Vide illum in commen. Super, 3. q. 66.

Tho. in. 1. q. 33.

bis quasi forma, sicut exigunt sacramenta, quæ sensibilia & certa uerba requirunt. Posset enim quis etiam absque ulla nominum expreßione corde inuocare & laudare Sanctam trinitatem, & satisfacere præcepto isti inuocationis & laudis, si aliud non sit mandatum de externa laude. Adde quòd si uera sit huius hominis opinio, uidelicet quod non astringamur ad certa uerba, sed conferatur baptismus quibuscunq; uerbis, implicitè saltem, personas illas significantibus, ergo erit baptismus uerus in nomine domini collatus. Nam in hoc etiam trinitas implicitè significatur, non est enim uerè ullus dominus, nisi trinitas, pater & filius, & Spiritussanctus. Et similiter in nomine Dei, aut in nomine deorum uerorum, aut dominorum. Item, in nomine trinitatis, in nomine genitoris & spirãtis, in nomine geniti & spirati aut in nomine producentium & producti, aut spirantium & spirati, aut in nomine generantis & producẽtis, aut in nomine omnipotentium, æternorum, immensorũ, aut in nomine dominantis, & uerbi, & spirati, aut in nomine incarnati, & concepti de Spiritussancto, aut in nomine mittentis ac missorum, aut in nomine ungentis, & uncti, aut in nomine filij & Spiritus, aut in nomine sapiẽtiæ ingenitæ genitæ & productæ, aut in nomine eius qui est, & qui fuit, & qui uenturus est. Deniq; innumerabiles aliæ uerborum cõceptiões possent tradi quibus baptismus conferri poßet iuxta hanc doctrinã, quod est absurdißimum & repugnat ipsi naturæ formæ quæ certa uerba desiderat.

AD secundum ergo quod inducit ex act. apost. falsus est, quia iuxta ueritatem Graecae literae quam ipsemet' sequitur, nullibi legitur baptismus collatus in nomine Christi. Sed Act. 10, cap. sic legitur: & iußit eos baptizari in nomine domini. Nec adijcitur Iesu Christi, ut habent latini codices. Quum ergo ipsemet Caietanus graecam literam sequatur, habet inde ualidißimum contra se argumentum. Ipse enim confitetur quod baptismus in nomine domini collatus, non ratus est, ut etiã Põtificũ decreta testantur, cum igitur tunc ratus esset mãdato Petri, uelimus, nolimus confiteri oportet, quòd tũc ex dispensatione illud fuit, quia per dominum intelligebatur Iesus Christus, ut eius nomen propagaretur. Alibi tamen cap. 2. Vbi ait, baptizetur unusquisq; nostrum in nomine Iesu Christi, reuera non traditur ibi forma baptismi: non enim alloquitur baptizantes Petrus sed baptizandos ut hoc intelligant in quem debeãt ipsi credere, & cui salutem referre acceptam, quum non esset aliud nomen, datum sub coelo in quo oporteat nos saluos fieri. Deniq; nec, ubi legitur quòd baptizati sunt ĩ nomine Iesu cap. 19. per hoc accipitur quòd sub eis uerbis baptizati fuerint. Sed quum rogasset Paulus quosdam, an spiritumsanctum accepissent & respondissent, neq; si spiritussanctus est se audiuiße, cõtinuo replicauit Paulus dicens, In quod ergo baptizati estis? Ac si dixerit. Impoßibile est uos esse baptizatos & non audiße spiritũ sanctũ. Ipsi autẽ dixerũt esse se baptizatos in baptismũ Ioãnis. Et tunc Paulus docuit quid esset baptismus Ioannis, &

 quomodo

quomodo non ex eo ueniret gratia, & dixit, Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui uenturus est post ipsum ut crederent, hoc est, in Iesum. Ecce quō declarauit etiā ex ui baptismi Ioannis nomen Iesu illud esse, in quod baptizati debeant credere & fidere. Quare subditur ibi, His auditis, baptizati sunt in nomine domini Iesu. Græcè legitur in nomē domini Iesu, ut intelligas non hanc formam fuisse baptismi qua sunt baptizati, sed ad hoc nomen aspexisse illos qui baptizati postmodum fuerunt, unde sibi salutem in baptismo partam crediderunt. Quicquid autem sit, re uera non conuincitur ex ijs locis baptismus in nomine Christi collatus, sed potius in nomine domini, ut iussit Petrus. Et sic manifestum redditur, quòd ex dispensatione tunc sic factum fuit, ut Christi & Iesu nomē gloriosum corda hominum inuaderet ac possideret.

AD tertiam ergo considerationem Caietani fateor quòd si diceretur in nomine patris & Iesu Christi, & spiritus paracliti, esset baptismus: quanquam peccaret sic baptizans. Et ratio est, quia secundæ persona proprio suo nomine exprimitur. Nam Iesus est propriū nomen illius secundæ personæ sicut est filius, sed addit incarnationem, quia Iesus est nomen Dei hominis: non sic filius. Nec uitiat nomen proprium tertiæ personæ, quod est spiritus si adiungatur paraclitus quod à domino adiunctum fuit, tamen ut dixi nullo modo deberēt commutari uerba illa commendata nobis à domino, nec addi quicquam nec minui priuata sapientia & autoritate. Hoc

le. Hoc autem certißimum est quòd in nomine Christi nō exprimuntur propria personarum omnium nomina, & similiter in nomine Trinitatis. Et ideo non sunt similes casus, quos tamen ut similes Caietanus proponit. Antequam autem respondeam ad autoritatem Nicolai, corroborabo sententiam ueritatis quam probamus multipliciter. Et primò quidem à uerbo Christi qui formam baptismi tradens expreßit nomina illa trinitatis & personarum propria: arctans per hoc nos ad ea uerba certa: sicut habet interpretatio doctorum & sanctorum, & ecclesiæ ipsa consuetudo, & id quod exigit natura formæ quæ est, ut certis & conceptis uerbis fiat: nec sit satis implicitè significari, quia sensibiliter debent propria nomina personarum pronunciari, ut & sensibiliter audiantur, aliás absurdum illud oriretur quòd possent in ecclesijs innumeræ esse formæ baptismi, ut satis probatum est. Secundò sunt decreta pontificum: & primò quod legitur quasi Canon apostolorum, ubi habes, Si quis immergat semel in mortem domini, debet deponi: quia dominus non dixit, in morte mea baptizate, sed in nomine patris & filij & spiritus sancti: Item est decretū Pelagij sic loquētis, Multi sunt qui in nomine solūmodo Iesu Christi una etiā immersione se asserūt baptizare. euāgelicū autē præceptū ipso Deo & domino saluatore nos admonet, in nomine. S. Trin. trina etiā mersiōe, sanctū baptisma unicuiq; tribui dicēte domino Iesu Christo discipulis suis, Ite baptizate omnes in nomine patris & filij & spiritus sancti &c. In dec. de cō sec. di. 4.

¶ Itē est decretū Zachariæ in synodo Anglorū, ubi sic

habet cum in ambiguo adhuc manet res, Cum uerò iam & miraculis claruit, & reuelationibus manifesta est, & ipsa pietate clamante, communi penè omnium consensu, præter eos quos diximus, confirmata est, id certè possunt, ad remouenda scandala in populis quæ (re manente controuersa) seruntur, quod apparet in locis ubi nondum est determinata. Sic & antiqui Episcopi congregabantur, quùm quid huiusmodi contentionis exoriebatur in populis, & quod eis sanum uidebatur & fidei cõsentaneum declarabant: quibus cessantibus in eorum locũ prouidit Deus uniuersitates has. Sic enim & Apocalypsim Ioannis probauerunt Synodi quædam, & alia multa in Arianos, Pelagianos & uarios hæreticos absq; summi Pontificis autoritate sanxerunt non ut haberent omnimodam uim ad cogendum consensum, sed magnum momentum, ad parandum illum. Nam certè nisi maior urgeat autoritas in eas pronunciationes & definitiões quas faciunt, qui sapientes putantur, omnes consentire deberemus Sed audiamus quid respondeat ad scandalorum euentum. Scandalum hoc non actiuum sed paßiuũ, insipientium est potius quàm piarum aurium, imò Pharisæorum conuincerentur esse declarata eis ueritate: ideo nihil ex hoc probabilitatis sortitur opinio hæc, nisi apud ignorantes. Hæc ille. Quæ cùm mecum considero & à quo spiritu efflata sint deputo, hinc dolore cõstringor, inde indignatione succendor. Cuius nam bone Deus censura hæc? cui reuelationes quæ circunferuntur à probis & pijs figmenta sunt aut Angeli Satanæ ludificationes etiam quas illa tamen Sancta Synodus Constantiẽsis

Nota.

Censura caietani.

sis probauit, sanctæ fœminæ Birgittæ. Canonizatiões sanctorum, quas uult ratas habet, quas uult suspectas, nullas tamen, ut alibi docet omnino firmas: signa & miracula pro mulierculis censet esse seruanda, non pro sancta Synodo, quasi nec Deus ultra ualeat patrare miracula nec sancta Synodus informari miraculis. Quicunq; aliter hac de re sentiunt quàm ipse doceat insipidum uulgus sunt, indocti omnes, Pharisæi omnes, si postquã tam mirifice declarauit ille nobis hãc ueritatem, scandalum adhuc patiantur, quãdo audiant. B. Virginem subdi peccato & diabolo & Iræ Dei. Vniuersitates quoq; quæ aliter probauerunt indoctè & præsumptuose id egerunt. Ecclesiæ Dei quæ hanc celebrationem sub nomine conceptionis receperunt, imò ipsa Ro. Ecclesia quæ illã tradit minimè sapiens, minus prouida, & circunspecta fuit. Nam huius iudicio, aptius erat sub nomine sanctificationis celebrare, scilicet, ut obscuraretur hæc ueritas quam non probabat. Porrò pietas opinionis, quam nec ipse (ui ipsa ueritatis coactus) negare ualuit, nihil tandẽ momenti habet. Quis ergo stabit coram tanto censore? Quis non terreatur à uerbis tantæ confidentiæ? Equidẽ ni ego ille essem qui rationum uim potius ac momenta considero, quàm quicquã moueat à tumore solo uerborum, fateor exterritus essem ac tantum spiritum nõ sustinuissem. At cum uideo uacillum harundineum, quo fretus tantum audet potius animum sumo quàm deprimor propter hæc. Sanctificat enim nobis ille autoritatẽ sanctorum, quo etiam loco premeret, nisi partim falsò citaret, partim detorqueret ad uictoriam, & iniuria

Glossam illam ad eorum sententias non admitteret, quã ipsemet tamen in scripturis sanctis eleganter & docet & iure approbat. Deniq; colore aliquo saltẽ apud in doctum uulgus exigere posset, ut omnino succumberemus doctorum & sanctorum autoritati quam prædicat si hoc ipse primum præstitisset. Sed in quot articulis & in quantis, bone Deus, & quàm grauibus ipse recedit prorsus ab omnium & sanctorum & doctorũ sententijs & decretis etiam summorum Pontificum & cõstantissimo Ecclesiæ sanctæ usu & prædicatione, quod latius & passim per nos annotatũ est. Sed audi nunc quæso uerba eius cõtra seipsum de pietate opiniõis nostræ, quam tamen mallem appellare fidem quàm opinionem: Sic enim scribit, Si dicatur quod pium est credere, quòd B. Virgini concedẽdum est quicquid gratiæ sub Christo tum conferri potuit, fateor quòd pia esset credulitas, nisi sanctorũ autoritates obstarent, quod Scotus timuit, sed minus docti non timent quia ad pauca respicientes de facili enunciant. Hæc ille. At uideamus quis est tandẽ qui tam facilè enunciet, & quis est qui respiciat ad pauca. Nũquid ipse bene respexit quod Scotus dixit? Non certè, cum eius uerba mutet siue non respiciens, & in calore disputationis, ut certè puto, siue forte non syncere, quod uolo credere. Non enim dixit scotus, Nisi sanctorum autoritates obstarent ut Caietanus allegat, Sed dixit, Si autoritati Ecclesiæ uel autoritati scripturæ nõ repugnet, uidetur probabile quod excellentius est attribuere Mariæ. Hæc scotus, ad uerbum timuit, ergo ab autoritate scripturæ scotus & Ecclesiæ, ut par erat, quã autoritatem

ritatem

ritatem isti potius contradicentes non curant. Nam sanctorum autoritates nunquid quaeso uiolare potest quod pium uidetur omnibus? & quod ipsimet contradicentes fatentur uideri alioquin & esse pium? Vide quo ueritas ipsos impulit. Nonne haec pietas ab ipsa sanctorum autoritate colligitur? Nempe sanctorum est haec sententia & fidelis quidem & omni acceptione digna, quam protulit D. Anselmus, probauit Thomas, & alij pene omnes theologi usurparunt nec ullus reprehendere unquam ausus est, uidelicet. Beatae uirgini quicquid gratiae potest excogitari sub Christo, cōcedēdum esse. Cur igitur hāc nō cōcedunt quae est & sub Christo & à Christo & Christi gloriam & gratiam eius magnificat in matre, ut sic è cōtrario eius animo merito magnificet illum? hem fateamur obsecro tandem fratres ueritatem, quam certè ni stupidi sitis probe sentitis, & semota omni sectarum affectione omnes dicamus idem, & diligamus & agnoscamus tandem quàm sit bonum & quàm iocundum tantae matris filios conuenire in unum. Quod ille faciat quaeso qui & ad hoc uenit ut filios dei in unum congregaret. cui gloriam & imperium cum matre sua in saecula saeculorum Amen. Nota.

DE angelis quaquā multo plura putē annotatione digna in eius doctrina, pauca tamē hic & breuiter perstringā: primū, circa numerū Angelorū ipse putat ꝙ nō excedat oīm rerū naturaliū multitudinē. Et cōmētus est qđ B^tūs dionysius ꝗ dixit, multi sunt btī exercitus supnarū mētiū, īfirmā & cōstrictā excedētes nostrorū materialiū nūerorū cōmēsurationē, nō cōpauit āgelo.

numerum numero rerum naturalium, sed solum numero specierum. At certè rerum species tã paucæ numero sunt ut nimis inepta fuerit, si ad illas facta sit comparatio.

Tho.in. 8 1q. 50.art.3. Repugnat etiam hoc doctrinæ beati Thomæ qui ait rationabile est quòd substantiæ immateriales excedant secundùm multitudinem substantias materiales quasi incõparabiliter. Videmus enim quòd corpora incorruptibilia quæ sunt perfectiora inter corpora excedunt quasi incomparabiliter secundũ magnitudinem corpora corruptibilia. Hæc Tho. qui ut hoc sapienter factum esse à Deo suaderet, sumpserat hanc dignitatem tanquam meritò concedēdam, uidelicet quòd cum perfectio uniuersi sit illud, quòd præcipuè Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata à Deo, Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem, ita in rebus

Dan.7. incorporeis attēdi põt secũdũ multitudinē: hæc Tho. Daniel quoq; innumerabilē multitudinē designaret, & in nnmero quãuis magno præciso tamē, ostēderet innumerabiles illos spiritus, dixit milia miliũ ministrabãt ei. Sic et

Ad Heb. 2. Paul. per miriadas multas hũc innumerabilē numerũ uoluit indicare, Grego. itē. Quòd si quis hac de re uoluerit

Baruch. 3. mecũ cõtēdere, & per arg, Caietani cõuincere, prædico sibi nũc, quòd ego nõ suscipiã, sed prouocabo ad ipsum cælũ ut suspiciamus quàm magna sit domus eius, & quã

2. Corin. 12. ingēs locus possessiõis eius, aut saltē expectemus, & satagamus ut ibi simus, & beatis oculis ueritatē cõprobemus, Sed & hoc noluissem quod ipse Caietanus cælum empyreũ negasset esse, cõtra cõmunē doctorũ sentētiã.

Illud

Illud tamen lõge minus placuit quod ipse scribit, Crediderim ego dæmones esse spiritus aëreos, & id consonare ueræ philosophiæ ratiõi, ut queadmodũ inueniatur uegetatiuũ sine sensitiuo, & sensitiuũ sine secundũ locum motiuo. & intellectiuũ sine secundũ locum motiuo, ita inueniatur secundum locũ motiuũ sine sensitiuo; quod est ponere huiusmodi aereos spiritus constantes ex intellectiuo & secũdũ locũ motiuo: & est sermo de motu progreßiuo absque sensitiuo &c. Hæc ille. hæc aũt. Platonica opinio inter Origenis errores adnumeratur, & certè mirãdũ, quòd ex peripatetico tã repente in Platonicum euaserit Reuerendißimus. Quo in loco etiã illud uide quæso, quod ipse scripsit in tractatu de subiecto philosophiæ contra eos qui huiusmodi blatterabãt, quos & innaturales uocat: Ait enim, Non ex sacra scriptura nec ex theologis sanctis ab ecclesia approbatis traditum quòd angeli sic mouentur, ut motus continui subiectum sit: sed potius oppositum ut in theologia discussum à sanctis est: unde si Peripateticos arguendos censent glorietur ex Scotica officina hos errores deprehendere non ex theologia. Hæc ille. Quinetiam magis mirabile est argumẽtum, quia, ut inquit, inuenitur uegetatiuum sine sensitiuo, & sensitiuum sine intellectiuo, ita inueniri oporteat secundum locum motiuum sine sensitiuo: simili enim argumento probabiliter etiam sensitiuum sine uegetatiuo eße, quod est inopinabile. Quòd autem ait, intellectiuũ sine secundum locum motiuo inuenire in ordine animatorum (ut est sermo) falsißimum est. Non est ergo intellectiuum sine secũdum locum motiuo

Apud Paul. ad Ephes. 2. c.

Inconstantia doctrinæ.

tiuo

tiuo, nec secundum locum motiuum sine sensitiuo, nec sensitiuum sine uegetatiuo. Sicut enim figuræ ita se habent hi gradus ut trigonum in tetragono, ut ait philosophus. non autem è conuerso. Ad hæc si dæmones talia corpora sint, nunquid & angeli Dei tales erunt? si neget, ergo angeli boni alterius erunt naturæ quàm dæmones, quia spirituales substantiæ, dæmones autem corporeæ, quod facile potest etiam per scripturas reprobari. Si autem etiam angelos corporeos affirmet, inuenietur defectus in uniuerso: desiderabitur enim creatura spiritualis, quod certè sapientiam Dei sugillare uidetur. Sic enim beatus Thomas arguit. Extra controuersiam in scripturis semper uocantur spiritus, nunquam corpora. Præterea otiosum est ponere ut declarat beatus Thomas ex philosopho, formam ullam corporis in rerum natura quæ duntaxat sit propter motum, cùm semper melius ac nobilius natura intendat. Melius autem & nobilius est, ut motorem extrinsecum quàm ut formam, mouere. Ad hæc ait Reuerendißimus, intelligo per aërem non hunc aërem: & tamen ait Paulus aëris huius: neque Græca lectio repugnat si subtiliter consideretur. Denique ubi quæso inueniat tale genus corporis quale ponit, uidelicet simplex incorruptibile, natum moueri motu progreßiuo ex natura corporis ad omnes differentias positionis absque repugnantia &c. Chimerica hæc profectò & sine ratione & autoritate, & tantisper tanquam casu effutita uidentur. Et hæc satis ad hunc tractatum.

ANNOTATIONVM F. AMBR. Catharini Politi in commẽtarios Caietani,

LIBER V.

De his quæ circa sacramenta digna uisa sunt annotatione, & primum de baptismo.

QVOD NON SIT ILLA *præcisa forma baptismi*, Ego te *baptizo in noĩe patris & filij, & spiritus sancti: sed si dicatur, In nomine Christi, aut in nomine Trinitatis: quòd sic disputat Caietanus atque concludit. Monetur autem primò ex uerbis domini, quia iubet baptizari in nomine patris & filij, & spiritus sancti.* Qui autem *in nomine Christi, aut in nomine Trinitatis baptizat, in nomine patris & filij, & spiritus sancti baptizat, quia in nomine Christi subintelligitur & pater & Spiritus sanctus, ut declarat Ambros. & in nomine* Trin. *subintelligũtur tres personæ.*

nihil

nihil ergo prohibet, quin ualeat his uerbis collatus baptismus, quum satisfiat mãdato domini. Confirmat, quia sicut laudatur & inuocatur pater & filius & Spiritus sanctus, quanquam non suis his nominibus pronuncientur explicitè, & satisfit praecepto laudis & inuocationis, Sic (inquit) baptizatus censeatur in nomine patris & filij, & spiritussancti. Licet haec nomina nõ sint prolata explicitè.

¶ Adiecit Secundo olim sic perficiebatur baptismus. In nomine Christi, & ualebat: ut patet ex actis Apostolorum. Quòd uero dicitur, illud fuisse ex dispensatione spiritussancti, non cõstat. Tertio arguit. Si nomina illa praecise requirerentur. Sequitur quòd si quis diceret, in nomine patris & Iesu Christi & Spiritus paracliti, nõ baptizaret, quod est absurdum. Deniq; pro hoc affert sententiam Nicolai Pontificis, qui non improbat baptismũ in nomine Christi collatum. Haec ille in summa. Contra Thomae & communem sententiam. Nos autem neq; cõtra illum, neq; pro Thoma, sed pro ueritate, hanc doctrinam falsis inniti fundamẽtis ostendemus. Nã primũ illud quod sumit, uidelicet ex uerbis domini non dari formam baptismi in explicatione personarum diuinarum, contra omnium acceptionem sumit, quia omnes aliter acceperũt, ni fortè unus aut alter dubitauerit. Et ad hoc inducit ratio. Quoniam si Deus ibi dat formam, ut nemo negat, & natura formae hoc exigit ut habeat certa uerba explicitè pronuntianda, sicut & uerum est, satis hinc sequitur quòd dominus ad illa expressa ab eo uerba, uoluerit ipsam formam determinare. Nõ enim dixit,

De consec. dist. 4. cap. A iudaeo.

baptizantes

baptizantes eos in nomine Trinitatis, aut quouis modo unde significetur Trinitas, sed formam præstituēs dixit. In nomine patris & filij, & spiritussancti. Vnde non licet mutare formam iam ab eo præstitutam, præsertim quum non æquipollentia reddātur uerba. Sunt enim nomina illa, Pater & filius & spiritussanctus nomina propria illarum personarū, ut Thom. docet, & rectè. Qua de re non dubito errare etiam hunc hominem qui ait, Nomen illud pater esse commune, & nō significare propriè illam primam diuinam personam. Licet enim secundum institutionem hominum sit commune nomen quo significatur omnis qui genuit filium, Specialiter tamen in diuinis ac proprie significat illam primam personam, idq́; non est ex accommodatione usus, ut putat Caietanus, Sed ex autoritate scripturæ. Nam in eis hæc nomina esse illarum personarum propria manifestatur. Vnde Christus dixit, Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ, Dixit absolutè pater, & non mi pater, tanquam utēs proprio nomine illius personæ. Et de seipso absolutè dixit. Si filius uos liberauerit uerè liberi eritis. Sicut & Isaias, filius datus est nobis. Similiter & Spiritussanctus, nomen esse tertiæ personæ proprium, Scripturæ nō proteruis satis persuadent. Et ob istam gratiam in huiusmodi sacramento, quum sint nobis à domino commendata, debent Sanctè ac religiosè seruari, ut explicitè pronuncientur. Nam & hinc apparet minus aptè conuenire quod putauit esse simile de laude & inuocatione Trinitatis: quoniam ad inuocationem & laudem, quum non sint sacramenta, non indigent, certis & conceptis uerbis

Vide illum in commen. Super, 3. q. 66.

Tho. in. 1. q. 33.

bis

bis quasi forma, sicut exigunt sacramenta, quæ sensibi-lia & certa uerba requirunt. Posset enim quis etiam absque ulla nominum expreßione corde inuocare & laudare Sanctam trinitatem, & satisfacere præcepto isti inuocationis & laudis, si aliud non sit mandatum de externa laude. Adde quòd si uera sit huius hominis opinio, uidelicet quod non astringamur ad certa uerba, sed conferatur baptismus quibuscunque uerbis, implicitè saltem, personas illas significantibus, ergo erit baptismus uerus in nomine domini collatus. Nam in hoc etiam trinitas implicitè significatur, non est enim uerè ullus dominus, nisi trinitas, pater & filius, & Spiritussanctus. Et similiter in nomine Dei, aut in nomine deorum uerorum, aut dominorum. Item, in nomine trinitatis, in nomine genitoris & spirãtis, in nomine geniti & spirati aut in nomine producentium & producti, aut spirantium & spirati, aut in nomine generantis & producẽtis, aut in nomine omnipotentium, æternorum, immensorũ, aut in nomine dominantis, & uerbi, & spirati, aut in nomine incarnati, & concepti de Spiritussancto, aut in nomine mittentis ac missorum, aut in nomine ungentis, & uncti, aut in nomine filij & Spiritus, aut in nomine sapiẽtiæ ingenitæ genitæ & productæ, aut in nomine eius qui est, & qui fuit, & qui uenturus est. Denique innumerabiles aliæ uerborum cõceptiões possent tradi quibus baptismus conferri poßet iuxta hanc doctrinã, quod est absurdißimum & repugnat ipsi naturæ formæ quæ certa uerba desiderat.

Ad

AD secundum ergo quod inducit ex act. apost. falsus est, quia iuxta ueritatem Graecae literae quam ipsemet sequitur, nullibi legitur baptismus collatus in nomine Christi. Sed Act. 10, cap. sic legitur: & iußit eos baptizari in nomine domini. Nec adijcitur Iesu Christi, ut habent latini codices. Quum ergo ipsemet Caietanus graecam literam sequatur, habet inde ualidißimum contra se argumentum. Ipse enim confitetur quod baptismus in nomine domini collatus, non ratus est, ut etiã Põtificũ decreta testantur, cum igitur tunc ratus esset mãdato Petri, uelimus, nolimus confiteri oportet, quòd tũc ex dispensatione illud fuit, quia per dominum intelligebatur Iesus Christus, ut eius nomen propagaretur. Alibi tamen cap. 2. Vbi ait, baptizetur unusquisq; nostrum in nomine Iesu Christi, reuera non traditur ibi forma baptismi: non enim alloquitur baptizantes Petrus sed baptizandos ut hoc intelligant in quem debeãt ipsi credere, & cui salutem referre acceptam, quum non esset aliud nomen, datum sub coelo in quo oporteat nos saluos fieri. Deniq; nec, ubi legitur quòd baptizati sunt ĩ nomine Iesu cap. 19. per hoc accipitur quòd sub eis uerbis baptizati fuerint. Sed quum rogasset Paulus quosdam, an spiritum sanctum accepissent & respondissent, neq; si spiritus sanctus esse se audiuiße, cõtinuo replicauit Paulus dicens, In quod ergo baptizati estis? Ac si dixerit. Impoßibile est uos esse baptizatos & non audiße spiritũ sanctũ. Ipsi autẽ dixerũt esse se baptizatos in baptismũ Ioãnis. Et tunc Paulus docuit quid esset baptismus Ioannis, &

quomodo non ex eo ueniret gratia, & dixit, Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui uenturus est post ipsum ut crederent, hoc est, in Iesum. Ecce quō declarauit etiã ex ui baptismi Ioannis nomen Iesu illud esse, in quod baptizati debeant credere & fidere. Quare subditur ibi, His auditis, baptizati sunt in nomine domini Iesu. Græcè legitur in nomẽ domini Iesu, ut intelligas non hanc formam fuisse baptismi qua sunt baptizati, sed ad hoc nomen aspexisse illos qui baptizati postmodum fuerunt, unde sibi salutem in baptismo partam crediderunt. Quicquid autem sit, re uera non conuincitur ex ijs locis baptismus in nomine Christi collatus, sed potius in nomine domini, ut iussit Petrus. Et sic manifestum redditur, quòd ex dispensatione tunc sic factum fuit, ut Christi & Iesu nomẽ gloriosum corda hominum inuaderet ac possideret.

AD tertiam ergo considerationem Caietani fateor quòd si diceretur in nomine patris & Iesu Christi, & spiritus paracliti, esset baptismus: quanquam pec caret sic baptizans. Et ratio est, quia secunda persona proprio suo nomine exprimitur. Nam Iesus est propriũ nomen illius secundæ personæ sicut est filius, sed addit incarnationem, quia Iesus est nomen Dei hominis: non sic filius. Nec uitiat nomen proprium tertiæ personæ, quod est spiritus si adiungatur paraclitus quod à domino adiunctum fuit, tamen ut dixi nullo modo deberẽt commutari uerba illa commendata nobis à domino, nec addi quicquam nec minui priuata sapientia & autoritate. Hoc

te. Hoc autem certißimum est quòd in nomine Christi nō exprimuntur propria personarum omnium nomina, & similiter in nomine Trinitatis. Et ideo non sunt similes casus, quos tamen ut similes Caietanus proponit. Antequam autem respondeam ad autoritatem Nicolai, corroborabo sententiam ueritatis quam probamus multipliciter. Et primò quidem à uerbo Christi qui formam baptismi tradens expreßit nomina illa trinitatis & personarum propria: arctans per hoc nos ad ea uerba certa: sicut habet interpretatio doctorum & sanctorum, & ecclesiæ ipsa cōsuetudo, & id quod exigit natura formæ quæ est, ut certis & conceptis uerbis fiat: nec sit satis implicitè significari, quia sensibiliter debent propria nomina personarum pronunciari, ut & sensibiliter audiantur, aliàs absurdum illud oriretur quòd possent in ecclesijs innumeræ esse formæ baptismi, ut satis probatum est. Secundò sunt decreta pontificum: & primò quod legitur quasi Canon apostolorum, ubi habes, Si quis immergat semel in mortem domini, debet deponi: quia dominus non dixit, in morte mea baptizate, sed in nomine patris & filij & spiritus sancti: Item est decretū Pelagij sic loquētis, Multi sunt qui in nomine solūmodo Iesu Christi una etiā immersione se asserūt baptizare. euāgelicū autē præceptū ipso Deo, & domino saluatore nos admonet, in nomine. S. Trin. trina etiā mersiōe, sanctū baptisma unicuiq; tribui dicēte domino Iesu Christo discipulis suis, Ite baptizate omnes in nomine patris & filij & spiritus sancti &c. In dec. de cō sec. di. 4.

¶ Itē est decretū Zachariæ in synodo Anglorū, ubi sic

ait, firmißimè præceptum & diligenter demõstratũ esse dignoscitur, quòd quicunque sine inuocatione trinitatis mersus fuerit, sacramẽtũ regeneratiõis nõ haberet, quod omnino uerũ est, quia si mersus in fonte baptismi quis fuerit sine inuocatione trinitatis, perfectus Christianus non est nisi in nomine pat. & fil. & spir. sancti fuerit baptizatus. Adijcitur quod & certò uerũ est, quòd qui uel unã de trin. personã in baptismo nõ nominaret, uerum baptisma non faceret.

¶ Item est Pelagij decretũ in. c. si re uera. ubi baptizatos solummodo in nomine domini, iubet rebaptizari. Quod certè non potuisset si satis fuisset implicitè trinitatem significari in uerbis, cùm nomen domini implicitè illam contineat nõ minus quàm nomẽ Christi, quia nullus uerè dominus nisi Deus pater & filius & Spir.

In Clem. de sum. tri. & fi. cath. ¶ Item est decretũ tandẽ Clemẽtis in synodo Viennensi, ubi quæ sunt fidei memorans & uerum & catholicum baptisma tradens, definit illud esse quod celebratũ fuerit in aqua in nomine patris & filij & spiritus sancti. Cur nõ dixit uel in nomine Christi si id putaret ratũ esse? Nec aliud est in concilio Florẽtino, sub Eugenio, quã quã Caiet. illud pro se afferat, eò quòd ibi dicatur, quòd baptismus cũ sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur, id enim intelligitur cùm explicitè nominãtur personæ.

ADde hic autoritates doctorũ & sanctorũ. Sanctus enim Aug. in primis in lib. 6. de unico baptismo, clarè dicit quòd sine certis illis uerbis euãgelicis uidelicet, quæ dedit pro forma dominus apud Matth. ult. nõ potest cõsecrari baptismus. D. etiã Tho. idẽ docet: & alij

alij communiter præter unum aut alterum. Si enim quærantur autoritates siue theologorum, siue canonistarum, haud dubium est, quin & in numero & in pondere & in mensura, longè excedunt nostri, id est, qui hanc sententiam quam probamus etiam comprobant. Dico in numero: quia longe plures sunt. dico in pondere: quia scientia etiam celebriores sunt, quorum sententiæ meritò ponderosiores habentur. Denique dico in mẽsura, quia sanctitate quæ gratiæ mensuram habet, etiã facilè præcellunt alijs.

SVperest ergo nunc, ut respondeamus ad autoritatem Nicolai. qui uidetur non improbare baptismũ, in nomine Christi collatum. Et licet exponant doctores, quòd Nicolaus loquitur secundum antiqua tẽpora apostolorum, tamen id meritò Caietano non placet. Nã si ueritatem amamus, uerè Nicolaus de suo tempore loquitur. Quare aut dicẽdũ quòd falsus est, & autoritate Ambro. seductus, aut quòd in eo casu cũ baptismus proponeretur à quodam Iudæo collatus, aut qui nesciretur utrũ Christianus uel paganus esset uigente eadẽ ratione quæ uigebat olim, pontifex ille spiritu sancto instructus propter gloriã nominis Christi interpretatus est sacramẽtũ esse perfectũ, ne nomẽ Christi apud Iudæos, uel pagan. uilesceret: & sic quadã tacita dispẽsatiõe ratũ cẽseatur à spiri. sancto licet forte põtif. ille putauerit ipso iure ratum esse oportere. Nihil enim prohibet pontifices in suis decr. & stat. à spiritu moueri, ignorãtes causam tamen. Hoc si placet quòd certè euidentẽ uidetur habere rationẽ, accipe lector: sin autẽ displicet &

fiæ unquam ut illo uteretur. non per apostolos, non per tot sacros pontifices, & tot concilia: non per tot egregios doctores, qui etiam contra dixerunt, sed solummodo tandem per Caietanum. Et interim perierint tot pueri in maternis uteris, per ignorationem remedij huius. Ad hæc quod est ualde considerandum, Dionysius *huiusmodi actiones, uidelicet sacramentorum, hierarchias esse docet: ut quicunque eas administret, Christi sit minister & ecclesiæ:* Sed quo pacto *ut minister* Christi & *ecclesiæ censeri poterit, qui non faciat ex ordinatione ecclesiæ, sed ex priuata cuiusdam uiri sapientia & doctrina, ut est in proposito? Quòd si dixeris, quid nocebit id fecisse? ualeat ut ualere potest.* Respondeo *in huiusmodi quæ cum* Deo *aguntur, quia non solum non falsum, sed nec fictum aut uanum quicquam fieri debet, superstitiosum omnino censeri debet, quod non sit regulariter exploratæ ac certæ efficaciæ.* Adde *his omnibus pro hac ueritate, decretum pontificis extra de bapt. c.* Non *ut apponeres.* Vbi *cùm esset puer non in maternis uteris, sed iam extra & moribundus, atque eum aliquis liniuisset sputo in fronte & pectore & inter scapulas non habens in promptu aquam, nec adeßet sacerdos, et sic signasset cum inuocatione. S.* Trinitatis, & *quærere tur an rectè esset baptizatus, respōdit pontif. minimè rectè: quoniam cùm duo requirātur in baptismo, uidelicet aquæ elementum & uerbum, si horum alterum deest, profectò non perfici sacramētū: cùm scriptum sit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto &c.* Vide *ergo casum, in quo lōgè magis uideri poterat, quòd es-* Nota.

set sacramentum, quum puer iam natus esset, & ea homo fecisset quæ in solennitate baptismi fieri solent, & nihilominus aliter concludit sanctus pontifex cuius decreto proculdubio non est fas contradicere.

NOn obstat ergo Caietani argumentum, quod non sit uerisimile ullum statum esse derelictum sine salutis remedio. Nam ut diuus Bonauentura rectè ait, Triplex est status hominis. Et primus quando est in utero matris: & tunc notus est Deo tātum & angelis eius, & propterea non est sub parentum cura, sed diuinæ solum prouidentiæ reseruatur: & ideo solius baptismi flaminis capax est regulariter. Secundus est quando iam natus, sed non suæ mentis est: & sic notus dicitur parentibus, sub quorum est cura: & idcirco per illos iure naturæ gubernatur & seruatur. Tertius est, quando iam sui est arbitrij: quia enim sibi etiam tunc notus est, propria etiam uoluntate prospicere sibi debet. Baptismi uerò sanguinis ideo non est incapax existens in utero, quia sola eius paßio satis est ad hoc. Non autem cuilibet legitimæ operationi maiorum interim subditur dum in utero est, ut dicūt Tho. Bonauē. & alij: imò ratio ipsa naturalis docet ex ipsius rei natura. Quam rationem qui non capit, ne sit proteruus saltem. Opportunè autē dixit quidam magister; dum ista quæstio disputatione ageretur, Dixit enim, Quid scis quid sit in utero, an uentus, an catulus, an monstrum, an denique mortuum quiddam & inanimatum? Nunquid igitur quæ Dei sunt sic inaniter sunt administranda? Quòd si instes, ergo si in utero puer esset & periclitaretur, careret salutis remedio? Respondebo,

Nota.

debo, noli quæso sollicitari de eo quod ad Deum & curam eius pertinet. Ipse enim magis diligit creaturam suã quàm tu. & nouit ipse quid sit iustum, & quid ad suam misericordiam pertineat. Tu potius uide quid ad te non pertineat, & illud serua. Scrutari enim Dei iudicia, aut superaddere uelle de tuo aliquid maiorum traditionibus hoc certè est quod ad te non pertinet. Nota.

ILlud uehemẽter etiã displicuit quòd apud Matth. ultimo ex illis domini uerbis, Eũtes docete, colligit duos baptismi comites, uidelicet doctrinã præcedẽtẽ baptismũ, ex eo quod ait, Eũtes docete, & doctrinã subsequẽtem, ex eo quod additur, docentes eos &c. Et declarans amplius, ait quòd dominus ibi tradit officium baptizandi relatiuè ad perfectè susceptiuos baptismi, id est, illos qui propria uoluntate suscipiunt, & instructi sunt sufficienter, ac parati seruare mãdata Christi, reliqui enim prout deficiunt ab aliqua harum conditionum, deficiunt quoque à perfecto susceptiuo baptismi. Hæc ille. Ex quo noua resultat doctrina, uidelicet, pueros non perfectè suscipere baptismum. Quod & manifestè confirmat apud Ioannem tertio capit. At hoc certè non solum à Theologis, uerumetiam à pontificum decretis damnatur, & à concilio Viennensi, ut patet in Clement. de summa trinitate, ubi unicum commendatur baptisma omnes regenerans baptizatos: de quo etiam dicitur, Credimus tam adultis quàm paruulis communiter perfectum remedium ad salutem. Ibi etiam omnes baptismi effectus in paruulos sicut in adultos cõferri perspicuè decernitur, insigniũtur

charactere, liberãtur à diabolo & peccato, assequũtur uirtutes & dona, & aperitur eis ianua cœlestis, hi autẽ sunt huius sacramenti effectus. Nec uerò pendet baptismus aut baptismi perfectio & effectus in pueris donec discant, & propria uoluntate ratum habeãt, impiũ enim est hoc opinari. Hinc enim insipiẽtes Anabaptistæ. hinc imprudens & audax Erasmi consilium, cui non mediocriter uidetur conducere, si pueri quum ad pubertatem peruenerint instruantur de fide, & interrogentur num ratum habeant quod susceptores illorum nomine promiserunt. Quod si non potest obtineri ut approbent, expedire fortaßis, non cogi sed suo animo derelinqui, nec alia plecti pœna, quàm ut à sacramentis arceantur. Sed hoc consilium, quod certè consilium est, quum dicat, mihi uidetur non mediocriter cõducere. Licet ille mitigans malum ut sæpe solet, consultationem ineptè uocet non consilium. Ipsemet tamen in Bedam disputans consilium uocat sibijpsi aduersans. Hoc inquam consilium, ab omnibus sapiẽtibus & catholicis improbatum est, ut Hispani, & Sorbonica facultas sapientißimè annotauerunt, tanquam irrationabile & in Christianæ rei publicæ perniciem. Adde quòd ex uerbis propriè intelligendo, Erasmus puerorum baptismum quasi infirmũ & à sua ratihabitione pendere uult, quum dicat, Interrogentur an ratum habeant. Id enim proprie ratum habetur quod non sat firmum est nisi approbetur, ut late patet, idq; significat uox illa, Si audita profeßiõe approbent quod gestum est, nisi hæc temperentur nouis cauillis. Longum esset si suas omnes tergiuersationes digna

In Anabaptistas & Erasmum.

gna castigatione prosequerer, & quàm uafrè, quàm artificiosè, longo sermone & colorato argumētis & hypocrisi excuset cōsilium, & si impium, à charitate enim inquit emanat, quae omnia credit, omnia sperat. Verè omnia sperat charitas: inter haec autem omnia non est turbatio Ecclesiae, peruersio legis Christianae, ut liceat legitimè insignitis signo Christi & charactere spiritus in baptismo, resilire, & contemnere primam fidem. Nō est orthodoxi, & pij hominis sperare huiusmodi quae fieri nequeunt Christi lege, & aperta ratione obstante. Non est charitatis hoc, sed (ut ita dixerim) canitatis. Ad rem igitur redeundo, hanc non dubito esse catholicorum doctrinē, perfectum in pueris esse baptismū, atq; ipsos insignitos charactere spiritus, obligatos esse irremissibiliter (ut ita dicam) militiae Christi, idq; ipsorū legitimè praesumpta uoluntate, quoniam illam pro eis suppleuere parentes seu maiores sub quorum cura aut potestate in huiusmodi, & diuina, & naturali lege tenentur, in re maximè eorum utilitatem concernente, ut nulla sit necessaria aut opportuna ratihabitio, re semel ritè, & integrè, & in rem ac salutē eorum gesta, quod & iurisperiti facilè discernere ex suis legibus possent. Adde quòd comes ille baptismi subsequens, quem notat Reuerendissimus fictitius est. Quod enim sequitur, docentes eos, explicatio est superioris dicti. euntes docete, ut intelligerent quid esset quod deberent docere, prius enim docendi illud erant scilicet, seruare mandata Christi, quàm baptismum susciperent, ut clare patet. Non tamen nego bonam & utilem semper imò & necessariam post baptismum

In Erasmū.

ptiſmum doctrinam, Sed non ut baptiſmi comitem, non ut perfectiorem baptiſmum reddat. Naſcimur enim baptiſmo, qui ſemel eſt natus, iterũ aut amplius naſci non poteſt. At poſtmodum doctrina quaſi alimẽto nutrimur augemur ſeruamur, ſaginamur. Adhæc, ex hac doctrina ſequitur omnino duo eſſe in eccleſia baptiſmata, alterũ perfectum alterum imperfectum, licet hanc ſequelã neget Cardinalis. Si enim qui imperfectè recipit ſanitatẽ, imperfectam dicitur recipere ſanitatem, non uideo cur non ſimiliter imperfectum ſuſcipere dicitur baptiſmum qui illum ſuſcipit imperfectè. Nec ualet inſtãtia de deo qui uidetur quidem forte imperfectè, nequaquam tamen ipſe imperfectus. Deus enim ex ſeipſo perfectus, nõ fit perfectus uiſione mea. At baptiſmus ſicut ſanitas ipſa fit & perficitur ſuſceptione, quæ ſi perfecta ſit, & ipſe perfectus, ſin imperfecta, imperfectus quoq; & ipſe: quæ etiam latius patere facerem ſi præſtaret, ſed ualeãt iam nouitates iſtæ quæ nihil niſi ad ſubuerſionem & nouitatem proficiunt.

Super. 3. parte. q. 67. art. 2. *NEc illud cenſeo admittẽdum quod ipſe ſuper ſumma eſt commentatus: & ſuperuacuè quidem diſſeruit, nec certa ratione definiuit. uidelicet, quod adultus poteſt ſuſcipere baptiſmum abſque intentione, modo nõ habeat contrariam intentionem. Dixi, ſuparuacuè diſſeruit, ſi uerũ ſit quod etiam ipſe penè uidetur admittere uidelicet. iſtum caſum dari non poſſe, ut ſit quis adultus & baptizetur nec uolens nec nolens: quod certè uerum eſt in homine ſanæ mentis & uigilãte, ſi actũ intelligat qui ſit: de hoc enim non eſt dubitandum, quòd non poteſt*

test dari medium inter ista contraria, uidelicet, quod nec nolit nec uelit, uerum ait. Si quæramus de ueritate cōditionalis si hoc ut impoßibile admittatur, quòd aliquis esset neuter, id est, neq; nolens neq; uolens, sed non nolens & non uolens, Concludit autem quòd huiusmodi homo baptismum susciperet: & sit contra diui Thomæ sententiam, qui contrà concludit requiri intentionem baptizati & uoluntatem: & non (sicut iste glossa sua uoluntaria interpretatur) idcirco quia si desit intentio interpretatur adesse uoluntas. Sed (sicut in articuli corpore ipse perspicue docet) quia ipsa uolūtas requiritur qua homo uelit & mori ueteri uitæ & inchoare nouam. Et certè ridiculum est & inopinabile, quòd homo in sacramento, quo Deo & ecclesiæ obligatur, sine proprio consensu obligetur. Alioquin & amentes & dormientes baptizari poßent si non apparuißet aliquando contraria eorum uoluntas: qnod tamen non recipitur. Si etiam non adsit uoluntas, ut tenet ipse diuus Thomas eadem quæstione articulo ultimo quod & seruat ecclesia. Illud uerò quod admittit, quàm rogo perplexum est & seipsum destruens? Hic enim Doctor admittit quòd si minister baptizaret hominem neutrum puta, dormientem, quia inconuenienter faceret: quamuis faceret quòd baptizatus pertineret ad ecclesiasticā iurisditionem, & tamen compelli non poßet ad Christianitatem seruandam quia nunquā consensit. & sic nō cōsentiēs ita ligatur Christianitati, ut nō ligetur. Quis hæc intelligat? Sed aies ex caietano quo ergo paruuli baptismū recipiūt? Respondetur,

intentione

intentione & consensu, quanquam non proprio, sed matris tamen Ecclesiæ consentientis ac loquentis per parentes aut patrinos, Qui si fortè ipsi non habeant intentionem aut habeant malam, non potest eis obesse quia supplet pro illis ipsa mater Ecclesia, ut eleganter docet Diuus ipse Thomus ar. 9. ex D. Augustini doctrina, his uerbis, quæ quia pulchra sunt & digna scitu & quæ memoriæ mãdentur, non grauabor subscribere. Regeneratio spiritualis (inquit) quæ fit per baptismum, est quodã modo similis natiuitati carnali quantum ad hoc, quòd sicut pueri in maternis uteris constituti, non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur, ita etiam pueri nondum habentes usum ratiõis, quasi in utero matris Ecclesiæ cõstituti, non per seipsos sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Vnde Aug. dicit in lib. de peccatis & meritis & remißione. Mater Ecclesia os maternum paruulis præbet ut sacris mysterijs imbuantur: quia nondũ poßunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si autem propterea rectè fideles uocantur, quoniam fidem per uerba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non pœnitentes habeantur, quum per eorundem uerba gestantium, diabolo & huic sæculo abrenuntiare monstrentur? Et eadem ratione poßunt dici intendentes, non per actũ propriæ intentionis, quũ ipsi quandoq; contra nitantur & plorent, Sed per actum eorum à quibus offeruntur. Hæc ille. Quòd si obijcies, ut Caietanus, Atqui hi qui offerunt non habent rectam intentionem nec sunt fideles. Audi quid idem Doctor continuò subiecit.

subiecit. Augustinus scribens Bonifacio dicit, In Eccle- sia saluatoris, paruuli per alios credũt, sicut ex alijs, quæ in baptismo remittuntur, peccata traxerunt. Nec impeditur eorum salus si parentes sint infideles: quia si- cut Aug. dicit eodem Bonifacio scribẽs, offeruntur par- uuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamuis & ab ipsis si & ipsi boni fideles sunt) quã ab uniuersa societate san ctorum atq; fidelium. Ab omnibus nanq; offerri rectè in telliguntur quibus placet quòd offeruntur, & quorum charitate ad communionem sancti Spiritus adiungũtur. Infidelitas autem propriorum parentũ, etiam si eos post baptismum dæmoniorum sacrificijs imbuere conentur, pueris non nocet: quia ut Aug. ibidem dicit: puer semel generatus per aliorum uoluntatem, deinceps non potest uinculo alienæ iniquitatis obstringi, ubi nulla sua uolun- tate consentit: secundum illud Ezech. 18. Sicut anima pa tris mea est, ita & anima filij: anima quæ peccauerit ipsa morietur. Sed ideo ex Adam traxit quòd sacramen- ti illius gratia solueretur, quia nondum erat anima sepa ratim uiuens. Fides autem unius, imò totius Ecclesiæ par uulo prodest per operationem spiritussancti qui unit Ec clesiam, & bona unius alteri cõmunicat, Hæc ille. Quæ perspiciens ipse Caietanus aduersum sua iam dicta mili- tare, nisus est & hæc sua quadam glossa offuscare & inficere, sic aiens. In articulo nono in responsione ad pri mum & secundum intellige accõmodationem esse quan dam, in hoc, quòd Ecclesia pro paruulis credit, intendit, renuntiat &c. Ad literam enim quia similitudo ex pro- Nota.

prio

prio deriuatur, quum institutus esset ritus baptismi pro adultis, accõmodatus est idem ritus ad paruulos: ut quod propriè fit ab adultis, secundum quandam similitudinẽ fieret à paruulo, non proprio sed Ecclesiæ ore. Et quoniam ad solennitatem baptismi hæc spectant, ideo sine his baptismus factus ualet. In responsione ad secundum non sic intelligas ecclesiæ fidem prodeße infanti, qui baptizatur quasi meritum fidei existens in ecclesia saluet infantem: quoniam infans non per fidem sed per fidei sacramentum regulariter saluatur: sed intellige ecclesiæ merita prodeße infanti, & iuxta articulum communionis sanctorum, & particulariter tum orando pro infante, tum applicando eundem sacramento ex corde puro & charitate plena. Hec ille. Et nos intelligimus doctrinam diui Thomæ ut uerba sonant simpliciter, & ut docent ipsæ scripturæ, uidelicet quòd ecclesia ipsa eo ritu utitur in baptizando: quoniam suam fidem accommodat infantibus pro quibus & hoc meretur in Christo, sicut os maternũ pro in utero exiſtẽtibus accipit alimẽtũ quo illi participãtur, ut habet similitudo ab Augu. elegãter tradita. Nescio uerò quid sibi uelit qđ ait eße hoc accõmodationem quãdam quod ecclesia pro paruulis credat intendat renuntiet &c. quasi uero non sic accipiendum sit, quod sic reuera oporeat accipi, ut uniuersaliter scriptura salua maneat quæ dicit, sine fide enim impossibile est placere deo. Nõ enim sacramentum solum, pueros saluare potest sine fide. Nam ut ipsummet argumentum in illum retorqueam, quia enim facit causam parem adultorum & puerorum, ut hinc arguat, quòd sicut pueri qui

non

non ponunt obicem etiam sine uoluntate & consensu baptizantur, & satis est quòd non contradicunt, ita & adulti. Simili modo & nos dicimus, quia adulti sine fide non possunt baptizari ad salutem, ita nec pueri. Hoc cer*te argumentum scripturæ fundamentum habet, sine fide impoßibile est placere deo, Iustus ex fide uiuet.* Et cogit *nos ad id confugere, ad quod hi præclarißimi doctores* Augu. & Tho. *confugerunt aduersum argumenta hæreticorum, ut omnia conquiescant. ualet quòd pueri consentiunt, intendunt & credunt, non tamē per se sed per ecclesiam ipsam quæ fidem illis accommodat, & per aliquos eam profitetur, quum solenniter fit baptismus. Scimus autem, quòd baptismus absq; ijs solennitatibus baptismus est, & tamē non esset baptismus absq; ijs quæ ex huiusmodi solennitatibus declarentur, id est, absq; fide & confeßione seu protestatione quæ ipsius ecclesiæ est pro pueris. Ab adultis autem exigitur propria ad salutem.* Nam & *antiquitus fides parentum cum oblatione & sacrificio pueris accommodabatur per quod salui fiebant* Gregorio *teste, quod ipsemet* Caietanus *fatetur.* Quod *ergo affert ex* Innocentio *qui ait tunc imprimi characterem quum obex non ponitur contrariæ uoluntatis, facile resoluitur. quoniam quum manifeste de adulto loquatur, & ipsemet* Ponti. *consensum eius requirat, & uerum sit, quum non est in eo consensus dissensum esse, ut ipsemet* Caietanus *fatetur, recte dictum manet & uerè iuxta subiectā materiā, quòd non ponens obicē cōtrariæ uoluntatis recipit sacramētū quia talis intelligitur cōsentire.* Nā *sic ipse* Caiet. *defen-*

 dit se

dit se à Thoma qui requirit consensum, sed ille non bene, quoniam Thomas rectissimè consensum exigit ex rei natura, quoniam in sacramēto pactum est & stipulatio quædam cũ Deo. Inuicem enim aliquid promittitur ut ipse rite declarat unde oritur obligatio, & cum Deo et cum ecclesia, quæ non nisi ex consensu oriri potest, ut ratio ipsa cogit nos confiteri. Vnde & pontifex ille rectè in adulto contentus fuit non esse obicem: quia cùm non est obex, consensus adest, quum non sit dare hominem uigilantem ac non amentem, neutrum. Et hæc satis quatenus ad hoc sacramentum attinet.

DE SACRAMENTO Eucharistiæ.

Circa sacramentum Eucharistiæ quod in commen. super. 3. par. q. 80. art. 12. & super Io. c. 6. concludit, scilicet illa domini uerba, Nisi manducaueritis &c. non attinent ad sacramentalem manducationem, propter instantem & horribilem hæresim annotare compulsus sum. Quoniam & in hanc sententiam conuenere Oecolampadius & Lutherus & cæteri hæresiarchæ nostri temporis contra communem sanctorum Theologorum sententiam. Quoniam uerò hic doctor rem (ut solet) rationibus tractat, operæprecium censui ostendere quàm nihil ualeant, & quàm inaniter argumētetur. Primò igitur iacit fundamentum super quod construit opinionem, & hoc est, tres esse modos manducandi Christum: unum sacramentaliter, alium spiritualiter, sub sacramento

cramento tamen, uel in re uel in uoto, tertium purè spi ritualiter, qui modus, ut inquit, communis est omnibus uiatoribus & cōprehēsoribus antiquis & recētibus adul tis & pueris. Quo iacto fundamento, ut suadeat positū, id est, quòd uerba domini intelligantur solùm de tertio modo manducandi pluribus contendit. Primò dominus loquitur de illa manducatione sine qua non potest esse uita in nobis. Sola autem manducatio spiritualis talis est quod inductione patet, quia sine sacramentali uel in re, uel in uoto potest esse uita, ut patet in infantibus, ergo &c. Secundò Christus ipse declarat eam manducationem per actus purè spirituales, ut est credere in eum, uenire ad eum: de speciebus autem sacramenti uerbum nullum. Tertiò, quoties duæ sunt expositiones quarum altera secum trahit quæstiones & difficultates, altera uerò fugat illas, hæc proculdubio eligenda, illa explodenda est. Sed si uerba domini intelligas de sacramentali mā ducatione, trahit expositio hæc secum quæstionem de infantibus ad quos non pertinet: & sic non est uniuersalis. Item urget ut dicunt hæretici ad tradendum sacramentum laicis sub utraque specie: ergo hæc explodenda est. Deniq; ausus est adijcere (in quo obstupui) quod S. doctores sic eū locum interpretati sunt: quod falsum esse latè ostēdā. Vt autē uideas primū quàm inualidè dis serat bone lector remoue quæso affectū hominū si quē habes & attēde ad lucē ueritatis. Primò enim fundamē tū quod iacit carere ueritate à B. Thomæ doctrina cui tamē ipse innititur facilè patet. Thomas enim non tres manducandi modos uiatoribus, sed duos tantū esse asse-

Tho. 1. q. 80 art. 2.

rit. Caietanus autem eius sententiam citans non integrã affert. Nempe Thomas sic ait, Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter Christum: uno modo prout ut in sua specie consistit: & hoc modo angeli manducant spiritualiter Christum: alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus sacramenti, scilicet inquantum aliquis credit in Christum. Et hoc non solum est spiritualiter mãducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum. Hæc ille. Ecce ergo apud Thomam unus tantum modus est manducandi Christum spiritualiter conueniens uiatoribus, uidelicet sub speciebus sacramenti. Ille ergo tertius Cardinalis abstractus malè abstrahitur à uerbis Thomæ. Nec euadit Cardinalis, nec se defendit excusans his uerbis: Nec propterea arguendi sunt doctores insufficientiæ, quia duos tantum modos manducandi Christum sub sacramento tractabant. Non euadit inquam, quia manifestè tractauit ibi. B. Thomas de modo manducandi angelorum, ut patet in primo distinctionis membro, qui certè non est sub sacramento. Certus ne es lector, quòd iam corruit fundamentum totius molis huius quam struxit? quoniam in Tho. doctrina aliud habemus fundamentum, uidelicet quòd duo tantum sint modi manducandi uiatoribus: & quòd spiritualis manducatio illis cõueniens, nõ est nisi sub spẽbus sacramẽti, saltẽ in uoto: iuxta quod fundamẽtũ iã patet rationũ resolutio Nã ad primũ respondẽtes fatemur quòd dominus locutus est de spirituali mãducatiõe sine qua nõ potest esse uita, sed nõ de illa quæ abstrahit à sacramẽto: quoniam

niã hãc ignorat ecclesia pro uiatoribus: nõ enim sine mã ducatione spirituali quæ est sub sacramẽto uel in re uel in uoto implicitè uel explicitè potest esse uita. Hoc enim dicimus nos, cuius cõtrariũ probare debuit ipse arguens nõ sumere, ne principiũ peteret. Est ergo in primo argumẽto aut manifesta petitio principij, aut processus mutilis, ut in prioribus satis ostendi. At, inquies, probauit id per instãtiã de infantibus quibus est salus absque hac manducatione. Hem bone lector, animaduerte ut hæc instãtia non minus positionem suam destruit quàm nostrã, imò suam nõ nostram: quia non fecit ipse sibi locũ ullũ ad respondendum, nos autem in prõptu ex Tho. doctrina habemus responsionem. Ecce ipse ait quòd dominus de spirituali mãducatiõe loquitur, sine qua nõ potest esse salus, & spirituale mãducationẽ ipsemet declarat eã esse quæ fit per actus spirituales .i. per credere in Christũ. Sed hos actus certè nõ potest exercere puer, ut notũ est, ergo illi maximè manet ista quæstio de infantibus. & suum assumptum primum quod ex se notum dicit, instantia ista perimitur. Quid ergo dicet? quomodò saluantur infantes qui tamen nullo modo possunt manducare spiritualiter? Vide ut semetipsum impugnat: supponit enim ut rem notam, quòd puer possit manducare purè spiritualiter: contra id quod est ex se quàm manifestißimum: & cum hoc etiã negat posse illũ comedere sacramentaliter: quia, inquit, non possunt comedere sed sugere. Quis hic nõ miretur de tãto uiro? hẽ amemus ueritatẽ & nõ cõturbemur affectu. An quæsò arcet pueros ecclesia ab altari quia nõ ualeãt comedere sacra- Nota.

mentaliter, an potius quia nō ualent spiritualiter? Enim uero uel ita clara est, ut non indigeat ostensione. Decretalis enim manifestè annos discretionis exigit ad manducationem hanc, quia tunc elicere possunt pueri actus spirituales fidei & charitatis: alioquin sacramentaliter tātum possent quidem comedere placentulam illam saltem anniculi aut à bimatu & suprà, quando incipiunt etiam solidiora manducare: Quàobrem hinc latè patet contra id quod tertio loco colligit plana responsio, uidelicet, quòd nostra expositio non minus uniuersalis est quàm sua, quia puerorum instantia non minus suam percutit quàm nostram: hoc tamen interest quòd nos quæstionē resoluimus, non autem ille. Dicimus enim quòd per alios manducant pueri, quoniam cor & os maternum illis ecclesia præbet quo credunt & cōfitentur ad salutē: ut superiore quæstiōe definitū est: & .B. Tho. autoritate ac ratiōe. D. Aug. pulcherrimis uerbis probat? & alibi circa eucharistiā sic elegāter scribit: sicut pueri ex fide ecclesiæ credūt sic ex intētione ecclesiæ desiderāt & recipiūt eucharistiā, & rē, i. effectū ipsius sacramēti, quod est incorporatio in Christū & uita per illū. Atq; ad hæc addit quòd uotū hoc in baptismo habere incipiūt. Sed ad hæc præoccurrit Card & ait: nec mihi occurrat aliquis dicēs quòd baptism. habet ānexū uotū eucharistiæ: quoniā hōi sentētia quādo in doctorib. muenitur, uenerabiliter suscipiēda est, in suo tū ordine, uidelicet ut est adaptatio quædā & nō ut inde sumatur argumētū efficax ad firmādū ueritatē eorū quæ in fide uersantur. secūdum nāq; ueritatem baptismus ex se solo sufficit ad

uitam

uitam æternam, & non mendicat hoc ex aliquo annexo uoto alterius sacramenti. Hæc ille. Sed quid est, obsecro, quod ait, suscipienda hæc est ut quædam adaptatio? An fortè beatus Thomas docet nos adaptationes: & quæ non sint solidæ ueritatis? cuius doctrina in primis proprietates sermonis seruat, atque ipsam inquirit & elucidat ueritatem? Quid itē est quod ait uenerabiliter has sententias esse suscipiendas? Quis enim magis uenerabiliter suscipit, qui infirmat & carere eas ueritate affirmat, an qui probat ut ueras sicut & uerißimæ sunt? An quæso non credunt pueri baptizati in Christum? Si non credunt, expertes ergo sunt Christi, quia iustus ex fide uiuit, sine qua impoßibile est placere Deo. Si credunt, quo actu, quæso credunt? Actus enim cordis exigitur ad iustitiā & ore confeßio fit ad salutē. Ergo quo actu cordis aut oris? certè non suo, ergo maiorum & ecclesiæ. Quid igitur mirum si & corde & ore materno desiderant & manducant corpus domini? Denique quid est etiam quod ait, baptismum ex se solo sufficere ad salutem? Nunquid sufficit sine fide aut sine uoluntate & uoto parendi mandatis Dei? Absit ut hoc fateamur. Quū igitur inter mandata Dei, hoc sit, manducare hoc sacramentum quando est opportunitas, ut docet B. Tho. iam apparet non adaptatio sed mera ueritas, quòd in baptismo etiam hoc uotum continebitur. Ad hæc ad hominem arguo, certè necesse habet fateri, aliud esse baptizari, aliud manducare corpus Christi, quoquo modo intelligatur manducatio: de his enim ut diuersis legem protulit dominus, De baptismo quidem, nisi quis renatus

fuerit &c. De manducatione uerò, *nisi manducaueritis &c.* Si igitur ut patet ex mandato domini ambo hęc requiruntur ad uitam, ubi est quod asserit Cardinalis baptismum solum sufficere? Neque enim puto quenquam ita ineptum ut existimet idem esse baptizari & manducare, quum altero generemur, scilicet baptismo, altero, id est, manducatione iam generati nutriamur & conseruemur. Ad hęc iterum uide ut & hic semetipsum suamet expugnet doctrina. Quęso quid hic ait dominus? certè *nisi manducaueritis & nisi biberitis &c.* Quo modo autem manducat quis aut bibit? per actus fidei (inquit ille) & charitatis. Ergo sine his actibus non est uita. Sed puer non habet hos actus per se, ergo cogitur Christianus dicere quòd ille ab ecclesia mutuatur, nisi forte uelit mutiliter pueros baptizari absque effectu salutis, quod est purè hæreticum. Itaque Augustinus epist. 107. in hunc modum de pueris confidentissimè loquitur. *Scimus etiam paruulos secundum ea quæ per corpus gesserunt recepturos uel bonum uel malum, gesserunt autem non per seipsos sed per eos quibus pro illis respondentibus & renunciare Diabolo dicuntur, & credere in Deū.* Et concludit, *unde & ipsi sicut dixi si in illa parua ætate moriūtur, utique secundum ea quæ per corpus gesserunt, id est, tempore quo in corpore fuerunt quando per corda & ora gestantium crediderunt, uel nō crediderunt, quia baptizati sunt, uel non baptizati, quando carnem Christi manducauerunt uel non manducauerunt, quando & sanguinem biberunt uel non biberunt. Secundum hæc ergo quæ per corpus gesserunt, non se-*

cundum

cundum ea quæ, si adhuc uiuerent gesturi fuerant iudicantur. Superest ergo iam ut illud resoluamus, quod nec minus ad eum attinet ut uidebimus, id est, quomodo si uerba hæc, Nisi manducaueritis, de sacramentali sumptione intelliguntur, stare potest quòd non sit præcepta sumptio sub utraq; specie, quum dicat non solum nisi manducaueritis, sed etiam nisi biberitis. Sed miror argumentum. Manducationem enim præcepit dominus & bibitionem spiritualem quidem, ut diximus per actum fidei & charitatis, & sub sacramento: nec tamen exigit sub utraq; specie sacramẽti, quia sub una specie accipiẽtes, utrunq; actum exercent, & fidei manducando, & dilectionis similiter bibendo. Alioqui ridiculum esset cõcedere, posse manducari & bibi spiritualiter absq; ulla perceptione sacramenti ut uolunt, & cum hoc simul asserere, id fieri non posse si saltem sub una specie percipiatur, cum sub qualibet specie sit utrunq;, uidelicet & corpus & sanguis domini. Adhæc si demus contentiosis ibi loqui dominũ de manducatione ac bibitione sub utraq; specie nunquid hoc ita dure, Imo ita planè stulte accipient, ut putent hoc præceptum ad laicos pertinere? Ad laicos enim si hoc præceptum pertinet, scilicet in utraq; specie sumendi, nunquid & ipsi tunc tenebuntur ad hoc, quando illis sub una tantũ specie ab ecclesia porrigitur? Non enim ipsi possunt cõficere, ac sibi ipsis propinare. Aut propterea subaudiendum sit datum esse præceptum ecclesiæ tradendi sub utraq; specie, quia præceptũ sit etiã laicis sub utraq; specie accipiẽdi? minimè.

Nota.

Si enim dominus in hoc ligare ecclesiã uoluisset uerba præcepti direxisset in eam dicens, nisi propinaueritis, panem & nisi propinaueritis uinum. At uide sapientiã Domini ac prouidentiã. Quia enim uolebat, & sic fore sciebat, hoc sacramentũ modo sub una modo sub utraq; specie in Ecclesia esse propinãdũ iuxta rationẽ temporum & opportunitatum, utrũq; modum nobis probauit modo solam manducationem panis memorãs, cum ait, Qui manducat hunc panem uiuet in æternum, & iterum, Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi uita, modo bibitionem simul adijciens quum adiunxit nisi manducaueritis & nisi biberitis. Et iterum, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, ut hoc referas uel ad id temporis quando utrunq; propinabatur quod aliquãdo seruasse ecclesiã confitemur. uel ad eas personas quas necesse est utrũq; sumere, ut sunt sacerdotes. Sic ergo uariè loquendo, sapientissimus Dominus innuit sapientibus Ecclesiæ arbitrio relictum utrum horum modorum seruãdum esse cẽseret, iuxta spiritus sancti directionem à quo in huiusmodi dirigitur proculdubio. Et his adde, quòd ipse dominus euntes discipulos in Emaus, cum sistere eos fecisset, sub una tãtũ specie sacramẽtum illis communicauit, & In acti. Apost. fit solummodo mentio de fractiõe panis, de uino autẽ nihil, ut scias etiam illo modo tũc dominum usum & ipsam ecclesiã, uidelicet ministrandi sub una tantum specie: durus igitur sit & proteruus qui rationes has non admittit, superbus autem, aut etiam stultus qui uel ecclesiam reprehẽdat à qua legem debet accipere

pere & nō ei dare, uel imputet laicis quòd nō sub utraq; accipiant, quum illis sub una offertur idq; non in eorum iniuriam, sed ob periculum effusionis, cum etiam nihil illis depereat, cum sub specie panis Christus sit integer & integram operetur salutem, & ipsi ambo actus uidelicet fidei ac dilectionis nihilominus exercere poßint, ad utrunq; considerantes, uidelicet ad corpus & sanguinē. Parce igitur Parce hæretice miser matri tuæ, & non dimittas legem eius, ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo. Alioquin pro torque restis te manet, quo stranguleris & rumparis medius. Sed redeo ad Caietanum qui putat se absolutum à quæstionibus si hic excluditur sacramētum. Respondeat ergo mihi pro eo aliquis si solum manducare satis est ad uitam ut uerba domini clare sonant dicentis, Qui manducat hunc panem uiuet in æternum, ut quid exigitur adhuc bibitio? aut igitur in manducatione bibitio includitur, quod ipse pro absurdo habet, aut idem erit manducatio quod est bibito, aut deniq; nobiscum consentiens cogetur fateri per manducationem solum intelligi sumptionem sub una specie, & hāc sufficere ubi sola paratur. His ergo satis superq; satis arbitror patere feci per suam expositionem nullam earum quæstionum illum euadere quas in nos obijcit: hoc tamē interesse quòd nos eas facile resoluimus, apud illum uero non solum insolutæ uerum etiam insolubiles manēt. Ad secundum nunc argumentū respondens quòd dominus declarat manducationem per actus purè spiritules, fateor. quòd uero nullam de speciebus sacramenti faciat mentionem, considēter negito. Quamobrem enim

toties

toties uocaret se panem nisi ad species illas respiceret, sub quibus nobis sese daturum pollicebatur? Nam audi Paulum dicentem. Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? Et iterũ, omnes qui de uno pane participamus, Quid ergo hoc in loco panis nomine intellexit Paulus? Eis ab ipso Caietano hoc discere? Audi ergo, primum locum sic exponit, Paulus dixit panem pro specie panis, secundum item sic, Panis pro specie panis, ut dictum est ponitur. Si ergo apud Paulum sic sumitur panis ut species panis iudicet & Christum sub illis, Cur non & apud Christum similiter accipiatur à quo hoc didicit Paulus? Ad quid enim toties inculcatur, Ego sum panis uerus, Ego sum panis uitæ, Ego sum panis qui de cœlo descendi, Qui manducat hunc panem, Nisi mãducaueritis, Nisi biberitis &c. Quid sibi uolũt? Nunquid fidem solummodo nudã declarare? Absit: profecto nũquã his usus fuisset uerbis, quæ & toties inculcando causam dabat rationabiliter aliud quiddam intelligendi, sicut Iudæi intelligebant, unde & disquirebãt & litigabant adinuicẽ dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandũ? Quo in loco uide, quod unum pro certo acceperant, uidelicet quod uolebat aliquo modo dare seipsum ad manducandum sensibiliter, At de hoc altero dubitabant uidelicet de modo & quia fuerunt impatientes ad discendum, prius reprobantes quàm audientes, dicebant enim. Durus est sermo, & quis potest sustinere eum? ideo sese fecerũt indignos doctrina, nisi quod dominus falsam eorum suspitionem indicans, cam ipsi cogitarent quendam manducandi mo-

dum

dum carnalem atq; horrificum, adiecit, caro non prodest quicquam, sed spiritus est qui uiuificat: ac si dixisset clarius, caro mea sic manducata, ut cogitatis carnaliter, nihil prodesset, sed si spiritualiter id est si iuncta fide sacramento manducetur, quoniam uerba mea spiritus sunt & uita, hoc est, ea docent ea praecipiunt quae sunt spiritus, ut inde uitam accipiatis, ualde prodest. modo comedere tantum carnaliter ad carnem proficeret quae corrumpitur, & ita nihil proficeret. Ergo spiritualis manducatio uobis praecipitur uerbo meo, quam tamen uolo sub sacramentali manducatione exerceri: hoc uero non aperuit, quia nolebant discere. Cuius rei ut elegãs & pulcherrimum exemplum ac typum cernas. Audi pie lector, comprimebatur à turba Christus quãdo fimbriã uestimenti eius quædã mulier tetigit, & nullus cõprimẽtiũ sanatus est, sed illa sola mulier: quid ita? quia sola tetigit, Quomodo sola cũ turba etiã cõprimeret ipsum, illa uero solam tetigerit fimbriã? Sed caro nõ prodest quicquam, & spiritus est qui uiuificat, spiritualiter enim tetigit illa accedens ad Christum fide, & ideo spiritus uiuificauit eã, unde uirtus exiuit: & idcirco audiuit, fides tua te saluã fecit, nec tamen sine aliquo tactu sensibili, non Christi sed fimbriæ eius. nã tacta fimbria sensibiliter, & per fidem ex spiritu, attigit ad Christũ usq; spiritualiter: fide enim accessit prudẽs mulier ad eũ, & dixit, si uel uestimẽtũ eius tetigero salua ero, sic tu etiã accede fide & dicito, si tetigero uestimẽtũ eius, id est, si sensibili modo mãducauero spẽs, quæ quodãmõ uestimẽtũ sũt domini i sacramẽto, salutẽ cõsequar, quoniã fide Christũ attigero, & spiritus uiuificabit

Matth. 9.
Marc. 5.

uiuificabit, quia uirtus de illo exibit. Sicut enim mulier illa fide concepit uotum ut tangeret etiam sensibiliter uestimentum, & data facultate cum fide illa tetigit & sanata est, sic & nos fide concipere & habere in uoto hoc sacramentum debemus, & ad illud facultate data cum fide illa accedere, ut sic inde exeat uirtus à Christo & sanemur. Amen.

ADhæc, aduerte ad hoc, obsecro, studiose lector, obiectarunt Iudæi Christo, Quod facis signũ ut uideamus & credamus, Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto sicut scriptum est, panem de cœlo dedit eis. Respondit autem dominus, Amen amen dico uobis, nõ Moyses dedit uobis panem de cœlo, sed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Hic lector, aduerte: cur ait dominus panẽ de cœlo uerum, nisi ut alluderet ad illud manna quod figura erat ipsius ueri panis? Mãna uero illud nõne figura erat huius sacramenti? Quis unquam negauit? Ergo dominus de sacramẽto loquebatur, quod erat intellectum in manna, & erat uerus panis, respectu mannæ quod erat figura, intelligis bone lector? credo, si quid sapis. Adhæc uerba illa domini ad futurũ respicientia, quum ait panis quem ego dabo uobis &c. Quid, quæso aliud significãt quã sacramẽtũ hoc, quod se uidebat esse daturũ ut sacri oẽs doctores exponũt? nã ab eis accipiẽs Beda dixit, hũc panẽ tũc dominus dedit quãdo mysteriũ corporis & sanguinis sui discipulis tradidit, & hæc satis ad secundũ.

¶ Tertiũ uero eius argumẽtũ ex iam disputatis nõ solũ resolutũ manet, sed in ipsum quoq; elegãter cõuertitur.

Arguo

Arguo enim contra illum hoc pacto. Quoties noua aliqua affertur opinio uel expositio, quam non probat Ecclesia, sancti doctores non norunt, & quæ quæstiões ac difficultates non dirimit sed auget, deniq; quæ hæreticorum dogmatibus etiam fauet, procul dubio illa respuenda est, & illi opposita est amplectenda cui è conuerso cuncta consonant. Sed dicet aliquis doce nos doctores & sanctos hunc locum de sacramento exposuisse. Imò uerò afferat alius nobis unum qui non de sacramento exposuerit? Scimus hæreticos nouos dogmatizare, hũc locum nihil ad sacramentum attinere. Contra quos gloriose dimicans Roffensis Episcopus ita in Lutherum scripsit: in hoc non minus ab se dissentio quàm Cyrillus, Hilarius Cyprianus ac cæteri patres eximij, qui non solum palam usurpant huius capi. uerba pro testimonio Eucharistiæ, uerum etiam apertissimis rationibus id docent usurpandum. hæc illæ. Augustinus ergo quando dixit, ut quid dẽtem & uentrem paras? crede & manducabis, de sacramentali manducatione agebat, quam nolebat esse nudam uidelicet absq; spirituali quæ est per fidem & charitatem, Quamobrem tractãs illud Psal. Adorate scabellum pedum eius postquam per scabellũ docuit significari carnẽ Christi adorandam in sacramento, hæc uerba subdidit, Quãdo hoc dominus commendauit, de carne sua locutus erat & dixerat, nisi quis manducauerit carnem meam non habebit uitam æternam, scandalizati sunt quidam discipuli eius. 70. fermè, & dixerunt durus est hic sermo, Quis potest hoc intelligere? & recesserunt ab eo. durum illis uisum

Nota lector Augu, intellectũ super. c.6.10.

est quod

est quod ait nisi quis &c. Acceperunt illud stulte & car naliter, illud cogitauerunt & putarunt quòd præcisurus esset dominus particulas quasdã de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt, durus est hic sermo. Ipsi erant duri non sermo, etenim si duri non essent, sed mites, dicerent sibi, non sine causa dicit hoc. ille autem instruxit discipulos, aiens, spiritus est qui uiuificat caro nõ prodest quicquam, uerba que locutus sum uobis spiritus sunt & uita, spiritualiter intelligite, non hoc corpus quod uidetis mãducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. sacramentum aliquod uobis commẽdaui, spiritualiter intellectum uiuificabit uos. Et si necesse est illud uisibiliter celebrari, oportet tamẽ inuisibiliter intelligi. Hæc Augustinus ibi & alibi. Sic

Ad Marcel. lib. 1. c. 20. de Bap. paruu. *ait. Dominum audiamus non suspitiones coniecturasq; mortalium, dominum inquam audiamus non quidẽ hoc de sacramento lauacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quò nemo ritè nisi baptizatus accedit, nisi manducaueritis carnem &c. Quid his clarius ut uideas ipsum illa uerba non iam aptare aut applicare sed manifestißimè interpretari de sacramento? Verum pro*

Cyrillus. *cedat Cyrillus qui tam pulchre tam euidenter etiam longiore sermone nobis idem confirmat, super his uerbis domini nisi manducaueritis &c. ait enim: audiant hæc qui ex arrogantia nondum Christi fidem suscipere uolũt, nisi manducaueritis (inquit) carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem non habebitis uitam in uobis. non enim poßunt cum sanctificatione beatæ uitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem, Iesum non susce*

perunt, Et paulo post declarans illud, caro mea uerè est cibus &c. sic interpretatur. distinguit rursus inter mysticam benedictionem, & manna: & aquarum fluenta ex lapide & calicis sancti communicationem. Et paulo post propterea corpus & membra Christi sumus, quia per hanc benedictionē mysterij ipsum filium dei suscipimus, Et paulo post tractans aliud, Qui manducat meam carnem & bibit meum sing. manet in me & ego in illo, sic egregie exponit. Ad hanc mysticam benedictionem totū transferens & aiens, sicut parum fermenti totam massam fermētat ut Paulus ait, sic paruula benedictio totū hominē in seipsum attrahit & sua gratia replet, Et hoc modo Christus in nobis manet, & nos in Christo. Vere enim totum fermentum in totam massam pertrāsit, Sed sensus loci huius hic est. Nos uerò si uitam æternam consequi uolumus, si largitorem immortalitatis in nobis habere desideramus ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, caueamusq; ne loco laquei damnosam religionem diabolus nobis prætendat. Rectè (inquit) dicis, scriptum tamen esse non ignoramus iudiciū sibi comedere atque bibere illum qui de pane comedit & de calice illo indignè, Ego igitur probo meipsum & indignum inuenio. Quando igitur quicunq; tu es qui ista dicis, dignus eris? quando Christo teipsum offeres? Nam si peccando indignus es, & peccare non desinis (quis enim delicta intelligit, secundum Psalmistam? Expers omnino eris uiuificæ huius sanctificationis. Quare pias quæso cogitationes suscipias studiose sanctéq; uiuas & benedictiōe particeps quæ (mihi crede) nō mortē

DD *solum*

ſolum ueruneti am morbos omnes depellit. Sedat enim cùm in nobis maneat Chriſtus ſeuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbatiões animi extinguit nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ſicut paſtor bonus qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu. Hæc Cyrillus: quæ libuit idcirco afferre quòd non ſolum ad interpretationem faciant huius loci ueram quam probamus, uerumetiam quòd multum ad ædificationem promoueant per hoc perſanctum & ſuperbenedictum myſterium: quare nolui fraudare lectorem tam pulchra cohortatione. Non perſequar reliqua ex Cyrillo afferre, quoniam longiore ſermone & in eodem ſemper tenore perſiſtit, totum penitus locum hunc Ioannis ad myſterium pertinere eleganter oſtendens. Baſilius item in ſumma ſuorum moralium. 21. ca. 1. & 2. Cyprianus quoque in ſermone de cœna domini, hoc non minus euidenter oſtendit. Hilarius pari modo in lib. 8. de trinitate longa diſputatione id expendit & accipit pro re indubitata, Chryſoſtomus etiam locum eundem exponẽs homil. 45. ſcilicet uerba illa, Panis quẽ ego dabo uobis &c. non niſi de ſacramento interpretatur, & multis pulchriſq; laudibus rem extendit & fructum ſanguinis myſtici diuinum exponit, omni nectare ſuauiorem, quoniam uerum ſuperum nectar eſt: unde ait, Qui huius ſanguinis ſunt participes, cum angelis & archangelis & ſupernis uirtutibus commorantur, ipſam regiam Chriſti ſtolam induti ſpiritualibus armis muniti, ſed nihil dixi, imò ipſum induti ſunt regem. Sed

ſicut

ſicut magnum eſt & admirabile, ita ſi purè acceſſeris ad ſalutem acceßiſti, ſin praua conſcientia ad pœnam, & ſupplicium. Qui enim mâducat & bibit indignè &c. Hæc ille. Verum nimis longam telam texerem ſi ſanctorum & ueterum patrum omnium huc expoſitiones uelim aduehere. Nam recentiores proculdubio ſecuti ſunt illos, ut Beda, Theophilactus, Bernardus, Anſelmus & alij ſine numero. De Thoma noſtro iam perſpicuum eſt. Quare magnopere mirandum illud uerbum Caietani, quo tam ſecurè pronunciat, ſanctos doctores de ſpirituali manducatione quæ eſt abſque ſacramento hunc locum interpretatos eſſe, cùm ſit adeo manifeſtè falſum, ut nullum fere tam patens. Quinetiam ut magis miretur qui huic uiro fidem nimiam habet, quod aliâs hoc in loco prætermiſi, uolo conſideret quàm ſit ipſe in docendo inconſtans. Etenim alias hanc ſuam quam tãtopere defendit ſentẽtiam, uidelicet, quòd hic locus Ioannis non ad ſacramentum quouis modo pertineat, ſicut & latè contendit in commentarijs, ipſemet in hæreticos arguens probauit eſſe errorem. In inſtructione enim nũcij apoſtolici circa errores hæreticorum de cœna domini quam iuſſu Clementis fecit. Sic aduerſus ſacramentarios ſcripſit, qui negabant hunc locum attinere ad ſacramentum Euchariſtiæ, ait enim, Ad cuius euidentiam memento quòd tria inueniuntur in Euchariſtia, ſcilicet ipſum ſacramentum quod adoramus, & manducatio ſacramentalis quæ eſt communis bonis & malis, & ſpiritualis, quæ eſt propria bonis. His autem tribus inuẽtis circa ſacramentum Euchariſtiæ ex eo quòd non loqua-

Inconſtantia doctrinæ.

Nota.

tur dominus in hoc capite de sacramentali manducatiõe, non uerè infertur, quòd excludantur reliqua duo, id est, sacramentum & manducatio spiritualis sacramenti. Quòd enim loquatur de manducatione spirituali uerba ipsa sonant, Qui manducat meam carnem &c. manducare enim spiritualiter Eucharistiæ sacramentum, est per fidem formatam in Christo manere. Quòd de sacramento quoque ipso loquatur apparet, tum quia in futuro loquitur, dicens. Panis quem ego dabo, nondum enim instituerat sacramentum Eucharistiæ, quum hæc diceret, tum quia distinguit manducare & bibere, dicẽs, nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem &c. Si nanque de fide solius mortis suæ pro mundi uita loqueretur satis fuisset explicare mortem suam pro uita mundi per separationem carnis à sanguine, quæ in cruce facta est, sed ubi non solum carnis & sanguinis separationem pro uita mundi, sed carnem præcepit manducandam & sanguinem bibendum si uitam uellemus habere in nobismetipsis, insinuauit quòd sacramentum erat instituturus corporis & sanguinis sui per modũ cibi & potus, ita quòd nisi spiritualiter mãducauerimus & biberimus carnem & sanguinem in cruce immolanda & in sacramento continenda, non haberemus uitam in nobis. Et post pauca. Nisi enim tanti sacramenti rationem Ioannes habuisset non tanta fuisset diligẽtia usus ad distinguẽdũ actus mãducãdi & bibẽdi. Hæc enim omnia collecta præ se ferunt, quòd de mãducatiõe & potatiõe spirituali, nõ solũ mortis Christi, sed sacramẽti mortis Christi sub specie cibi & potus

euangelista

euangelista scribebat &c. Hæc ex Caietano ut planè uideas, nõ tam destrui à nobis doctrinã istam suam, quàm à semetipsa, adeo inconstanter docuit atque scripsit, sed quia uoluit deuiare ab alijs, id meritò ei cõtigit. Hactenus ergo de quæstione hac.

Conatus est etiam defendere nõ esse præceptũ diuino iure aliquando cõmunicare sacramentaliter & quòd rationes. D. Tho. nõ cogũt, Et quòd etiam sacerdos absque crimine perpetuò possit abstinere ab huius sacramenti confectione, quæ certè non tam sunt contra Thomã quàm contra Christi uerba, & rationem euidentem. Sacerdotibus enim dicitur præcipiendo, hoc facite in meam commemorationem, ineptum est autem quod ipse respondet, præceptum non cadere super id quod ait, facite, sed super id quod sequitur in meam cõmemorationẽ. Nam ut sibi perpetuò aduersetur, ipsemet euãgelium exponens, & apostolum ad Corinth. apertè docet illis uerbis duo contineri præcepta, uidelicet ut & illud facerẽt & in sui memoriã facerẽt: est aũt cõtra rationẽ & in iniuriã donãtis & propriã, nõ uti tanto dono dei cõgruo loco & tẽpore ut Th. docet. Et iõ seruus ille nequã arguitur quòd nõ usus fuerat ut oportebat accepto talento. Miror ergo quòd dicere talia potuerit ullus sciẽs quid est Eucharistia, & quid sit ingratitudo.

Inconstantia doctrinæ.

1. Corinth. 2.

Thom. in. 3. parte.

Quòd nouũ quoq; modũ ministrãdi hoc sacramẽtũ tradiderit, uidelicet p manus laicorũ & instrumẽta inanimata ob metũ cõtagiõis, & ut etiã ipsi peste laborãtes proprijs manibus sibi ministrẽt, spectare ad cõtẽptũ tanti sacramẽti nõ dubito: prætarquam

enim quòd est hæc noua & singularis eius traditio aduersatur etiam aliorum doctrinæ. Nam Petrus de Pal. *in.4.longe prudentius docet, in quacunque causa non licere laicis nec sibi, nec alijs huiusmodi sacramentum ministrare, quãto minus hoc permitti debeat peste laborãtibus, qui plerunque mania corripiuntur?* Et quantò etiã *minus per instrumenta inanimata?* Denique mira doctri- *na hæc, quæ cùm decenter offertur hoc sacramentum, negat Christianum teneri, sumere diuino iure: cùm uerò indecenter & periculosè, tam facilè tamen permittit, idq́; propria autoritate?*

Nota.

Annotauit etiam ut rem periculosam nimis, quòd conatus sit defendere, non esse præceptum hominem conscium sibi peccati mortalis confiteri illud etiam suscepturum sacramentum, & habentẽ copiam confessoris. Mouetur autem primò quia non inuenitur, inquit ille, præceptum hoc ullo iure quòd confiteatur, imò potius permissum ne confiteatur, quia Paulus ait, probet seipsum homo & sic de pane illo edat &c. Dicit ergo Paulus, probet seipsum, & non dicit probetur à confessore. Probat autem seipsum homo per contritionem, ergo sat fuerit contritio. cùm nõ aliud exigat Paulus. Adiecit & rationem, inquiens, quòd de se & ex suo genere contritum & non confessum accedere ad Eucharistiam non est mortale, quia si esset, nullo casu liceret. Licet autem, ut omnes concedunt, in necessitate quando non est copia confessoris: Ex hoc autem infert, quòd si non est peccatum copia confessoris non existente, etiam nec peccatum esse existente copia cõfessoris, quoniam esse copiam

Annotatio digna ut põderetur & ualde propter pericula.

pia confessoris est per accidens, atq; ideo dimittendum ab arte, neq; ex eo inferendum aliud iudicium. Confirmat dictum tandem, quoniam contritis licet alia sacramenta administrare & suscipere etiam absque confessiōe, cùm non appareat præceptum ullum in eis, ergo similiter & sacramentum Eucharistiæ. Non enim præcepta sunt noua superstitione introducenda. Hæc ille in summa. Quæ ut certè agnoscas nisi tenearis doctoris amore, quàm inania sunt & nihil cogentia: Aduerte ad singula, & ad primum primò, quod inducit ex Paulo, ubi petit principium. Quia enim dicit Paulus, Probet seipsum homo, excludit confeßionem, quasi uerò homo confitendo non probet seipsum acsi quando solemus scribere inuicem, cura ualetudinem tuam, aut cura teipsum excludamus per hoc accessum ad medicum per quem homo curatur, & non uidit hic homo, quòd sicut per hæc omnia homo curat seipsum, uidelicet eundo ad medicū, capiendo medicinas, quas ille componat, ita & spiritualiter probat homo seipsum, per ea quæ sunt opportuna: modò dicere quòd satis est conteri absque confeßione, non aliud est quàm principium petere cùm nos econuerso dicamus quòd ad probatiōem idoneam suijpsius etiā cōfeßio requiritur. Sic probat homo aurum medio igne non solum oculi inspectione, sic & argentum medio malleo, & ita singula medijs opportunis probantur. Nota ergo lector ubi latet fallacia, nempe in hoc, quòd putatur idem esse probare seipsum quòd est probare se ipsum per seipsum, & non per alium: At hæc longè diuersa sunt. Et re uera. B. Paulus quando dixit, probet

Nota hæc acute lector.

ſeipſum homo intellexit, quòd probaret legitimè, hoc eſt opportunis modis & medijs quæ non fuit ſollicitus aperire, quia ſciebat hæc diſci à more maiorum & conſuetudine Eccleſiæ, *& ex diuerſa perſonarum rerum ac temporum conditione:* Nam *qui non eſt conſcius ſibijpſi peccati mortalis ſatis probat, ſi uenialium etiam pœniteat: qui uerò conſcius eſt, & urgetur ad celebrandum & non habeat copiam tunc confeſſoris ſatis etiam probat, ſi lachrymis luat peccatum & propoſitum habeat quamprimum poterit confitendi.* Quod *ſi habeat copiã confeſſoris etiam illud exigitur ut confiteatur ad hoc ut rectè ſe probet, nec ſatis eſt conteri, imò dico quòd nec uerè poteſt & probabiliter putare ſe eſſe cõtritum, qui in tali caſu renuat confiteri. Si enim ut fatetur tandem in ſua ſummula homo iſte, qui habens copiam confeſſoris & renuit confiteri ualde grauiter peccat, quæ obſecro contritio eſt hominis ſcientis ſe ualdè grauiter peccare in eo facto, id eſt, in acceſſu ad ſacramentum illud, & ualentis uitare tam facile peccatum illud & nolẽtis tamen?* O *contritionem improbam, ac merito improbabilem.* Non *ergo probat homo ſe illo modo, ſed reprobat magis ac reprobabilem indicat, qui quod nõ probat audet tamen, quin ut uideas inconſtantiam doctrinæ huius in reſponſione. 2. articuli Lutherani ad* Leonem, *exponens quomodo probet ſeipſum homo non ſolam contritionem affert, ſed confeßionem & orationem & cætera opportuna, ſic ait, docens ſiquidem idem* Apoſtolus *quo pacto quis ad dictum ſacramentum non indigne accedat nec ad iudicium ſibi manducet, & bibat (inquit)*

Nota hæc.

Incõſtantia doctrinæ.

probet

probet autē seipsum homo & sic de pane illo edat &c. ubi manifestat eum qui probauit seipsum securè ad sacramentum accedere, ita quòd non est reus corporis & sanguinis domini, nec ad iudicium sibi mãducat & bibit: & quoniam populus Christianus frequenter utranq; apostoli doctrinam audit, & ut unusquisq; potest de seipso testari, quilibet ante cõmunionis sacramētum probans seipsum cõtritione, cõfeßione, oratione &c. utitur hac fiducia tanquã præseruaticè à pctõ indigni accessus hæc ille: ubi clarè uides quòd ad probationem suijpsius non solum exigit contritionem sed cõfeßionem, imò orationem & cætera quæ essent opportuna. Venio ad aliã eius rationem, cuius fallaciam & inefficaciam miror uehementer non esse omnibus perspicuam, sic enim arguit, de se non est peccatum mortale si quis accedat contritus & non confessus: patet quia omnes fatentur quòd si non adest copia confessoris non erit peccatum: & hinc elicitur, Ergo non erit peccatum etiam si adsit copia confessoris. At quomodo id consequitur? Si enim ualet consequentia ista, sequitur quod omne quod non est de se peccatum, non fiet peccatum quãuis adueniente circunstantia, sed accipe instantiam per omnia similem. Certè diuitem non dare eleemosynam indigenti, nõ est de suo genere peccatũ, quia semper esset peccatum siue occurrat, siue non occurrat indigens, sed non est peccatum si non occurrat, ergo nec si occurrat: si ualet huius hominis processus, quoniã quòd occurrerit est per accidens, consequens autem est manifestè falsum, ergo uitiosus processus. Nunc agnosce fallaciam hominis

in arguendo. In moralibus illud dicitur esse per accidens & nō cōsiderādū, quod eueniēs nō mutat actionē in genere moris. uerbi gratia, quòd sagittās ad scopum ludi gratia trāseūtē hominē interficiat nō sit homicidij reus, in causa est, quoniam non interficit ille sagittans trāseūtem nisi per accidens, uidelicet quia accidit ut inter sagittandum ille transierit, & huiusmodi sunt illa per accidens quæ non considerantur à prudēte, ut inde sumat iudicium. Adde quòd ipsemet Caietanus *cōtra suam hāc regulam imprudens in hoc ipsum committit: nam cū dicat quòd habens copiam confessoris peccat ualde grauiter, non autem non habens copiam, patet quòd et ipse iudicium sumit ab eo quod est per accidens, contra quod tamen ipse idem docet.* Tu *ergo uide manifestam rationem differentiæ inter eum qui habet commodum confessoris & non confitetur, & illum qui tale commodum non habet, quia qui habet commodum & non facit, conuincitur nec habere in uoto: quia omnis qui habet in uoto facere quicquam cum commodum & opportunum fuerit illud facit omnino, Si enim non facit manifestum est quod non habet in uoto. Quid enim obstaret ad faciēdum si uellet? Nec dicas mihi uult quidem facere sed nō modo. Quādo ergo? suo tempore, inquies.* At *quod magis est suum tempus & opportunum quàm nunc, accessuro ad sacramentum? dices, Non, sed in die qua tenetur ex præcepto cōfiteri uidelicet semel in anno. Sed nō uides quod illa opportunitas confeßionis & neceßitas, est tunc propter Eucharistiam: quia enim præcipiuntur*

communicare

communicare etiam præcipiuntur confiteri. Et sic eadẽ nunc est opportunitas in ueritate quæ est tunc, Et sicut Nota. *si tunc communicaret conscius mortalis peccati & non confitens faceret sacrilegium, id est, iniuriam sacramento nec solum reus esset contempti præcepti Ecclesiastici. ita in casu isto iniuriam faceret sacramento licet non esset præuaricator Ecclesiastici præcepti cum non sit expressum hic.*

QVòd uerò tandem affert de cæteris sacramentis etiam si daremus quod sumit, uidelicet non esse peccatũ non confiteri habenti copiam confessoris quod tamen non damus, tamen multa esset differentia inter hoc sacramentum Eucharistiæ, quod est sacramentum charitatis & unionis cum Christo & Ecclesia & adest præsentia tanti Dei cui iungimur in quem uolumus transformari, coram quo non sunt nec Angeli Dei mundi, Quis autem accessurus ad regale cõuiuium illotis manibus accedat etiam si uideatur habere manus non immundas? Sed non contentus ob decentiam saltem, ob speculatores, ob regiã præsentiã hoc faceret. Quod si omittat quis non improbet, non detestetur? Sed dicet aliquis pro Caietano non negatur indecentia facti, imo dicitur quod ualde grauiter peccat, sed negatur solum mortale. Audi quæso te lector et nota quæ dico. Ipse idẽ Caietanus confitetur quòd hic talis homo non digne accedit ad sacramentum, nec tamen concedit quod indigne, mirabile profectò est quòd qui ualde grauiter peccat & sic uult grauiter peccare, accedens ad tantum sacramentum non tamen indigne accedat. Quis ista tam incon- Nota.

inconstantia concedat? Et mirabile est, quòd putauerit quòd. B. Paulus sic doceat & admoneat accessurum ad sacramētum, ut satis habeat instruxisse illuc usque nos, ut suam admittentes instructionem adhuc ualde grauiter peccarent: O doctrinam. Cogita quæso hæc internè tecum amice Caietani, & post hæc ipse iudica. Summa autem rationis nostræ per quā omne illius argumentū euacuatur ex sentētia catholica & B. Tho. hæc est, aduerte, Homo qui peccauit mortaliter non potest in gratiam reparari absque sacramento pœnientiæ, quod dicitur secunda tabula post naufragium. Sacramentum autem pœnitentiæ non est sola contritio, sed habet & satisfactionem & confeßionem: nam his tribus perficitur sacramentum hoc. Et horum trium primum quidem quod est contritio necesse est habere in actu omnino ut repararetur quis. Reliqua uerò duo sat est habere in uoto, sed quod habet quis in uoto, ut iam diximus, necesse est ad actum quandoq; perducere, & tunc cùm adest & commoditas & opportunitas. Ergo accessurum ad sacramētū & habentē copiā confessoris ut mundus à suo peccato accedat, oportet cōfiteri, quia & cōmoditas adest ut ponitur et opportunitas id requirit, quia accessurus est ad sacramentum. Quā opportunitatē qui negat, abeat, ualeat, fruatur iudicio suo. Nam ex Thomæ doctrina hæc omnia sumimus. Audi lector nunc illum. D. Thom. in. 4. d. 12. q. 3. art. 1. ubi quærit an sit necessaria confeßio concludit his uerbis catholicè ac rectè. Paßio Christi sine cuius uirtute nec actuale nec originale peccatum dimittitur, in nobis operatur per sacramētorū susceptionem.

Nota.

nem, quæ ex ipsa efficaciam habent, ideo ad culpæ remissionem, & actualis & originalis peccati, requiritur sacramentum ecclesiæ uel actu susceptum, uel saltem uoto, quando articulus necessitatis, non contemptus, sacramentum excludit, & per consequens illa sacramenta quæ ordinantur contra culpam, cum qua salus esse non potest, sunt de necessitate salutis, & ideo sicut baptismus quo deletur originale est de necessitate salutis, ita & pœnitentiæ sacramentum. Sicut autem aliquis per hoc quòd baptismum petit, se ministris ecclesiæ subijcit, ad quos pertinet dispensatio sacramenti, ita etiam per hoc quòd fatetur peccatum suum, se ministro ecclesiæ subijcit, ut per sacramentum pœnitentiæ ab eo dispēsatum, remissionem consequatur qui congruum remedium adhibere non potest nisi peccatũ agnoscat, quod fit per confessionem peccantis: & ideo confessio est de necessitate salutis eius qui in peccatum actuale mortale cecidit. Hæc ille primũ: unde habes primã cõclusionẽ, quòd ad salutẽ necessaria est cõfessio homini qui peccauit mortaliter. Quoniã uerò in omnibus modus & discretio quædã seruãda est, ideo alia quæstiõe proponit Tho. ut doceat, quãdo talis peccator teneatur confiteri, & ait, Cũ propositũ cõfitẽdi sit annexũ cõtritiõni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, cùm ad contritionẽ tenetur, scilicet quãdo peccata memoriæ occurrũt, cùm præcipuè in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissiõe oporteat eũ incurrere, sicut cùm tenetur ad celebrandũ si desit copia sacerdotis saltẽ cõteri tenetur, & habere propositũ cõfitẽdi.

Sed

Sed ad confeßionem actualiter faciendam obligatur ali quis dupliciter: uno modo per accidens, scilicet quando ad aliquid tenetur quod non potest sine peccato facere nisi confessus. Tunc enim confiteri tenetur, sicut si debeat Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale nisi cõfessus accedere debet, copia sacerdotis oblata & neceßitate non urgente, Et inde uenit obligatio qua Ecclesia obligat omnes ad semel in anno confitendum, quia instituit ut semel in anno scilicet in pascha omnes communionem accipiant, & ideo ante tempus illud omnes confiteri tenentur &c. Hæc Beatus Thom.

Circa domini uerba illa, Hoc est corpus meũ, quòd ly, est, non stet pro significat, sed proprie pro uerbo substantiuo & copula, uere id quidẽ atq; catholicè contra hæreticos docet. Illud tamen offendit. quòd incõstanter hac de re est locutus. puto autem etiam minus q.24. art. ul. idoneè nam in. 3. parte, solum hoc ecclesiæ autoritate dicit haberi nec apparere ullum uerbum ex euãgelio coactiuum, ad intelligendum uerba illa propriè & non metaphoricè. In instructione uerò nuncij, tam uehementer arguit ex his domini & Pauli uerbis, ut non solum coegisse hæreticos uerum etiam confudisse & colligasse illos per hæc, sibi uideatur. Ait enim post plura. Cõfunde demùm istos quærendo ab eis si hæc Christi & Pauli uerba non sat sunt ad docendum uerum corpus Christi esse in sacramento Eucharistiæ. Dicite quæso uos quibus uerbis utendum erat, ut exprimeretur uerũ corpus Christi esse in sacramento &c. Ego uerò hic nõ differam ubi

rectius

rectius scripserit. Hoc tantũ admonebo quòd in hereticos scribere, & arguere inefficaciter, quod certè fecit in hoc, si id quod super summa scripsit sit uerum, non solũ eorũ causam nõ infirmat sed adiuuat. Aut igitur opponẽda erat in eos Ecclesiæ potius autoritas, si nõ poterãt à scripturis conuinci, quam negantes in his quæ huiusmodi sunt, continuo seipsos produnt hereticos: ac suo se iudicio damnant, aut si scripturæ id euincebant non debebat alibi id negare & solũ in ecclesiæ autoritate inniti.

ILlud certe nunquam potui intelligere circa illa domini uerba hoc est corpus meum, quod ait, Pronomen hoc, non demonstrat panem neq; corpus Christi, sed hãc substantiam &c. Si enim certam demonstrat substãtiam & indiuiduam, quæro rursum de illa, aut est panis aut corpus Christi aut aliud quiddam aut nihil, nõ est panis, nõ corpus Christi ut docet, Ergo uel nihil, uel aliud quiddam à pane & corpore Christi, Ergo de nihilo aut de quouis alio quod non est corpus Christi, uerũ erit quod est corpus Christi, qui potest capere capiat. Nam reuerendißimo uidetur hæc doctrina ut alibi docet plana & claræ intelligentiæ. Mihi autem magnum hic esse nodum quem tamẽ resoluerem: non censeo locum esse modo.

DE confirmatione non est aliud quod annotare libeat, nisi quòd in Act. Apo. dicit circa eã rem magis sobriè scripsisse Gregorium quàm Innocentium, quasi uero inuicem pugnauerunt hi pontifices in santiendo quod ita euidenter falsum est, ut putem satis esse lectori innuere: doleo autem quòd hæc scãdalosa sunt apud eos

qui

qui non habent in promptu libros & facile credunt autori.

DE SACRAMENTO poenitentiæ.

DE sacramento pœnitentiæ, & primum quidē ubi tractat de contritione & attritione, nõnulla ut ego non dubito uerè falsa & periculosa dicit. Et primũ est quòd in nostra potestate est diligere deum super omnia, & illum cæteris cunctis rebus præponere, & sic in nostra potestate est talem habere contritionem usq; huc, quæ imperfecta est, quia non est dilectio ex charitate: & amplius dicit quòd huius summæ dilectionis possumus esse certi, imò certi sumus quòd habemus eam, si habemus. & præter hoc, q̃ talis cõtritio qua diligimus deũ super omne amabile, & odio habemus peccatũ super omne odibile, nõ est adhuc ultima dispositio ad gratiã, quia si sic essemus certi aliquando q̃ sumus in gratia, quod tamē nõ cõceditur. Et quidē de primo dicto quin sit reprobatum & Pelagianum, nõ dubito. Nam & ipse met Caietanus aliter in nouis commentarijs docet, quoniam ex uiribus naturalibus nemo potest supra seipsum deum diligere: nõ est enim hoc naturæ, sed gratiæ: quam rem non pono ad disputationem. Tertium uerò dictum uidelicet cõtritionem informem nõ esse ultimam dispositionem ad gratiam, etiam periculosum est, & contra bonitatem dei, & desperationis inductiuum, & falsum puto

Inconstantia doctrinæ.

puto quod poßit homo secundum communem charitatis mensuram sic se pernosse, ut certò sciat se Deum diligere supra omnia: quanto minus si sit absq; charitate, nec obstat quòd Apostolus dixit, Si tradidero corpus meum ita ut ardeat, nõ enim dixit, Si tradidero propter Deum, ut supponit Caietanus, deniq; haec sua doctrina noua est & contra Thomam qui ait, Actus primus poenitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, Et iterum, motus liberi arbitrij qui est in iustificatione impij est ultima dispositio ad gratiã. uideat qui uolet, Plura alia etiam dicit in ea quaestione quae ni fallor indigerent castigatione, sed taedio afficior dum persequor singula. 3.q.89.ar.1. ad.2.& art.2.in corp.

Secundò proponitur homo pertinaciter usque ad mortem uelle in ueniali perseuerare, & quaeritur an sit absoluendus à caeteris peccatis. Caietanus absoluendum respondit, idq; liquidum esse, quoniam (ut ait) hic actus non transcendit ordinem uenialium, nec uenialia remißionem mortalium impediunt, nec unum ueniale cõnexionem cum alijs uenialibus habet. Haec ille. Quae (ut uerum fatear) minimè mihi probantur, Primo, quia supponit posse dari pertinacem in ueniali peccato absq; contemptu, quod nõ probo, Quomodo enim potest esse pertinax in huiusmodi, nisi pro nihilo aut minimo & nõ cõsiderabili ducat peccare uenialiter? At hoc est cõtẽnere ut declarat philosophus. 2. Retho. c. 2. Deinde qui nõ uult ab uno uenialium abstinere ut proponitur quia est ueniale, ex radice factus est oĩm uenialiũ reus: quod euidẽtius appareret si fortè id eẽt grauius ueniale, à quo abstinere

nere non uult, quàm alia à quibus malit abstinere? certissimum enim esset quòd tunc contemnit absolutè peccare uenialiter, & ita non habet ueram de cæteris uenialibus pœnitentiam, quæ si acutè cõsideraueris bone lector intelliges etiam uenialia habere connexionem ad inuicem. Deinde homo pertinax in ueniali nonne est dignus perpetuo supplicio cum uoluntatem habeat peccandi uenialiter perpetuam? Nã sic ageret si perpetuò uiueret ut illa pertinacia declarat. Quomodo ergo non obstabit perpetuæ pœnæ reatus ipsi beatitudini? Postremò uelim cõsiderari multum interesse inter peccare uenialiter de facto, & uelle peccare uenialiter absolutè, id est, quocunque dato ueniali peccato, & uelle pertinaciter peccare uenialiter pariter absolutè. Et uelle peccare uenialiter certo peccato ueniali, & hoc uelle pertinaciter. Nam pertinaciam non possum cogitare sine contemptu: similiter & uoluntatem absolutam & deliberatam peccãdi uenialiter, quæ uidetur non cõstare cũ deliberata peccãdi uolũtate. Ego nullo modo scirẽ id à cõtemptu secernere. Hæc tamẽ peritiorũ iudicio subdo.

In. 4. distin. 17. q. 3. art. 1. & 2. & 4.

Tertiò circa tẽpus quãdo exigitur ipsa cõtritio cũ ex. d. Tho. doctrina teneamus quòd ad cõtritionẽ hõ teneatur cũ pctã memoriæ occurrũt, & cũ est præcipuo in periculo aut articulo mortis. Caie. arguit contra hoc, primò quia sequeretur, inquit, quòd si attereretur peccaret, cũ attritio nõ sit cõtritio. Deinde quia præceptũ affirmatiuũ nõ obligat ad semper, sed ad casum necessitatis, recordari autẽ peccatum non est urgens ratio necessitatis, ut constituaris debitor cõtritiõis tunc habẽdæ, nam

Caietanus in quodlib.

nam & in præcepto baptismi & cõfeßionis, & eleemosynæ de superfluo, nõ inducitur articulus neceßitatis eò quòd occurrat memoriæ, & adsit commoditas. Alioquin detur ratio diuersitatis inter hæc & contritionem cùm sint cuncta affirmatiua præcepta, Non enim obstat si quis dixerit, quòd hoc præceptum quanuis in figura sit affirmatiuum, accipiendum sit ut negatiuum, utpote continens in se hoc, non retineas odium Dei. Nam si sic esset, probaretur quòd singulis momentis teneretur quis conteri, quod non faciens singulis etiam momentis peccaret, non solum quum memoriæ occurreret. Quare sic tandem resoluit quòd præcepta negatiua illa duntaxat, quæ prohibent aliquem actum obligant ad semper, non autem quæ non prohibent actum. Hæc ille. Et adiecit quærens utrum saltem, ut mixtum ex affirmatiuo & negatiuo obligat &c. uideat qui ualet esse patiens: mihi enim obscuritatem potius quàm lucem ingerere uidentur. Tu igitur ut resolutam plenius & certius hanc materiam habeas, cogita primum quòd omne præceptum affirmatiuum negatiuum aliquod includit, & omne negatiuum ex affirmatiuo descendit, ut colere Deum includit non negligere aut non omittere eius cultum cùm est opportunum. Et honorare parentes similiter, non deserere illos aut despicere. Item non occidere proximum uenit ex eo quòd tenemur diligere: qui autem occidit non diligit. Contritionis autem præceptum inde uenit quod tenemur non odisse Deum, & non odisse, inde quia tenemur eum colere, non colit autem qui odit. Ergo semper implemẽtũ affirmatiuorũ li-

berat nos à negatiuis: qui enim proximum diligit, legem implet. Quoniam uerò in negatiuis præceptis prohibetur actus cuius cõmißio semper lædit affirmatiuũ: ideo dicitur quòd ad semper obligãt negatiua: affirmatiua autẽ præcepta tunc demũ læduntur, quando non fit quod præcipitur, cùm opportunum est fieri & exigitur: non enim præcipitur quicquã ut semper fiat: & ideo nõ obligãt ad semper. Sunt enim loca & tẽpora aptata certis operationibus. Nã actus colendi Deum, & honorãdi parentes, & cæteri omniũ uirtutũ, non quouis mom͞eto exiguntur, nec enim poßibile esset: ideo statuta sunt tẽpora & loca & alia multa quæ debent cõcurrere, ut quis teneatur ad hæc implenda. Igitur in proposito uidendũ est si peccator lædit Dei dilectionem ad quam tenetur si quoties occurrit peccatum memoriæ ut peccatum, nõ habet eius displicentiam, & non conteritur. Ego enim circa hoc non dubito, nec dubitandũ eße censeò, quoniã manifestè contemnitur Deus quoties memoriæ occurrit & obijcitur intellectui & uoluntati, quòd est offensus Deus, si non displicet. Conuincor enim de cõtẽptu Dei. Nec obstat quod ipsemet ait, quòd occurrẽte pctõ cõmisso ut materia detestatiõis habẽdæ àme, poßum tripliciter me habere uel cõsentiẽdo in detestationẽ, uel aspernãdo detestationẽ, uel nec amplectẽdo nec cõtẽnẽdo, sed uel nullũ actũ uolũtatis circa illã exercẽdo, & tũc essem neuter uel habere actũ uelleitatis circa illam, puta quia uellẽ habere cõtritionẽ, quãuis in ueritate nõ uelim, quia nõ intẽdo abstinere. Hæc ille. Ex quo cõcludit, quòd ex tali memoria cùm nõ neceßitetur aliquis ad habẽdũ ali-

quem

quem actum, nõ committitur peccatũ si absit contritio. At nos dicimus quòd dato casu quòd quis possit in proposito esse neuter, quod tamẽ nõ puto, nõ propterea sequitur, ergo nõ peccat: tenetur enim in tali memoria nõ esse neuter: nõ enim semper exigitur actus ut sit peccatum, quia omissio actus cum illa exigitur, peccatũ est. Nam quasi actus accipitur quod non agitur cùm debet agi, ut notũ est. Et dominus dixit, Qui non est mecũ, contra me est. Verũ audi quæso te lector, exẽplũ quod proposuit de homine qui furto aliquid subtraxit. Hic enim (ut ait) tenetur restituere. Tenetur enim rem nõ detinere inuito domino, & tenetur restituere statim quia tempus huiusmodi actuũ dilatum, annexam habet contrarietatem ad uirtutem. Restitutio enim dilata habet connexã retentionẽ alieni inuito domino, quæ cõtrariatur charitati. Hæc ille. Et cũ his tamen concludit quòd neuter peccat nõ statim faciendo quod tamen tenetur statim facere. Quæ si quis intelligit admirabor. Quis enim teneatur ad faciendũ quid statim, & non faciens illud statim, non peccet? Verum tædet sollicitari super huiusmodi. Præstat enim detegere fallaciã. Falsum est enim quòd assumit, quòd retinens rem alienã iniustè, tenetur restituere statim, uerum est quòd statim & omni momento tenetur restituere. Sed non tenetur restituere statim & omni momento, ita ut non restituendo statim, aut quocunque momẽto committat nouum peccatum iniustitiæ, sed quum cogitat & uult adhuc retinere. Sic qui est peccator statim tenetur conteri, sed nõ conteri statim nisi cogitet, aut sit obligatus ad cogitandum. Occurente

Nota fallaciam.

autē memoria peccati & apprehēdente intellectu illud, ut offensam Dei manifestè contemnit, si non displiceat aut saltem si non incipiat displicere per uelleitatem illā quam ponit, Et propterea nō obstat quod ipse de attritione obiecit. Nam attritio uia est ad contritionem, nos autem non dicimus quòd quis ut occurrit memoriæ peccatum teneatur contritus esse, sed conteri, id est, actus ad contritionem ducentes elicere, dum enim est aliquis in uia ad faciendum quod præcipitur, iam dicitur facere, licet non perfecisse: & illud satis est ut non peccet, remouetur enim contemptus. De baptismo uerò & confeßione & eleemosyna in quibus occursus in memoriā non constituit tempus neceßitatis, longe alia ratio est: quia homo per ea sacramenta quæ habet in uoto, ut suo tempore illa suscipiat, constituitur amicus Dei, si tamē adsit contritio peccatorum. Quare non ita urgetur ad ea suscipienda de facto, sicut ad contritionem ad quam urgemur propter inimicitiam Dei, in qua homo ne momento quidem stare debet: unde homo id considerans & non curans contemnit. Itaque patet inter hæc ratio differentiæ manifesta. Mitto autē quòd Tho. doctrinā (quia sentiebat aduersus illū se conari) mirificè conatur inuoluere. Secūdū quoq; argu. malè soluit, dicens, quòd quādo peccatū occurrit ut committendū, sufficit non cōsentire, nec tenetur homo dissentire: imò tenetur homo odisse quod est aduersum Deo, & cōsequēter dissentire & detestari illud pro uiribus: neq; puto esse poßibile dari hæc media quæ fingit, posito quòd occurrat peccatū ut cōmittendū, uidelicet, ut nec sit assensus neq; dissensus

aut

aut in alterā partem animi inclinatio. Nam qui non consentit quia consentire non uult, proculdubio dissentit. nec tertiam rationem bene soluit, quia ratio non conclu- Nota.
dit eo modo quo ipse putat. Volo uideas acute lector & hic fallaciā hominis. Ratio talis erat: nec per momentū licitum est stare in peccato mortali ac per hoc statim ut occurrit tenetur illud fugere, iuxta illud eccl 21. Quasi à facie colubri fuge peccatū. Hæc igitur erat ratio. Soluit autem ille sic, Ad tertiam dicitur quòd licet nunquā sit licitum stare in statu peccati, non tamē de nouo semper peccat perseuerans in statu peccati. Sed quid hoc ad rem? non enim id concludebat argumentū. Sed hoc quod quia nō est licitū per momentum stare in peccato, ideo quando occurrit tenetur quis illud detestari & fugere, quod non dubito esse uerissimum: ut sit regula, quòd cū sum in statu aliquo non licito, quotiens hoc occurrit teneor ab eo recedere, non tamen teneor semper, sed quoties occurrit. Hæc dixi quia periculosum censeo aliter docere. Id enim est decipere, & occasionem fallacem præbere ad permanendum in peccato. Regula

QVartò quæritur an sit necesse conteri de singulis mortalibus, id est, an sit necesse siue p unū, siue p plures actus attingere ad singula mortalia in seipsis & formaliter, an uerò sit satis habere contritionē in generali omniū peccatorū quorū habet memoriā. Quo in loco primū distinguit cōtritionem quòd est quædā sacramētalis, & quædā quæ abstrahit à sacramento. Et de sacramentali quidē quòd non requiratur actus ad singula attingens sic ostendit, Si enim id

id requireretur, aut hoc esset ex satisfactiõe, aut ex cõfes ssiõe, aut ex seipsa, uel tãdẽ ex absolutiõe, nõ autẽ ex satisfactiõe, quia unico actu satisfactionis multa mortalia delẽtur. nõ itẽ ex cõfeßiõe, nõ quia nõ exigatur cõfeßio singulorũ peccatorũ in seipsis, sed quia particularis ratio militat in cõfeßiõe quæ fit homini qui iudex cõstitui tur, nec poteſt nõ cognita in particulari iudicare quæ ratio nõ habet locũ in cõtritiõe, quæ corã deo fit qui nõ pẽsat quãtum aut quid, sed ex quãto offertur: unde legi tur, dimissa sunt ei peccata multa quoniã dilexit multũ: & nõ dixit, quoniã displicuerũt ei multa. nõ etiã ex absolutiõe, quia unica absolutio fit absq; explicatiõe singulorũ. Denique nõ ex seipsa, quia cõmuniter doctores tenẽt quòd post singulas attritiões singulorũ peccatorũ satis est si sequatur cõtritio una omniũ in genere. Hæc ille. Ego uerò nõ ut scrupulos adijciã uel imijciã, quędã ex dictis uiri huius ãnotabo: Et primò uanitatę argumẽti & superfluitates cogitationũ, aut nõ intelligo quid uelit ipse dicere quãdo inquit, aut hoc habet cõtritio ex satisfactiõe aut cõfeßiõe, aut absolutiõe. Quis enim poterat dubitare quòd lex satisfactiõis & cõfeßiõis & absolutiõis nõ est lex cõtritiõis etiã sacramẽtalis? nec ualet ex forma, teneor cõfiteri singulariter omnia, ergo etiam singulariter conteri aut satisfacere de omnibus, aut sic etiã absolui. Et cui dubiũ quòd debemus uenari hoc ex proprijs, id est ex lege ipsamet Dei quæ adiacet cõtritioni, ut certo modo fiat? Quòd uerò ipse ait, nõ esse parem rationẽ cõfeßiõis & cõtritiõis uerũ dicit ex parte, quia illa fit homini, hæc corã Deo. Quòd addit non pensare

Deum

Deū quid aut quātū sed ex quāto, falsum est sic absolutè dictū, quia Deus & quid & quātū pēsat, quanquam magis ex quāto. Fateor tñ nō attēdere ad arithmeticā sed ad geometricā proportionē, sicut de uidua duorū minutorū legimus, ubi dominus etiā ibi attēdit ad quātū, quia fuit illud penè tota eius uita, ut ait ipsemet dominus. Quòd uerò subdit de illa peccatrice, quòd dixerit dominus, dimissa illi peccata multa, quoniā dilexit multū, & nō dixerit, quoniā displicuerūt ei multa, manifestissimū est, quia ex negatiua sua hoc infert. Et ex dicto domini cōtrà elicitur, quia si dilexit multū uerè etiā sibi displicuerūt multa, imò & omnia, nō tamē dico singula in sua specie: fortè enim nō occurrebāt singula, hoc autē dicere uolui ut inefficaciam arguendi manifestem.

¶ Puto tamē ut ipsemet dicit, quòd in sacramēto pœnitētiæ, quia cōfessio est singulorū, etiā requiritur displicētia & detestatio & dolor: ac per hoc & cōtritio singulorū, nec uideo quid excogitari cōtra hoc poßit. non tamen nego ante cōfeßionē posse esse contritionem acceptabilem coram Deo, quanquam nō attingat singula in specie, satis est enim quòd in genere & uirtualiter.

Q Vintò quæritur an cōtritio solā culpā remittat, an etiā pœnā. quo in loco ponit eorū opinionem qui dicūt, quòd cùm alia sit pœna quæ debetur contrito, alia uerò quæ debetur incōtrito, cùm hæc sit æterna, illa tēporalis, dici pōt quòd cōtritio totā pœnā pctō mortali debitā tollat. At hoc Caiet. tribus de causis ĩpugnat Prīa est q, iuxta hūc dicēdi modū ponitur pœnā deberi cōtrito, sed cōtrito ut sic, nō debet pœna, alioq cuilibet Nota fallaciam.

contrito deberetur, Verum cauillus est hic, qui etiam pa tet. Non enim dicũt quod contrito ut cõtrito, id est, per hoc factũ quòd displicuit ei peccatum debeatur pœna, hoc enim insanũ esset dicere, sed ex eo quòd olim peccauit, non enim quia sit contritus euadere omnem pœnam debet, nisi contritio tanta sit ut per eam satisfactum fuerit pœnæ debitæ coram deo. Alia ratio Caietani est quia hic modus dicẽdi ponit aliam pœnam deberi contrito & aliam non contrito. Quod putat falsum esse, & ut probet falsum supponit ex mortali peccato reatum incurri trium quæ sunt in pœnis inferni, primum est pœna dãni quæ separat animã à Deo, & hoc respondet ei quod est primũ in pctõ, uidelicet auersio à Deo: secũdũ est pœna sensus, & hoc respondet conuersioni animæ ad temporale bonum quod fuit in peccato. Tertium est æternitas pœnæ & hoc respõdet tertio quod est in peccato, id est, inimicitiæ, quam peccans in deum contraxit, quia inimicus Deo in æternum est puniẽdus. Quum ergo peccator conteritur quia charitate Deo coniungitur, tollitur primò quidem prima pœna damni, & tertia pœna quæ est æternitas illa pœnarum, ex eo quòd qui conteritur charitate Deo coniungitur, & per eandem charitatem amicus dei fit. Remanet ergo pœna sensus ad quã prius tenebatur: & sic non fit ulla pœnæ mutatio. Hec ille in summa. Tu uerò acute lector considera primum quòd id quod statuit, uidelicet, tria esse in peccato, ex seipso dicit, & inepte, nam Thomas & alij, duo solum considerant, uidelicet, auersionem à Deo, & conuersionem ad commutabile bonum, tertium enim quod addit, uidelicet

3. prima. q. 86, art. 4.

inimicum

inimicum fieri Deo, effectus est peccati & pœna, aut si est in peccato, idē est, quod auersio illa à Deo, nisi uelimus fingere & proteruè sustinere positionem. Aeternitas ergo pœnæ damni respondet auersioni ab eo bono quod est incommutabile & æternum, & similiter æternitas pœnæ sensus in inferno respondet conuersioni ad commutabile bonum, quæ saltem in uoluntate peccantis fuit æterna, eo quòd finaliter obstinatus fuit & impœnitens thesaurizauit sibi hanc æternam iram, ut ait Paulus. Et propterea iam patet uerū esse, quòd alia est pœna quæ debetur incontrito quàm quæ debetur contrito. Sicut & aliud fuit peccatum incontriti aliud contriti, quia illud æternum, hoc non. Licet enim utraq; pœna sit pœna sensus, uidelicet contriti & incontriti quæ respōdet conuersioni ad temporale bonum, non tamen sequitur ergo est eadem pœna, nisi quis fortè dicat eandem pœnam esse relegationem & exilium, quod manifestè falsum est: Nam quidam dixit, Quippe relegatus non exul dicor ab illo: aut nisi quis dixerit, quòd eædem pœnæ sint uerberari per horam & per mille dies, aut quòd eædem pœnæ sint purgatiuæ & pœnæ ultrices, nam pœnæ sensus contritorum purgatiuæ sunt, incontritorum uerò ultrices. Non rectè ergo impugnatur illa prima uia respondendi. Sustineri etiam potest aliud quod similiter Caietanus improbat, uidelicet, quòd tota pœna remittitur contrito quæ incontrito fuisset debita: nec sequitur quòd absolute tota pœna sed quæ propria incontritorū est. Vnde & uerißimum est quòd contrito commutatur pœna, uidelicet, infernalis & æterna in tēporalem, quo-

nian

Sed ad confeßionem actualiter faciendam obligatur ali quis dupliciter: uno modo per accidens, scilicet quando ad aliquid tenetur quod non potest sine peccato facere nisi confessus. Tunc enim confiteri tenetur, sicut si debeat Euchariſtiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale nisi cõfessus accedere debet, copia sacerdotis oblata & neceßitate non urgente, Et inde uenit obligatio qua Ecclesia obligat omnes ad semel in anno confitendum, quia instituit ut semel in anno scilicet in pascha omnes communionem accipiant, & ideo ante tempus illud omnes confiteri tenentur &c. Hæc Beatus Thom.

Circa dominĩ uerba illa, Hoc est corpus meũ, quòd ly, est, non stet pro significat, sed proprie pro uerbo substantiuo & copula, uere id quidẽ atq; catholicè contra hæreticos docet. Illud tamen offendit. quòd incõstanter hac de re est locutus. puto autem etiam minus q.24.art.ul. idoneè nam in.3.parte, solum hoc ecclesiæ autoritate dicit haberi nec apparere ullum uerbum ex euãgelio coactiuum, ad intelligendum uerba illa propriè & non metaphoricè. In instructione uerò nuncij, tam uehementer arguit ex his domini & Pauli uerbis, ut non solum coegisse hæreticos uerum etiam confudisse & colligasse illos per hæc, sibi uideatur. Ait enim post plura. Cõfunde demum istos quærendo ab eis si hæc Christi & Pauli uerba non sat sunt ad docendum uerum corpus Christi esse in sacramento Euchariſtiæ. Dicite quæso uos quibus uerbis utendum erat, ut exprimeretur uerũ corpus Christi esse in sacramento &c. Ego uerò hic nõ differam ubi

rectius scripserit. Hoc tantũ admonebo quòd in hæreticos scribere, & arguere inefficaciter, quod certè fecit in hoc, si id quod super summa scripsit sit uerum, non solũ eorũ causam nõ infirmat sed adiuuat. Aut igitur opponẽda erat in eos Ecclesiæ potius autoritas, si nõ poterãt à scripturis conuinci, quam negantes in his quæ huiusmodi sunt, continuo seipsos produnt hæreticos: ac suo se iudicio damnant, aut si scripturæ id euincebant non debebat alibi id negare & solũ in ecclesiæ autoritate inniti.

ILlud certe nunquam potui intelligere circa illa domini uerba hoc est corpus meum, quod ait, Pronomen hoc, non demonstrat panem neq; corpus Christi, sed hãc substantiam &c. Si enim certam demonstrat substãtiam & indiuiduam, quæro rursum de illa, aut est panis aut corpus Christi aut aliud quiddam aut nihil, nõ est panis, nõ corpus Christi ut docet, Ergo uel nihil, uel aliud quiddam à pane & corpore Christi, Ergo de nihilo aut de quouis alio quod non est corpus Christi, uerũ erit quod est corpus Christi, qui potest capere capiat. Nam reuerendißimo uidetur hæc doctrina ut alibi docet plana & claræ intelligentiæ. Mihi autem magnum hic esse nodum quem tamẽ resoluerem: non censeo locum esse modo.

DE confirmatione non est aliud quod annotare libeat, nisi quòd in Act. Apo. dicit circa eã rem magis sobriè scripsisse Gregorium quàm Innocentium, quasi uero inuicem pugnauerunt hi pontifices in santiendo quod ita euidenter falsum est, ut putem satis esse lectori innuere: doleo autem quòd hæc scãdalosa sunt apud eos

qui

qui non habent in promptu libros & facile credunt autori.

DE SACRAMENTO poenitentiæ.

DE *sacramento pœnitentiæ, & primum quidē ubi tractat de contritione & attritione, nō nulla ut ego non dubito uerè falsa & periculosa dicit.* Et primū *est quòd in nostra potestate est diligere deum super omnia, & illum cæteris cunctis rebus præponere, & sic in nostra potestate est talem habere contritionem usq; huc, quæ imperfecta est, quia non est dilectio ex charitate: & amplius dicit quòd huius summæ dilectionis possumus esse certi, imò certi sumus quòd habemus eam, si habemus. & præter hoc, q, talis cōtritio qua diligimus deū super omne amabile, & odio habemus peccatū super omne odibile, nō est adhuc ultima dispositio ad gratiā, quia si sic essemus certi aliquando q; sumus in gratia, quod tamē nō cōceditur.* Et quidē de primo dicto, quin *sit reprobatum &* Pelagianum, *nō dubito.* Nam & *ipse*met Caietanus *aliter in nouis commentarijs docet, quoniam ex uiribus naturalibus nemo potest supra seipsum deum diligere: nō est enim hoc naturæ, sed gratiæ: quam rem non pono ad disputationem.* Tertium *uerò dictum uidelicet cōtritionem informem nō esse ultimam dispositionem ad gratiam, etiam periculosum est, & contra bonitatem dei, & desperationis inductiuum, & falsum*

Inconstantia doctrinæ.

puto

puto quod poßit homo secundum communem charitatis mensuram sic se pernosse, ut certò sciat se Deum diligere supra omnia: quanto minus si sit absq; charitate, nec obstat quòd Apostolus dixit, Si tradidero corpus meum ita ut ardeat, nō enim dixit, Si tradidero propter Deum, ut supponit Caietanus, deniq; haec sua doctrina noua est & contra Thomam qui ait, Actus primus poenitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, Et iterum, motus liberi arbitrij qui est in iustificatione impij est ultima dispositio ad gratiā. uideat qui uolet, Plura alia etiam dicit in ea quaestione quae ni fallor indigerent castigatione, sed taedio afficior dum persequor singula. 3.q.89.ar.1. ad.2.& art. 2.in corp.

SEcundò proponitur homo pertinaciter usque ad mortem uelle in ueniali perseuerare, & quaeritur an sit absoluendus à caeteris peccatis. Caietanus absoluendum respondit, idq; liquidum esse, quoniam (ut ait) hic actus non transcendit ordinem uenialium, nec uenialia remißionem mortalium impediunt, nec unum ueniale cōnexionem cum alijs uenialibus habet. Haec ille. Quae (ut uerum fatear) minimè mihi probantur, Primo, quia supponit posse dari pertinacem in ueniali peccato absq; contemptu, quod nō probo, Quomodo enim potest esse pertinax in huiusmodi, nisi pro nihilo aut minimo & nō cōsiderabili ducat peccare uenialiter? At hoc est cōtēnere ut declarat philosophus. 2. Rethο. c. 2. Deinde qui nō uult ab uno uenialium abstinere ut proponitur quia est ueniale, ex radice factus est oīm ueniali͂u reus: quod euidētius appareret si fortè id eēt grauius ueniale, à quo abstinere

nere non uult, quàm alia à quibus malit abstinere? certissimum enim esset quòd tunc contemnit absolutè peccare uenialiter, & ita non habet ueram de cæteris uenialibus pœnitentiam, quæ si acutè cõsideraueris bone lector intelliges etiam uenialia habere connexionem ad inuicem. Deinde homo pertinax in ueniali nonne est dignus perpetuo supplicio cum uoluntatem habeat peccandi uenialiter perpetuam? Nã sic ageret si perpetuò uiueret ut illa pertinacia declarat. Quomodo ergo non obstabit perpetuæ pœnæ reatus ipsi beatitudini? Postremò uelim cõsiderari multum interesse inter peccare uenialiter de facto, & uelle peccare uenialiter absolutè, id est, quocunque dato ueniali peccato, & uelle pertinaciter peccare uenialiter pariter absolutè. Et uelle peccare uenialiter certo peccato ueniali, & hoc uelle pertinaciter. Nam pertinaciam non possum cogitare sine contemptu: similiter & uoluntatem absolutam & deliberatam peccãdi uenialiter, quæ uidetur non cõstare cũ deliberata peccãdi uolũtate. Ego nullo modo scirẽ id à cõtemptu secernere. Hæc tamẽ peritiorũ iudicio subdo.

In.4.distin. 17.q.3.art. 1.&.2. & 4.

Caietanus in quodlib.

Tertiò circa tẽpus quãdo exigitur ipsa cõtritio cũ ex.d.Tho.doctrina teneamus quò 1 ad cõtritionẽ hõ teneatur cũ pctã memoriæ occurrũt, & cũ est præcipuo in periculo aut articulo mortis. Caie. arguit contra hoc, primò quia sequeretur, inquit, q, si attereretur peccaret, cũ attritio nõ sit cõtritio. Deinde quia præceptũ affirmatiuũ nõ obligat ad semper, sed ad casum necessitatis, recordari autẽ peccatum non est urgens ratio necessitatis, ut constituaris debitor cõtritiõis tunc habẽdæ,

nam

nam & in præcepto baptismi & cōfeßionis, & eleemosynæ de superfluo, nō inducitur articulus neceßitatis eò quòd occurrat memoriæ, & adsit commoditas. Alioquin detur ratio diuersitatis inter hæc & contritionem cùm sint cuncta affirmatiua præcepta, Non enim obstat si quis dixerit, quòd hoc præceptum quanuis in figura sit affirmatiuum, accipiendum sit ut negatiuum, utpote continens in se hoc, non retineas odium Dei. Nam si sic esset, probaretur quòd singulis momentis teneretur quis conteri, quod non faciens singulis etiam momentis peccaret, non solum quum memoriæ occurreret. Quare sic tandem resoluit quòd præcepta negatiua illa duntaxat, quæ prohibent aliquem actum obligant ad semper, non autem quæ non prohibent actum. Hæc ille. Et adiecit quærens utrum saltem, ut mixtum ex affirmatiuo & negatiuo obligat &c. uideat qui ualet esse patiens: mihi enim obscuritatem potius quàm lucem ingerere uidentur. Tu igitur ut resolutam plenius & certius hanc materiam habeas, cogita primum quòd omne præceptum affirmatiuum negatiuum aliquod includit, & omne negatiuum ex affirmatiuo descendit, ut colere Deum includit non negligere aut non omittere eius cultum cùm est opportunum. Et honorare parentes similiter, non deserere illos aut despicere. Item non occidere proximum uenit ex eo quòd tenemur diligere: qui autem occidit non diligit. Contritionis autem præceptum inde uenit quod tenemur non odisse Deum, & non odisse, inde quia tenemur eum colere, non colit autem qui odit. Ergo semper implemētū affirmatiuorū li-

 berat.

berat nos à negatiuis: qui enim proximum diligit, legem implet. Quoniam uerò in negatiuis præceptis prohibetur actus cuius cõmißio semper lædit affirmatiuũ: ideo dicitur quòd ad semper obligãt negatiua: affirmatiua autẽ præcepta tunc demũ læduntur, quando non fit quod præcipitur, cùm opportunum est fieri & exigitur: non enim præcipitur quicquã ut semper fiat: & ideo nõ obligãt ad semper. Sunt enim loca & tẽpora aptata certis operationibus. Nã actus colendi Deum, & honorãdi parentes, & cæteri omniũ uirtutũ, non quouis momẽto exiguntur, nec enim poßibile esset: ideo statuta sunt tẽpora & loca & alia multa quæ debent cõcurrere, ut quis teneatur ad hæc implenda. Igitur in proposito uidendũ est si peccator lædit Dei dilectionem ad quam tenetur si quoties occurrit peccatum memoriæ ut peccatum, nõ habet eius displicentiam, & non conteritur. Ego enim circa hoc non dubito, nec dubitandũ eße censeò, quoniã manifestè contemnitur Deus quoties memoriæ occurrit & obijcitur intellectui & uoluntati, quòd est offensus Deus, si non displicet. Conuincor enim de cõtẽptu Dei. Nec obstat quod ipsemet ait, quòd occurrẽte pctõ cõmisso ut materia detestatiõis habẽdæ àme, poßum tripliciter me habere uel cõsentiẽdo in detestationẽ, uel aspernãdo detestationẽ, uel nec amplectẽdo nec cõtẽnẽdo, sed uel nullũ actũ uolũtatis circa illã exerceẽdo, & tũc essem neuter uel habere actũ uelleitatis circa illam, puta quia uellẽ habere cõtritionẽ, quãuis in ueritate nõ uelim, quia nõ intẽdo abstinere. Hæc ille. Ex quo cõcludit, quòd ex tali memoria cùm nõ neceßitetur aliquis ad habẽdũ ali-

quem

quem actum, nõ committitur peccatũ si absit contritio. At nos dicimus quòd dato casu quòd quis poßit in proposito esse neuter, quod tamẽ nõ puto, nõ propterea sequitur, ergo nõ peccat: tenetur enim in tali memoria nõ esse neuter: nõ enim semper exigitur actus ut sit peccatum, quia omißio actus cum illa exigitur, peccatũ est. Nam quasi actus accipitur quod non agitur cùm debet agi, ut notũ est. Et dominus dixit, Qui non est mecũ, contra me est. Verũ audi quæso te lector, exẽplũ quod proposuit de homine qui furto aliquid subtraxit. Hic enim (ut ait) tenetur restituere. Tenetur enim rem nõ detinere inuito domino, & tenetur restituere statim quia tempus huiusmodi actuũ dilatum, annexam habet contrarietatem ad uirtutem. Restitutio enim dilata habet connexã retentionẽ alieni inuito domino, quæ cõtrariatur charitati. Hæc ille. Et cũ his tamen concludit quòd neuter peccat nõ statim faciendo quod tamen tenetur statim facere. Quæ si quis intelligit admirabor. Quis enim teneatur ad faciendũ quid statim, & non faciens illud statim, non peccet? Verum tædet sollicitari super huiusmodi. Præstat enim detegere fallaciã. Falsum est enim quòd assumit, quòd retinens rem alienã iniustè, tenetur restituere statim, uerum est quòd statim & omni momento tenetur restituere. Sed non tenetur restituere statim & omni momento, ita ut non restituendo statim, aut quocunque momẽto committat nouum peccatum iniustitiæ, sed quum cogitat & uult adhuc retinere. Sic qui est peccator statim tenetur conteri, sed nõ conteri statim nisi cogitet, aut sit obligatus ad cogitandum. Occurente Nota fallaciam.

autẽ memoria peccati & apprehẽdente intellectu illud, ut offensam Dei manifestè contemnit, si non displiceat aut saltem si non incipiat displicere per uelleitatem illã quam ponit, Et propterea nõ obstat quod ipse de attritione obiecit. Nam attritio uia est ad contritionem, nos autem non dicimus quòd quis ut occurrit memoriæ peccatum teneatur contritus esse, sed conteri, id est, actus ad contritionem ducentes elicere, dum enim est aliquis in uia ad faciendum quod præcipitur, iam dicitur facere, licet non perfecisse: & illud satis est ut non peccet, remouetur enim contemptus. De baptismo uerò & confeßione & eleemosyna in quibus occursus in memoriã non constituit tempus neceßitatis, longe alia ratio est: quia homo per ea sacramenta quæ habet in uoto, ut suo tempore illa suscipiat, constituitur amicus Dei, si tamẽ adsit contritio peccatorum. Quare non ita urgetur ad ea suscipienda de facto, sicut ad contritionem ad quam urgemur propter inimicitiam Dei, in qua homo ne momento quidem stare debet: unde homo id considerans & non curans contemnit. Itaque patet inter hæc ratio differentiæ manifesta. Mitto autẽ quòd Tho. doctrinã (quia sentiebat aduersus illũ se conari) mirificè conatur inuoluere. Secũdũ quoq; argu. malè soluit, dicens, quòd quãdo peccatũ occurrit ut committendũ, sufficit non cõsentire, nec tenetur homo dissentire: imò tenetur homo odisse quod est aduersum Deo, & cõsequẽter dissentire & detestari illud pro uiribus: neq; puto esse poßibile dari hæc media quæ fingit, posito quòd occurrat peccatũ ut cõmittendũ, uidelicet, ut nec sit assensus neq; dissensus

aut

aut in alterā partem animi inclinatio. Nam qui non consentit quia consentire non uult, proculdubio dissentit. nec tertiam rationem bene soluit, quia ratio non concludit eo modo quo ipse putat. Volo uideas acute lector & hic fallaciā hominis. Ratio talis erat: nec per momentū licitum est stare in peccato mortali ac per hoc statim ut occurrit tenetur illud fugere, iuxta illud eccl 21. Quasi à facie colubri fuge peccatū. Hæc igitur erat ratio. Soluit autem ille sic, Ad tertiam dicitur quòd licet nunquā sit licitum stare in statu peccati, non tamē de nouo semper peccat perseuerans in statu peccati. Sed quid hoc ad rem? non enim id concludebat argumentū. Sed hoc quod quia nō est licitū per momentum stare in peccato, ideo quando occurrit tenetur quis illud detestari & fugere, quod non dubito esse uerißimum: ut sit regula, quòd cū sum in statu aliquo non licito, quotiens hoc occurrit teneor ab eo recedere, non tamen teneor semper, sed quoties occurrit. Hæc dixi quia periculosum censeo aliter docere. Id enim est decipere, & occasionem fallacem præbere ad permanendum in peccato. Nota. Regula

QVartò quæritur an sit necesse conteri de singulis mortalibus, id est, an sit necesse siue p unū, siue p plures actus attingere ad singula mortalia in seipsis & formaliter, an uerò sit satis habere contritionē in generali omniū peccatorū quorū habet memoriā. Quo in loco primū distinguit cōtritionem quòd est quædā sacramētalis, & quædā quæ abstrahit à sacramento. Et de sacramentali quidē quòd non requiratur actus ad singula attingens sic ostendit, Si enim

id requireretur, aut hoc esset ex satisfactiõe, aut ex cõfes siõe, aut ex seipsa, uel tādē ex absolutiõe, nõ autē ex satisfactiõe, quia unico actu satisfactionis multa mortalia delētur. nõ itē ex cõfeßiõe, nõ quia nõ exigatur cõfeßio singulorū peccatorū in seipsis, sed quia particularis ratio militat in cõfeßiõe quæ fit homini qui iudex cõstituitur, nec potest nõ cognita in particulari iudicare quæ ratio nõ habet locū in cõtritiõe, quæ corā deo fit qui nõ pēsat quā: ũm aut quid, sed ex quāto offertur: unde legitur, dimissa sunt ei peccata multa quoniā dilexit multū: & nõ dixit, quoniā displicuerūt ei multa. nõ etiā ex absolutiõe, quia unica absolutio fit absq; explicatiõe singulorū. Denique nõ ex seipsa, quia cõmuniter doctores tenēt quòd post singulas attritiões singulorū peccatorū satis est si sequatur cõtritio una omniū in genere. Hæc ille. Ego uerò nõ ut scrupulos adijciā uel inijciā, quædā ex dictis uiri huius ānotabo: Et primò uanitatē argumēti & superfluitates cogitationū, aut nõ intelligo quid uelit ipse dicere quādo inquit, aut hoc habet cõtritio ex satisfactiõe aut cõfeßiõe, aut absolutiõe. Quis enim poterat dubitare quòd lex satisfactiõis & cõfeßiõis & absolutiõis nõ est lex cõtritiõis etiā sacramētalis? nec ualet ex forma, teneor cõfiteri singulariter omnia, ergo etiam singulariter conteri aut satisfacere de omnibus, aut sic etiā absolui. Et cui dubiū quòd debemus uenari hoc ex proprijs, id est ex lege ipsamet Dei quæ adiacet cõtritioni, ut certo modo fiat? Quòd uerò ipse ait, nõ esse parem rationē cõfeßiõis & cõtritiõis uerū dicit ex parte, quia illa fit homini, hæc corā Deo. Quòd addit non pensare Deum

Deũ quid aut quãtũ sed ex quãto, falsum est sic absolutè dictũ, quia Deus & quid & quãtũ pẽsat, quanquam magis ex quãto. Fateor tñ nõ attẽdere ad arithmeticã sed ad geometricã proportionẽ, sicut de uidua duorũ minutorũ legimus, ubi dominus etiã ibi attẽdit ad quãtũ, quia fuit illud penè tota eius uita, ut ait ipsemet dominus. Quòd uerò subdit de illa peccatrice, quòd dixerit dominus, dimissa illi peccata multa, quoniã dilexit multũ, & nõ dixerit, quoniã displicuerũt ei multa, manifestissimũ est, quia ex negatiua sua hoc infert. Et ex dicto domini cõtrà elicitur, quia si dilexit multũ uerè etiã sibi displicuerũt multa, imò & omnia, nõ tamẽ dico singula in sua specie: fortè enim nõ occurrebãt singula, hoc autẽ dicere uolui ut inefficaciam arguendi manifestem.

¶ Puto tamẽ ut ipsemet dicit, quòd in sacramẽto pœnitẽtiæ, quia cõfessio est singulorũ, etiã requiritur displicẽtia & detestatio & dolor: ac per hoc & cõtritio singulorũ, nec uideo quid excogitari cõtra hoc possit. non tamen nego ante cõfessionẽ posse esse contritionem acceptabilem coram Deo, quanquam nõ attingat singula in specie, satis est enim quòd in genere & uirtualiter.

QVintò quæritur an cõtritio solã culpã remittat, an etiã pœnã. quo in loco ponit eorũ opinionem qui dicũt, quòd cùm alia sit pœna quæ debetur contrito, alia uerò quæ debetur incõtrito, cùm hæc sit æterna, illa tẽporalis, dici põt quòd cõtritio totã pœnã pctõ mortali debitã tollat. At hoc Caiet. tribus de causis ipugnat Prĩa est q, iuxta hũc dicẽdi modũ ponitur pœnã deberi cõtrito, sed cõtrito ut sic, nõ debet pœna, alioq̃ cuilibet contrito — Nota falla-ciam.

contrito deberetur, Verum cauillus est hic, qui etiam patet. Non enim dicũt quod contrito ut cõtrito, id est, per hoc factũ quòd displicuit ei peccatum debeatur pœna, hoc enim insanũ esset dicere, sed ex eo quòd olim peccauit, non enim quia sit contritus euadere omnem pœnam debet, nisi contritio tanta sit ut per eam satisfactum fuerit pœnæ debitæ coram deo. Alia ratio Caietani est quia hic modus dicẽdi ponit aliam pœnam deberi contrito & aliam non contrito. Quod putat falsum esse, & ut probet falsum supponit ex mortali peccato reatum incurri trium quæ sunt in pœnis inferni, primum est pœna dãni quæ separat animã à Deo, & hoc respondet ei quod est primũ in pctõ, uidelicet auersio à Deo: secũdũ est pœna sensus, & hoc respondet conuersioni animæ ad temporale bonum quod fuit in peccato. Tertium est æternitas pœnæ & hoc respõdet tertio quod est in peccato, id est, inimicitiæ, quam peccans in deum contraxit, quia inimicus Deo inæternum est puniẽdus. Quum ergo peccator conteritur quia charitate Deo coniungitur, tollitur primò quidem prima pœna damni, & tertia pœna quæ est æternitas illa pœnarum, ex eo quòd qui conteritur charitate Deo coniungitur, & per eandem charitatem amicus dei fit. Remanet ergo pœna sensus ad quã prius tenebatur: & sic non fit ulla pœnæ mutatio. Hec ille in summa. Tu uerò acute lector considera primum quòd id quod statuit, uidelicet, tria esse in peccato, ex seipso dicit, & inepte, nam Thomas & alij, duo solum considerant, uidelicet, auersionem à Deo, & conuersionem ad commutabile bonum, tertium enim quod addit, uidelicet

1. prima. q. 86, art. 4.

inimicum

inimicum fieri Deo, effectus est peccati & pœna, aut si est in peccato, idē est, quod auersio illa à Deo, nisi uelimus fingere & proteruè sustinere positionem. Aeternitas ergo pœnæ damni respondet auersioni ab eo bono quod est incommutabile & æternum, & similiter æternitas pœnæ sensus in inferno respondet conuersioni ad commutabile bonum, quæ saltem in uoluntate peccantis fuit æterna, eo quòd finaliter obstinatus fuit & impœnitens thesaurizauit sibi hanc æternam iram, ut ait Paulus. Et propterea iam patet uerū esse, quòd alia est pœna quæ debetur incontrito quàm quæ debetur contrito, Sicut & aliud fuit peccatum incontriti aliud contriti, quia illud æternum, hoc non. Licet enim utraq; pœna sit pœna sensus, uidelicet contriti & incontriti quæ respōdet conuersioni ad temporale bonum, non tamen sequitur ergo est eadem pœna, nisi quis fortè dicat eandem pœnam esse relegationem & exilium, quod manifestè falsum est: Nam quidam dixit, Quippe relegatus non exul dicor ab illo: aut nisi quis dixerit, quòd eædem pœnæ sint uerberari per horam & per mille dies, aut quòd eædem pœnæ sint purgatiuæ & pœnæ ultrices, nam pœnæ sensus contritorum purgatiuæ sunt, incontritorum uerò ultrices. Non rectè ergo impugnatur illa prima uia respondendi. Sustineri etiam potest aliud quod similiter Caietanus improbat, uidelicet, quòd tota pœna remittitur contrito quæ incontrito fuisset debita: nec sequitur quòd absolute tota pœna sed quæ propria incontritorū est. Vnde & uerißimum est quòd contrito commutatur pœna, uidelicet, infernalis & æterna in tēporalem, quoniam

niam desijt à peccato & impedita est illa pœna, & rectè dicitur commutata, unde & David dictum est postquam illum pœnituit, dominus transtulit peccatū tuū
2. Reg. 12. id est, commutauit debitam pœnam ne moriaris in æternum, sed non uiuet filius tuus &c. & per hoc etiam tertius dicendi modus poterat sustineri.

Circa confessionem primùm admiratus sum, quòd ubicunq; in scripturis legimus peccatorum remissionem, non patitur de cōfeßione auriculari intelligi & particularium peccatorum, nā quod est apud Matthæū & Marcum, uenientes ad Ioannem confitebantur peccata sua, exponit, id est, cōfitebantur se esse peccatores, quasi uerò qui confitetur se peccatorē hoc ipso confiteatur peccata sua. Item quod est apud Lucam in actis, Cōfitebantur actus suos, sic interpretatur, Proculdubio in genere aut publica facta, non enim erat confeßio sacramētalis. Nota fiduciā, proculdubio? inquit. At cur proculdubio? Qui enim cōfitetur actus suos spāliter aut particulariter, nōne magis uerū facit hoc dictū quòd cōfitetur actus suos, quàm qui solū in genere cōfitetur? Quis hoc nesciat? Id enim res ipsa indicat, & si quæritur autoritas, hoc docet in prædi. philosophus. Et cū dicatur ibi simpliciter confitebantur actus suos, cur restringit ad actus publicos tātū? idq; proculdubio? nūquid hoc est exponere, an potius destruere ac peruertere absq; causa? Certè. B. Thom. in tertia parte de confeßione explicitè peccatorum & auriculari priora Matthæi & Marci loca intelligit. Vult enim quòd secundum qualitatem peccatorum eis pœnitentia determinaretur. Ita beatus Basilius in regula quam monachis tradidit intellexit.

Ita Chrysost. Beda, Rabanus, & alij plures contra quos præsertim absq; ulla ratiõe loqui, nõ aliud uidetur quàm autoritatem solã suij psius obijcere ut præpollentem sententijs omniũ. Adde quòd si ut fatetur cõfeßio fuit instituta à domino, nihil est incõueniẽs dicere, quòd & tũc esset cœpta seruari mandantibus Apostolis, & id quoq; proditũ esse literis, Quid est ergo cur tantopere ab hac cõfeßione abhorreat? Nam & illud .B. Iacobi mandatũ, Confitemini alterutrum peccata uestra, docet non attinere ad sacramẽtalẽ cõfeßionẽ, quia hæc (inquit) nõ fit inuicẽ, sed ad cõfeßionẽ qua mutuò cõfitemur nos peccatores, ut oretur pro nobis, & de cõfeßiõe hinc inde erratorũ pro mutua placatiõe & recõciliatiõe. Hæc ille. Et tamẽ Aug. & Tho. & alij plurimi locũ illũ ad sacramẽtalẽ cõfeßionẽ applicant, à quibus tã securè recedere puto nõ esse tutũ: nec enim obstat quòd dicat inuicẽ seu alterutrũ, quoniã nõ tã iclemẽter accipiẽdũ est dictũ, id est, ut nõ sacerdotes, et qui nõ habẽt potestatẽ audiãt: nã et Paulus Corinthijs dicit, unusquisq; uestrũ psalmũ habet, doctrinã habet, reuelationẽ habet, linguã habet, interpretationẽ habet &c. nũqd hoc totũ uerũ de unoquoq; Corĩthiorũ. Minime. iõ clemẽter accipiẽd⁹ est sermo, ut loqueretur de maioribus tãtũ q habebãt dona illa. Alioqui si erãt doctores oẽs, ubi discipuli? quã leuis autẽ sit sensus & ĩdignus apostolico spiritu, nec etiam cõueniẽs uerbis, dicere quòd mandauerit apostolus cõfeßionem mutũã illam, ego sum peccator, parce mihi: iudiciũ esto prudẽtiorũ, certè nũquã persuadebor quòd cõfiteri se peccatorẽ, sit cõfiteri peccata: sicut qui confitetur se furem non propterea confessus dicetur furta.

Fatetur

FAtetur apud Ioannem.c.20. à domino institutam fuisse confeßionem non tamē auricularem, sed hoc ecclesiæ arbitrio relictum an ad aurem, an publicè faciē da esset. Quod absurdißimum est, non enim ecclesiæ arbitrio relinquitur quod certo modo seruari & ratio & scriptura docet, nec enim posset ecclesia statutere ut occulta peccata publicè quisq; prodat, ob innumera scā dala quæ inde orirētur. Ergo instituta à domino cōfeßione suapte sponte uenit institutio quoq; modi confitendi, uidelicet ut publica publicè, occulta occultè, & morosum est omnia uelle explicita esse in scripturis: si enim dominus confeßionem instituit, credibile est etiam confitendi modum docuisse, nec alium quàm qui seruatus semper fuit, & quem suadet ipsa ratio, uidelicet ut publica publicè, & occulta occultè confiterentur.

ILlud quoq; non placuit quòd cum confiteatur à domino institutam fuiße confeßionem, non tamen fatetur esse præceptam. Ego uerò ex ipsa institutione præceptam quoq; interpretor: ne frustra tantū remedium institutum dicamus, & cum quilibet teneatur suam salutem quærere, & hic sit modus à domino institutus, & (ut ait Hieronymus) secūda tabula post naufragium, uidelicet ut per confessionem soluatur peccator à sacerdote: quomodo dici potest nō esse præceptū? licebit ergo contemnere bonitatem & gratiam dei, & salutem propriam absq; crimine? Absit à fidelium mentibus, ut hec absurda persuadeantur. Nam ut uideas etiam hic doctrinæ inconstātiam, scito quòd alibi rectius docet uidelicet confeßionem quidem præceptam eße, ut & Tho. docet

Inconstantia doctrinæ.

Tempus

Tempus uero partim ab ecclesia determinatum, partim à necessitate rei. Nam in quæstione illa, An omnes teneantur ad confessionem, sic ait, Ratio ecclesiastici præcepti non est præcipere confeßionem, sed præceptam iure diuino confeßionem determinare quoad tempus executionis, & propterea sub Ecclesiæ præcepto non alia comprehenditur confeßio quàm illa quæ à Christo præcepta est &c. Hæc ille, ex quo loco & tam multis alijs potest prudens lector sane coniectare nouum spiritum in hoc uiro, & nouam doctrinam in calce annorum. In suis quodlibet.

Illud etiam in quæstionem adducit, An ex præcepto ecclesiastico omnes teneantur confiteri semel in anno, Et respondet non teneri omnes, quia non tenentur qui carent mortali crimine. Nam ecclesiastica constitutio non præcipit confeßionem sed præceptæ confeßioni à iure diuino tempus determinat: nemo autem iure diuino tenetur cõfiteri, nisi qui teneantur mortali crimine. Et confirmatur, quia illa cõstitutio mandat omnibus ut confiteantur omnia peccata sua, quod non est intelligendum de uenialibus, quia constat neminem quocunque præcepto teneri ad omnium uenialium cõfeßionem: si igitur de mortalibus tantum loquitur, ergo ad eos tantũ pertinet qui his grauãtur. Quod & ex pœna subiuncta probatur, quia qui non hoc facit, arcendus est ab ingressu ecclesiæ & moriens carere debet Christiana sepultura, hanc uero pœnam non est putandum quòd ecclesia per fectioribus inflixerit. Cõfirmat autem & hæc quòd in clem. de statu monach. ubi monachis menstrua præcipitur confeßio, non imponitur talis pœna, si non faciant,

nec explicatur quòd debeāt omnia confiteri: & ideo illi tenentur ad confeßionem uenialium. Hæc ille in summa. Fatetur *tamen aliam opinionem quæ dicit oppositum, scilicet quòd omnis homo teneatur confiteri etiam si ca reat mortali tutiorem esse non tamen ueram: ego etiam ueram existimo,* Ad *cuius rei notitiam primùm scire de bemus, quòd leges uniuersaliter sanciuntur ob causas re spicientes ad id quod frequentius accidit, neq; propter ea eximuntur à legis uinculo ad quos illa ratio non per tineat: non est enim illud attendendum quod accidit in paucis, id enim contemnũt legislatores.* Puto *autem mẽ tem fuisse* Pontifi. *inducendi duplicem obligationem: pri mam ad confitendum semel in anno quæ ad omnes per tineat ut uerba sonant: alteram ad confitendum omnia scilicet mortalia, ut illud primum absolutè præceptum sit, quoniam dicit,* Omnis *utriusq; sexus fidelis &c. secũ dum uerò habet necessariò implicitam conditionẽ, uideli cet si ipse implicetur mortalibus.* Vnde *non obstat pri mum argumentum, quoniam non admittimus, quòd lex ecclesiastica solum tempus confeßionis determinet, sed determinat & personas: ut intelligatur quòd nemo excusatur à confeßione. sed dicet quis, ergo hoc erit etiã ex diuina lege? minime. sicut enim non est diuinæ legis determinatio temporis sed ecclesiasticæ, ita nec determi natio personarum.* Sed *dices tu homo innocens, iniuriam mihi facit lex quæ me ligat ad quod diuina lex non me li gat, imò nullam tibi facit iniuriam cum suo iure utitur, quod est determinare quod omissum est in iure diuino, sicut de tempore, ita & de personis: ut scias quòd nemo*

excipitur ab hoc uinculo. Iterum dices, At ius diuinum non includit innocentes, ut teneantur confiteri mortalia, fateor, sed Ecclesia hoc ipsum ignorat, & non præsumit aliquem innocentem. At ego scio me innocentem. Tu scis? uerum delicta quis intelligit? At nihil mihi conscius sum. Et tu arcana Dei uidisti? Non hoc aio, inquies, sed quòd nihil mihi conscius sum. Mirabile est hoc quod apud sapientes tanta est dubitatiò de peccatis in genere, & tanta etiam controuersia, tu uerò etiam de proprijs factis circa quæ cadit affectio propria naturalis, tam expeditè iudicas, cùm in rem propriam tam facilè penè omnes uel cæci sumus, uel lippi? Ideo Paulus tibi respondet, quòd & si nihil conscius tibi sis, in hoc tamen non es iustificatus. Dominus enim est qui te iudicat. At inquies, gloria mea testimonium est conscientiæ meæ, quòd purè conuersatus sum in hoc mundo. Et idcirco non uis confiteri? Quomodo possum si non habeo mortalia? & hoc certò scio? mira profectò gratia abundas. Sed nunquid non habes saltem uenialia? Habeo, sed nòn teneor illa confiteri. Nunquid malum est confiteri illa? Non puto. Nunquid superuacuum? Nec id quidem. Nunquid ergo bonum & meritorium? Concedo. Tu igitur qui adeo perfectus es, ut nihil tibi conscius sis, quod etiam magis bonum est & meritorium, quod & magis te seruaret in gratia, contemnis? Non contemno, sed tamen non accipio, quia non teneor. Non igitur uis facere quicquam nisi ad illud tenearis? non dico nihil quicquam, sed hoc nolo facere.

FF Quare

Quare non hoc? Quia mihi sic licet, An quodcunque licet, etiam expedit? Non curo. Mirum certè, ni sis Pharisæus, imò & peior illo. Quamobrem? Quia saltem Pharisæus ille confitebatur Deo, & gratias agebat de donis quæ putabat habere, ita saltem uellem te adire sacerdotem, & id saltem confiteri, quòd sis innocens per gratiam Dei. Inquis, ita facio coram Deo meo. cur non etiam coram sacerdote? Quoniam si id agam, fortè superbus uidebor. Imò id magis: si non confitearis, quoniam alterum duorum cogitabit ecclesia de te, uel quòd contumax sis nolens confiteri, existens peccator: uel quòd præsumptuosus sis, cogitans te innocentem, & tuo teipsum iudicio segregans à peccatoribus. Et ob istam causam mallet ut humiliareris ac de innocentia tua à se permitteres iudicari, non à te. Taces? Quid ergo? concludis ne quòd tenear ego confiteri peccata quæ nescio mortalia? Concludo, quòd teneris confiteri peccata mortalia si habes, non si non habes: & quia teneris metuere ne habeas, quæ tibi non uideris habere, teneris adire sacerdotem, & quæ uenialia tibi uidentur, confiteri atque expromere, ne fortè sint mortalia, quia sæpenumero in hoc fallimur, cuius iudicium est difficilimum, & nemo sui est iudex: quæ etiam causæ si cessarent, teneris non dare scandalum & exemplum malum infirmis, sed subdere te communi legi omnium. nam sic te decet implere omnem iustitiam, si talis tamen es qualem esse te putas. Decet & te imitari sanctos, si sanctus es, nisi fortè sis

sanctus

ſanctus ſanctorum. Hoc autem exploratiſſimum, quòd quantò quis innocentior, tantò etiam in confeſſione & ſacramentis frequentior. Igitur ſuperbiſſimum eſſet quicquam introducere non habens exemplum bonorum. At Caietanus nos aliter docet, ſequere illum ſi uidetur: Et tamen non ab re ille dixit ui ueritatis urgente. Aliam opinionem eſſe tutiorem, puto non intelligens quid diceret, uidelicet quòd illa quæ eſt tutior erat etiã uerior: non enim poteſt poni rationabiliter tutela in falſitate. Sed ut excuſemus hominem, aliud credo dixit quàm quod dicere uoluit. uoluit enim dicere, quòd tutius erat talem confiteri etiam uenialia, licet non teneatur, & non quòd opinio eſſet tutior quæ falſa erat ſuo iudicio, quia nũquam aliquod falſum tutius eſt uero per ſeipſum. Ex his iam uidere potes argumenta eius non concludere: non primum ut diximus, nec ſecundum, quia nõ exigit eccleſia impoßibile, ut quis confiteatur mortalia, ſi non habet, ſed ut uenialia quæ ſcit & occurrunt, ne ſint fortaſſe mortalia, cuius rei iudicium relinquere debet ſacerdoti & Deo, & non ſibi arrogare. Nec obſtat quod addit de pœna quòd uidetur magna: quoniam mereretur etiam maiorem qui adeo ſuperbus eſſet & præſumptuoſus, ut ſeipſum iudicare præſumeret, quãquam milies non ſibi conſcius eſſet: non enim aditur ſacerdos ſolũ ut quis abſoluatur ſi ſit ligatus, uerũetiã ut agnoſcatur ſit ne ligatus an non. Adde quòd illa pœna (quod non uidit Caiet.) non tam reſpicit eum qui nõ cõfitetur, quàm q etiã nõ cõmunicat. Quod uerò de monachis affert magis probat quod dicimus: nã quod illis

præcipitur mẽſtruũ,nõ eſt mirum,ſi laicis annuum præcipiatur.nec reſpondet ad argumentum rectè,quoniam illa decretalis cõiungit omnes ſimul fideles quos uult ad duo teneri ſemel ſaltem in anno,uidelicet ad confeſsionẽ & communionem.nec ratio ſeparationis adducta per illum eſt efficax ut ex ſupra dictis patet. Quos ergo Papa ſtatuens coniungit,homo deſtituens nõ ſeparet.

VBi diſputat Caietanus an cordis occulta confiteri oporteat,licet affirmatiuè concludat & uerè,ita tamen laborat in reſoluẽdo quod dicitur,uidelicet quòd eccleſia nõ iudicat de occultis ut magis implicare quàm explicare nodũ uideatur. Ergo dicas qđ eccleſia nec de occultis iudicat neq; præcipit:ſacerdos autẽ cũ ſibi propalata ſunt pctã de illis iudicat,non de occultis. Quòd ſi dicas eccleſia præcipit quòd omnia peccata confiteamur,ergo etiã occulta,& ita præcipit de occultis,imò Chriſtus eſt qui præcipit tibi ut confitearis ſi uelis abſolui,nõ eccleſia,quæ præceptũ Chriſti potius determinat ad certũ tempus. Tribus igitur uerbis poterat tota quæſtio explicari.

Nota.

VBi etiam cõtra Lutherum rectè concludit,quòd non eſt præſumptuoſum uelle confiteri omnia mortalia,miratus ſum quòd proponens argumẽtum Lutheri quod erat,quia homo uolens omnia purè confiteri nihil uult miſericordiæ dei relinquere,hoc non reſoluit: forte,quia non dignum putauit. At hoc ſaltem dixiſſet ſe id omittere ut indignum reſponſione:propter nouitios tamen & qui ligantur à ſtuppa, breuiter poterat aperiri,quòd qui omnia uult purè confiteri,uult omnia

relinquere misericordiæ dei ignoscenda, sed qui non uult omnia confiteri, ille est qui non uult in aliquo misericordiam: non enim confeßio tollit misericordiã dei, sed prouocat & obtinet, sine qua, illa obtineri non potest.

Circa quæstionem illam de dispositiõe requisita ad cõfeßionem, duo notanda esse censui, alterũ quòd supponit infirmos posse habere testimonium consciẽtiæ suæ quòd ament deum super omnia opere & ueritate, quod si uerum esset etiam scirent se dignos esse amore, contra quod tamen ipsemet docet. Alterum quòd supposita institutione sacramenti, nullus tamen tenetur confiteri, quod tamẽ & falsum est, & contra ipsummet, ut uidimus, qui fatetur quòd ecclesia nõ præcipit confeßionem, sed præceptam à Christo determinat secundum tempus. Quod si quæras quando ergo teneretur si non determinasset tempus Ecclesia? Respondeo quãdo exigeret opportunitas, id est, quãdo communicaret, quãdo adiret pericula uitæ, aut ĩ articulo mortis, aut si spiritus interius exigeret, & conscientia mordens, quod faceret spiritus si ecclesia non statuisset non est autem restendũ spiritui sancto.

ET circa illam quæstionẽ, an singulas species & numerum peccatorum confiteri homo teneatur, in nõ nullis non placet. Primum est quòd cõstituit hoc iudiciũ sacerdotis, esse medicinale, ita ut non respiciat uindictã. Nam si hoc esset, non purgaret: ergo & non solueret à pœna debita peccato, id quod iniungitur pœnæ in hoc mundo à sacerdote, & sic restaret totum exsoluendum in purgatorio: quod est falsißimũ. Vnde & satisfactio

uocatur, & ideo iniungenda ut cõpenset peccator quod in Deum *peccauit, licet nõ hic omnino seruetur iustitia æqualitatis ad rigorem, sed ad arbitrium dei expressum per sacerdotem, cui deberet qui confitetur consentire.* Quod *tamen arbitriũ etiam hic moderandum est iuxta qualitatem peccatorum, non solum ad medelam sed etiã ad uindictam, ut dictum est.* Nam *& talis satisfactio cũ sit in diebus meriti plus debitæ pœnæ & uindictæ cancellat, quàm si nõ in gratia fieret, aut nõ in uia, sed post mortem: quãdo ad rigorem taxatam pœnam luere oportebit pro peccati merito, quod iustus* Deus *arbitrabitur* Quapropter *cũ illud uideatur fundamentum* Caietani, *uidelicet quòd hoc iudicium sit solũ medicinale, & hoc sit falsum, corruit consequenter omne super ædificatum quod in hoc innititur.* Credo *ergo iuxta quod ratio dictat & autoritas doctorũ, quantũ ad numerũ pertinet, quòd si sciat præcise qui confitetur numerum debeat dicere, si non præcise, tamen ut potest: quia non tanta pœna debetur semel peccanti quanta bis, & adhuc si pro medicina tantum esset danda pœna, non idem & tantus morbus est semel peccantis, qui & quantus est eius qui pluries: & propterea non tanta medicina propinanda.* Et *de speciebus peccatorum similiter sicut de circunstãtijs: nõ enim uideo cur species diuinationis, quæ haberẽt peccatum non sint exprimendæ, nam grauius longè est quod fit cum inuocatione dæmonum, aut per uerba diuina, quàm quod fit aliter, ut docet* Tho. *Item maior est curiositas in pluribus speciebus diuinatiõis insistere, quàm in illa aut illa, & ideo maior superstitio.* Adde *ꝗ quædam*

dam non fiunt nisi cum socijs aut per illos, item alia cõmittuntur quæ scire sacerdotem ad medelam etiam ualdè interest, Nec quicquã illud est quod ait, species istas esse latentes. Nõ enim uolumus uel eum, qui confitetur, uel sacerdotem qui audit, habere notitiam distinctam & doctrinalem differentiarum specificarum, sed hoc satis est quòd prudenter ualeat cogitare quæ faciant ad grauitatẽ peccati, & ad habitum firmiorem in peccatore. Neq; tamen hæc ita seuerè exiguntur, ut si forte humana quadam incuria præteriretur, uitietur propterea sacramentum, tamen esset dicendum quod peccatum manifestè grauius faceret, sicut est expressa inuocatio dæmonum, aut abusus sacrorum, aut sacramentorum, aut uerborum diuinorum, quæ sæpe suasu dæmonum superstitionibus ac diuinationibus admiscentur. Sic & circa gulam si multum excedat, & cum læsione corporis magis peccat, quàm qui ob coleram sit impatiens moræ: & similiter qui nimis preciose quàm qui nimis lautè: & idcirco hæc & huiusmodi sunt exprimenda si uenirent in mentem, & certè inquiri deberent.

ET de circunstantia tẽporis uidelicet diei festi, utrũ sit in confeßione exprimenda quicquid alijs uideatur, ipse putat nõ esse necessariò exprimẽdam, quia nec ex morali nec ex ecclesiastico præcepto elicitur præceptum tale particulare. Nam ex morali nulla certa pars temporis est quam cultui diuino exteriori naturalis ratio dedicandam censeat, quamuis enim aliquod tempus, non tamen hoc aut illud, & ideo singulæ partes temporis ab hac sanctificatione absoluuntur. Itaq; in qua-

libet parte peccetur, nunquam polluitur tempus diuino cultui dedicatum. Et eadem ratio est de opere corporali. Solum enim peccatum omißionis debiti cultus ex præceptò morali accideret. Quòd uerò nec ex præcepto ecclesiastico noua nascatur obligatio patet, inquit, quia ecclesia non plus prohibet quàm quod olim ex litera cæremoniali legis antiquæ prohibebatur, imò minus, ut sancto Thomæ placet. Hæc ille. Quæ mihi quidem minimè placent, quòd nulla ratione subsistant. Nam quòd ait ex morali præcepto nullam certam temporis partem esse obnoxiam diuino cultui, & singulas partes ab hac esse absolutas obligatione, non puto esse circunspectè dictum. Nam morale præceptum sanctificationis Dei quod ex naturali ratione uenit, licet non statuat certum tempus quo certo cultui exteriori obligemur, tamen hoc primùm statuit ut in certo die sanctificato, & obseruando, nihil fiat quod contrarium sit laudi Creatoris, quoniam totus dies sanctificatus est, & non certa diei pars. Vnde licet ob humanas neceßitates non sit obligatus toto die uacare certo cultui exteriori, obligatus est tamen toto die non uacare his quæ cultui & sanctificationi contraria sunt. Quid autem magis contrarium quàm peccatum? non enim sanctificato sabbato, sanctificata est illa pars aut illa sabbati, sed totum sabbatum: ideo uiolatur sabbatum per peccatum multo magis quàm alia dies. Scimus enim quòd nulla die est faciendum malum, sed hac præsertim: Sicut enim de loco nemo dubitat quòd si peccemus, peccatum in loco sancto etiam duplex peccatum est, ita

&

& de tempore censendum est, cum sit par ratio. Ad hæc neq; illud esse uerum existimo, quod ait, ex præcepto morali quamlibet sabbati partem esse absolutã à cultu, sic enim uanum redderet morale præceptum, si nulla lex alia fuerit quæ tempus cultui determinaret, qua existente iam morale præceptum uiolatur proculdubio. Ad hæc de sabbato quod solum ait in eo seruilia opera esse prohibita, falsum est, quanquam ad rem non attineat. In eo enim uniuersaliter omnia opera prohibita sunt. Quod uerò etiam ait. non maiorem esse prohibitionem in diebus festis ab ecclesia, quàm olim esset in cæremonia sabbati, fateor quantum ad opera licita quæ prohibentur, sed quantum ad spiritum, lex euãgelica & ita etiam ecclesiastica magis eos astringit ad cultum dei interiorem, iuxta illud, Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Et ob eam causam puto quòd in lege spiritus, illud præceptum cæremoniale de obseruántia sabbati quo prohibetur quodcunq; opus extraneum à cultu dei, multo magis secundum spiritũ prohibeat opus peccati. Et miror quòd isti fateantur hunc esse quidem sensum spiritualem, attamen non debere induci in argumentum. Quo in loco nescio si quod dicunt ipsimet intelligunt. Equidem ipse non capio. Cur enim si hic sensus spiritualis admittitur & uerus est, & à spiritu sancto etiam magis intentus, ut fatentur doctores & Thomas, non tamen probabit sicut ille quem uocant literalem? mihi quidem perplexa hæc sunt, nec intelligibilia.

ITerationem confeßionis eorundem precisè peccatorum à quibus accepta est absolutio, non esse inutilem sed etiam fructuosam ex ui sacramenti concludit hoc argumento. Quoniam quicunque suscipit quodcunque sacramentum ritè ac dignè concurrentibus omnibus requisitis ad sacramentum, non solum ritè recipit sacramentum, sed etiam sacramenti fructum. Sed oportebat probare quòd hic omnia concurrerent quæ requiruntur ad hoc sacramentum, quoniam dicimus materiam deficere quæ sunt peccata remittenda super quæ cadit absolutio sacramentalis, quæ non debet frustra fieri. At hic ponuntur iam remissa per absolutionem peccata, nec esse contracta alia: nec bene faceret qui confitetur, si reticeret sibi esse remissa, quanquam Caietanus dicat non teneri quenquam ad dicendum circunstantiam quæ alleuat sententiam iudicis: Nam hæc est circunstantia quæ omnino aufert absolutionem, cùm semel sit facta: minister enim principaliter absoluit à culpa. Adde quòd hæc circunstantia informat iudicem ad imponendum satisfactionē congruam peccatis: nam si semel ab alio sit imposita satisfactio, & hoc reticeatur non informatur rectè sacerdos. Quòd si dixeris, potest hic suo commodo reus renūciare, ut sic magis abundet in satisfactione. At melius fuisset à principio rogare pleniorē satisfactionē, quàm fictè proponere peccata ut omnino luenda, quæ iam non sunt. Et certè confiteri debemus circunstantias alleuiantes peccata, quanto magis quæ tollunt ea respectu culpæ, & pœnæ quoque saltem ex parte. Potest enim & fieri ut sublatum omnino sit omne debitum pœnæ. Non

obstat

obstat autem quòd ait sacramentum pœnitentiæ se extē dere non solum ad remißionem pœnæ & culpæ, uerum etiam ad extenuationem uitiositatis naturæ & reliquijs peccati, ut docet diuus Thom. qui ait, Extrema unctio ordinatur contra reliquias peccatorum quæ nō sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia. sed certè B. Tho. non dicit quòd sacramentum pœnitentiæ hoc faciat ui sua, sed ipsa pœnitentia coniuncta diligentiæ hominis & scientiæ. Nam de sacramento pœnitentiæ agens non aliud ponit efficaciæ sui ratione quàm sublationem peccati non etiam uitiositatis, licet hæc uitiositas contritione & diligētia & huiusmodi alijs curis uirtutum extenuetur. Alioqui si frequenti confeßione tolli posset, redūdaret profectò ipsa extrema unctio. Cùm ergo in proposito casu cesset materia sacramenti, quæ sunt peccata remittenda, & nō ipsæ reliquiæ & uitiositas: nā ista nō cadunt in confeßionem, iam ludibrio exponeretur sacramentum, si sic inaniter iteraretur. Quis enim prudens sacerdos, si sciret aliquē mox confessum & absolutum, iterum uelle adhuc confiteri atque iterum, patienter superstitiosum huiusmodi hominem audiret? At sacramentum pœnitentiæ iterabile est, quid tum? An ergo iterandum perpetuò? Sed nec puto dari casum talem, nisi quis fatuus omnino fuerit, ut uelit iterare confeßionem nisi ob incertitudinem, an rectè aliàs dixerit omnia, aut quia etiam alia peccata aggregauit, & non ad tollendā uitiositatē naturæ ad quod saltem principaliter non ordinatum est hoc sacramentum. Vnde relinquere hoc debet Eucharistiæ & extremæ un-

3. parte. q. 65. art. 1.

nec explicatur quòd debeat omnia confiteri: & ideo illi tenentur ad confeßionem uenialium. Hæc ille in summa. Fatetur tamen aliam opinionem quæ dicit oppositum, scilicet quòd omnis homo teneatur confiteri etiam si caret mortali tutiorem esse non tamen ueram: ego etiam ueram existimo, Ad cuius rei notitiam primùm scire debemus, quòd leges uniuersaliter sanciuntur ob causas respicientes ad id quod frequentius accidit, neq; propterea eximuntur à legis uinculo ad quos illa ratio non pertineat: non est enim illud attendendum quod accidit in paucis, id enim contemnũt legislatores. Puto autem mẽtem fuisse Pontifi. inducendi duplicem obligationem: primam ad confitendum semel in anno quæ ad omnes pertineat ut uerba sonant: alteram ad confitendum omnia scilicet mortalia, ut illud primum absolutè præceptum sit, quoniam dicit, Omnis utriusq; sexus fidelis &c. secũdum uerò habet necessariò implicitam conditionẽ, uidelicet si ipse implicetur mortalibus. Vnde non obstat primum argumentum, quoniam non admittimus, quòd lex ecclesiastica solum tempus confeßionis determinet, sed determinat & personas: ut intelligatur quòd nemo excusatur à confeßione. sed dicet quis, ergo hoc erit etiã ex diuina lege? minime, sicut enim non est diuinæ legis determinatio temporis sed ecclesiasticæ, ita nec determinatio personarum. Sed dices tu homo innocens, iniuriam mihi facit lex quæ me ligat ad quod diuina lex non me ligat, imò nullam tibi facit iniuriam cum suo iure utitur, quod est determinare quod omissum est in iure diuino, sicut de tempore, ita & de personis: ut scias quòd nemo

excipitur

excipitur ab hoc uinculo. Iterum dices, Atius diuinum non includit innocentes, ut teneantur confiteri mortalia, fateor, sed Ecclesia hoc ipsum ignorat, & non præsumit aliquem innocentem. At ego scio me innocentem. Tu scis? uerum delicta quis intelligit? At nihil mihi conscius sum. Et tu arcana Dei uidisti? Non hoc aio, inquies, sed quòd nihil mihi conscius sum. Mirabile est hoc quod apud sapientes tanta est dubitatio de peccatis in genere, & tanta etiam controuersia, tu uerò etiam de proprijs factis circa quæ cadit affectio propria naturalis, tam expeditè iudicas, cùm in rem propriam tam facilè penè omnes uel cæci sumus, uel lippi? Ideo Paulus tibi respondet, quòd & si nihil conscius tibi sis, in hoc tamen non es iustificatus. Dominus enim est qui te iudicat. At inquies, gloria mea testimonium est conscientiæ meæ, quòd purè conuersatus sum in hoc mundo. Et idcirco non uis confiteri? Quomodo possum si non habeo mortalia? & hoc certò scio? mira profectò gratia abundas. Sed nunquid non habes saltem uenialia? Habeo, sed non teneor illa confiteri. Nunquid malum est confiteri illa? Non puto. Nunquid superuacuum? Nec id quidem. Nunquid ergo bonum & meritorium? Concedo. Tu igitur qui adeo perfectus es, ut nihil tibi conscius sis, quod etiam magis bonum est & meritorium, quod & magis te seruaret in gratia, contemnis? Non contemno, sed tamen non accipio, quia non teneor. Non igitur uis facere quicquam nisi ad illud tenearis? non dico nihil quicquam, sed hoc nolo facere.

Quare non hoc? Quia mihi sic licet, An quodcunque licet, etiam expedit? Non curo. Mirum certè, ni sis Pharisæus, imò & peior illo. Quamobrem? Quia saltem Pharisæus ille confitebatur Deo, & gratias agebat de donis quæ putabat habere, ita saltem uellem te adire sacerdotem, & id saltem confiteri, quòd sis innocens per gratiam Dei. Inquis, ita facio coram Deo meo. cur non etiam coram sacerdote? Quoniam si id agam, fortè superbus uidebor. Imò id magis: si non confitearis, quoniam alterum duorum cogitabit ecclesia de te, uel quòd contumax sis nolens confiteri, existens peccator: uel quòd præsumptuosus sis, cogitans te innocentem, & tuo teipsum iudicio segregans à peccatoribus. Et ob istam causam mallet ut humiliareris ac de innocentia tua à se permitteres iudicari, non à te. Taces? Quid ergo? concludis ne quòd tenear ego confiteri peccata quæ nescio mortalia? Concludo, quòd teneris confiteri peccata mortalia si habes, non si non habes: & quia teneris metuere ne habeas, quæ tibi non uideris habere, teneris adire sacerdotem, & quæ uenialia tibi uidentur, confiteri atque expromere, ne fortè sint mortalia, quia sæpenumero in hoc fallimur, cuius iudicium est difficilimum, & nemo sui est iudex: quæ etiam causæ si cessarent, teneris non dare scandalum & exemplum malum infirmis, sed subdere te communi legi omnium. nam sic te decet implere omnem iustitiam, si talis tamen es qualem esse te putas. Decet & te imitari sanctos, si sanctus es, nisi fortè sis

sanctus

ſanctus ſanctorum. Hoc autem exploratißimum, quòd quantò quis innocentior, tantò etiam in confeßione & ſacramentis frequentior. Igitur ſuperbißimum eſſet quicquam introducere non habens exemplum bonorum. At Caietanus nos aliter docet, ſequere illum ſi uidetur: Et tamen non ab re ille dixit ui ueritatis urgente. Aliam opinionem eſſe tutiorem, puto non intelligens quid diceret, uidelicet quòd illa quæ eſt tutior erat etiã uerior: non enim poteſt poni rationabiliter tutela in falſitate. Sed ut excuſemus hominem, aliud credo dixit quàm quod dicere uoluit. uoluit enim dicere, quòd tutius erat talem confiteri etiam uenialia, licet non tenetur, & non quòd opinio eſſet tutior quæ falſa erat ſuo iudicio, quia nũquam aliquod falſum tutius eſt uero per ſeipſum. Ex his iam uidere potes argumenta eius non concludere: non primum ut diximus, nec ſecundum, quia nõ exigit eccleſia impoßibile, ut quis confiteatur mortalia, ſi non habet, ſed ut uenialia quæ ſcit & occurrunt, ne ſint fortaſſe mortalia, cuius rei iudicium relinquere debet ſacerdoti & Deo, & non ſibi arrogare. Nec obſtat quod addit de pœna quòd uidetur magna: quoniam mereretur etiam maiorem qui adeo ſuperbus eſſet & præſumptuoſus, ut ſeipſum iudicare præſumeret, quàquam milies non ſibi conſcius eſſet: non enim aditur ſacerdos ſolũ ut quis abſoluatur ſi ſit ligatus, uerũetiã ut agnoſcatur ſit ne ligatus an non. Adde quòd illa pœna (quod non uidit Caiet.) non tam reſpicit eum qui nõ cõfitetur, quàm q etiã nõ cõmunicat. Quod uerò de monachis affert magis probat quod dicimus: nã quod illis

relinquere misericordiæ dei ignoscenda, sed qui non uult omnia confiteri, ille est qui non uult in aliquo misericordiam: non enim confeßio tollit misericordiā dei, sed prouocat & obtinet, sine qua, illa obtineri non potest.

Circa quæstionem illam de dispositiōe requisita ad cōfeßionem, duo notanda esse censui, alterū quòd supponit infirmos posse habere testimonium consciētiæ suæ quòd ament deum super omnia opere & ueritate, quod si uerum esset etiam scirent se dignos esse amore, contra quod tamen ipsemet docet. Alterum quòd supposita institutione sacramenti, nullus tamen tenetur confiteri, quod tamē & falsum est, & contra ipsummet, ut uidimus, qui fatetur quòd ecclesia nō præcipit confeßionem, sed præceptam à Christo determinat secundum tempus. Quod si quæras quando ergo teneretur si non determinasset tempus Ecclesia? Respondeo quādo exigeret opportunitas, id est, quādo communicaret, quādo adiret pericula uitæ, aut ī articulo mortis, aut si spiritus interius exigeret, & conscientia mordens, quod faceret spiritus si ecclesia non statuisset non est autem resistendū spiritui sancto.

ET circa illam quæstionē, an singulas species & numerum peccatorum confiteri homo teneatur, in nō nullis non placet. Primum est quòd cōstituit hoc iudiciū sacerdotis, esse medicinale, ita ut non respiciat uindictā. Nam si hoc esset, non purgaret: ergo & non solueret à pœna debita peccato, id quod iniungitur pœnæ in hoc mundo à sacerdote, & sic restaret totum exsoluendum in purgatorio: quod est falsißimū. Vnde & satisfactio

uocatur, & ideo iniungenda ut cõpenſet peccator quod in Deum *peccauit, licet nõ hic omnino ſeruetur iuſtitia æqualitatis ad rigorem, ſed ad arbitrium dei expreſſum per ſacerdotem, cui deberet qui confitetur conſentire. Quod tamen arbitriũ etiam hic moderandum eſt iuxta qualitatem peccatorum, non ſolum ad medelam ſed etiã ad uindictam, ut dictum eſt.* Nam *& talis ſatisfactio cũ ſit in diebus meriti plus debitæ pœnæ & uindictæ cancellat, quàm ſi nõ in gratia fieret, aut nõ in uia, ſed poſt mortem: quãdo ad rigorem taxatam pœnam luere oportebit pro peccati merito, quod iuſtus* Deus *arbitrabitur* Quapropter *cũ illud uideatur fundamentum* Caietani, *uidelicet quòd hoc iudicium ſit ſolũ medicinale, & hoc ſit falſum, corruit conſequenter omne ſuper ædificatum quod in hoc innititur.* Credo *ergo iuxta quod ratio dictat & autoritas doctorũ, quantũ ad numerũ pertinet, quòd ſi ſciat præciſe qui confitetur numerum debeat dicere, ſi non præciſe, tamen ut poteſt: quia non tanta pœna debetur ſemel peccanti quanta bis, & adhuc ſi pro medicina tantum eſſet danda pœna, non idem & tantus morbus eſt ſemel peccantis, qui & quantus eſt eius qui pluries: & propterea non tanta medicina propinanda.* Et *de ſpeciebus peccatorum ſimiliter ſicut de circunſtãtijs: nõ enim uideo cur ſpecies diuinationis, quæ haberẽt peccatum non ſint exprimendæ, nam grauius longè eſt quod fit cum inuocatione dæmonum, aut per uerba diuina, quàm quod fit aliter, ut docet* Tho. *Item maior eſt curioſitas in pluribus ſpeciebus diuinatiõis inſiſtere, quàm in illa aut illa, & ideo maior ſuperſtitio.* Adde *ꝙ quædam*

dam

dam non fiunt nisi cum socijs aut per illos, item alia cõmittuntur quæ scire sacerdotem ad medelam etiam ualdè interest, Nec quicquã illud est quod ait, species istas esse latentes. Nõ enim uolumus uel eum (qui confitetur) uel sacerdotem qui audit, habere notitiam distinctam & doctrinalem differentiarum specificarum, sed hoc satis est quòd prudenter ualeat cogitare quæ faciant ad grauitatẽ peccati, & ad habitum firmiorem in peccatore. Neq; tamen hæc ita seuerè exiguntur, ut si forte humana quadam incuria præterirẽtur, uitietur propterea sacramentum, tamen esset dicendum quod peccatum manifestè grauius faceret, sicut est expressa inuocatio dæmonum, aut abusus sacrorum, aut sacramentorum, aut uerborum diuinorum, quæ sæpe suasu dæmonum superstitionibus ac diuinationibus admiscentur. Sic & circa gulam si multum excedat, & cum læsione corporis magis peccat, quàm qui ob coleram sit impatiens moræ: & similiter qui nimis preciose quàm qui nimis lautè: & idcirco hæc & huiusmodi sunt exprimenda si uenirent in mentem, & certè inquiri deberent.

ET de circunstantia tẽporis uidelicet diei festi, utrũ sit in confeßione exprimenda quicquid alijs uideatur, ipse putat nõ esse necessariò exprimẽdam, quia nec ex morali nec ex ecclesiastico præcepto elicitur præceptum tale particulare. Nam ex morali nulla certa pars temporis est quam cultui diuino exteriori naturalis ratio dedicandam censeat, quamuis enim aliquod tempus, non tamen hoc aut illud, & ideo singulæ partes temporis ab hac sanctificatione absoluuntur. Itaq; in qua-

An circunst[antia] ten[...] sit [...]

libet parte peccetur, nunquam polluitur tempus diuino cultui dedicatum. Et eadem ratio est de opere corporali. Solum enim peccatum omißionis debiti cultus ex præcepto morali accideret. Quòd uerò nec ex præcepto ecclesiastico noua nascatur obligatio patet, inquit, quia ecclesia non plus prohibet quàm quod olim ex litera cæremoniali legis antiquæ prohibebatur, imò minus, ut sancto Thomæ placet. Hæc ille. Quæ mihi quidem minimè placent, quòd nulla ratione subsistant. Nam quòd ait ex morali præcepto nullam certam temporis partem esse obnoxiam diuino cultui, & singulas partes ab hac esse absolutas obligatione, non puto esse circunspectè dictum. Nam morale præceptum sanctificationis Dei quod ex naturali ratione uenit, licet non statuat certum tempus quo certo cultui exteriori obligemur; tamen hoc primùm statuit ut in certo die sanctificato, & obseruando, nihil fiat quod contrarium sit laudi Creatoris, quoniam totus dies sanctificatus est, & non certa diei pars. Vnde licet ob humanas neceßitates non sit obligatus toto die uacare certo cultui exteriori, obligatus est tamen toto die non uacare his quæ cultui & sanctificationi contraria sunt. Quid autem magis contrarium quàm peccatum? non enim sanctificato sabbato, sanctificata est illa pars aut illa sabbati, sed totum sabbatum: ideo uiolatur sabbatum per peccatum multo magis quàm alia dies. Scimus enim quòd nulla die est faciendum malum, sed hac præsertim: Sicut enim de loco nemo dubitat quòd si peccemus, peccatum in loco sancto etiam duplex peccatum est, ita

& de tempore censendum est, cùm sit par ratio. Ad hæc neq; illud esse uerum existimo, quod ait, ex præcepto morali quamlibet sabbati partem esse absolutã à cultu, sic enim uanum redderet morale præceptum, si nulla lex alia fuerit quæ tempus cultui determinaret, qua existente iam morale præceptum uiolatur proculdubio. Ad hæc de sabbato quod solum ait in eo seruilia opera esse prohibita, falsum est, quanquam ad rem non attineat. In eo enim uniuersaliter omnia opera prohibita sunt. Quod uerò etiam ait. non maiorem esse prohibitionem in diebus festis ab ecclesia, quàm olim esset in cæremonia sabbati, fateor quantum ad opera licita quæ prohibentur, sed quantum ad spiritum, lex euãgelica & ita etiam ecclesiastica magis eos astringit ad cultum dei interiorem, iuxta illud, Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Et ob eam causam puto quòd in lege spiritus, illud præceptum cæremoniale de obseruantia sabbati quo prohibetur quodcunq; opus extraneum à cultu dei, multo magis secundum spiritũ prohibeat opus peccati. Et miror quòd isti fateantur hunc esse quidem sensum spiritualem, attamen non debere induci in argumentum. Quo in loco nescio si quod dicunt ipsimet intelligunt. Equidem ipse non capio. Cur enim si hic sensus spiritualis admittitur & uerus est, & à spiritu sancto etiam magis intentus, ut fatentur doctores & Thomas, non tamen probabit sicut ille quem uocant literalem? mihi quidem perplexa hæc sunt, nec intelligibilia.

Iterationem confeßionis eorundem precisè peccatorum à quibus accepta est absolutio, non esse inutilem sed etiam fructuosam ex ui sacramenti concludit hoc argumento. Quoniam quicunque suscipit quodcunque sacramentum ritè ac dignè concurrentibus omnibus requisitis ad sacramentum, non solum ritè recipit sacramentum, sed etiam sacramenti fructum. Sed oportebat probare quòd hic omnia concurrerent quæ requiruntur ad hoc sacramentum, quoniam dicimus materiam deficere quæ sunt peccata remittenda super quæ cadit absolutio sacramentalis, quæ non debet frustra fieri. At hic ponuntur iam remissa per absolutionem peccata, nec esse contracta alia: nec bene faceret qui confitetur, si reticeret sibi esse remissa, quanquam Caietanus dicat non teneri quenquam ad dicendum circunstantiam quæ alleuat sententiam iudicis: Nam hæc est circunstantia quæ omnino aufert absolutionem, cùm semel sit facta: minister enim principaliter absoluit à culpa. Adde quòd hæc circunstantia informat iudicem ad imponendum satisfactionē congruam peccatis: nam si semel ab alio sit imposita satisfactio, & hoc reticeatur non informatur rectè sacerdos. Quòd si dixeris, potest hic suo commodo reus renūciare, ut sic magis abundet in satisfactione. At melius fuisset à principio rogare plenior ē satisfactionē, quàm fictè proponere peccata ut omnino luenda, quæ iam non sunt. Et certè confiteri debemus circunstantias alleuiantes peccata, quanto magis quæ tollunt ea respectu culpæ, & pœnæ quoque saltem ex parte. Potest enim & fieri ut sublatum omnino sit omne debitum pœnæ. Non

obstat

obstat autem quòd ait sacramentum pœnitentiæ se extẽdere non solum ad remißionem pœnæ & culpæ, uerum etiam ad extenuationem uitiositatis naturæ & reliquijs peccati, ut docet diuus Thom. *qui ait*, Extrema *unctio ordinatur contra reliquias peccatorum quæ nõ sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia. sed certè.* B. Tho. *non dicit quòd sacramentum pœnitentiæ hoc faciat ui sua, sed ipsa pœnitentia coniuncta diligentiæ hominis & scientiæ*, Nam de *sacramento pœnitentiæ agens non aliud ponit efficaciæ sui ratione quàm sublationem peccati non etiam uitiositatis, licet hæc uitiositas contritione & diligẽtia & huiusmodi alijs curis uirtutum extenuetur*, Alioqui *si frequenti confeßione tolli posset, redũdaret profectò ipsa extrema unctio. Cùm ergo in proposito casu cesset materia sacramenti, quæ sunt peccata remittenda, & nõ ipsæ reliquiæ & uitiositas: nã ista nõ cadunt in confeßionem, iam ludibrio exponeretur sacramentum, si sic inauiter iteraretur.* Quis *enim prudens sacerdos, si sciret aliquẽ mox confessum & absolutum, iterum uelle adhuc confiteri atque iterum, patienter superstitiosum huiusmodi hominem audiret?* At *sacramentum pœnitentiæ iterabile est, quid tum? An ergo iterandum perpetuò? Sed nec puto dari casum talem, nisi quis fatuus omnino fuerit, ut uelit iterare confeßionem nisi ob incertitudinem, an rectè aliàs dixerit omnia, aut quia etiam alia peccata aggregauit, & non ad tollendã uitiositatẽ naturæ ad quod saltem principaliter non ordinatum est hoc sacramentum. Vnde relinquere hoc debet Eucharistiæ & extrema un-* 3. parte. q. 65. art. 1.

mæ un-

mæ unctionĩ & per uirtutum exercitia longe certius sibi interim hunc effectum comparare. Itaq; bonũ est sal, & omnibus in rebus modus quæ modum habeant.

Lutheri articulus erat, Verum est prouerbium & omnium hominum doctrinis de contritione adhuc traditis præstantius, quòd summa pœnitẽtia & optima, est non amplius peccare, & noua uita. Hunc articulum damnauit summus Pontifex. Quidam aiunt potuisse dimitti, quia potest defendi, cum etiam sit eductum ex patrum sententijs. Caietanus rectè damnatum esse conatur ostendere, quoniam si ad sensum proprium uerborũ spectemus, nec summa nec optima pœnitentia clauditur in his duobus, uidelicet in nõ amplius peccare, & in noua uita, quia præter hæc exigitur dolor de præterito, sicut Petrus fleuit amarè. Item deprecatio misericordiæ Dei. Item sequeretur quòd uerè pœniteret auarus si ab auaritiæ actibus cessaret, & liberalem deinceps ageret uitam: & similiter impudicus &c. Hæc ille in summa. Sed quia sanctũ est præhonorare ueritatẽ, hæc argumenta nihil mouent. Nam in eo quòd uitam nouam agit quis, signũ est quòd pœnituerit eũ ueteris uitæ, & quòd doluit, & quòd deprecatus est pro admißis, idcirco dicere. Vera pœnitentia est non amplius peccare, nihil est aliud quàm si expreßius dixeris, hic effectus & fructus summæ pœnitentiæ & fructus primus est, cessare à peccato, nõ enim est nouũ, rem per effectũ describere: quod nõ latet uel parũ peritos. Instantiã uerò quàm affert de Auaro & impudico nihil dictũ lædit, habet enim fallaciã quoniã mutat dictũ simpliciter in dictũ secũdũ quid:

non

non enim qui desinit esse auarus cõtinuo cessat ab omni uitio, ut simpliciter dici poßit agere nouã uitã, quæ est in nouitate spiritus & nõ in uetustate carnis. Itaq; uerba illa quæ sunt à patribus usurpata, ueritatẽ cõtinent: nec tamẽ iniuria reprobatus est articulus ipse totus qui uenenũ præsentaneũ exhibet. Quod enim ait hoc prouerbiũ esse præstantius omnibus doctrinis, quæ hactenus tradita sunt de cõtritiõe, manifestè indicat quòd uult sufferre dolorẽ & cõtritionẽ ex pœnitẽtia peccati, ut alij articuli satis declarant. Et præter hoc ex ui uerborũ falsum est quod ait, hoc prouerbiũ esse præstãtius omnibus doctrinis &c. quia doctrinæ sanctorũ de cõtritiõe illud idẽ exigunt quod hoc prouerbiũ, & tantò etiã utiliores sunt, quantò cuncta latius explicãt quæ ad uerã pœnitẽtiã ac perfectã faciũt, ut est odiũ peccati, dolor & fletus ex illo, Item amor uirtutis, et dilectio Dei, & tenax nouæ uitæ propositũ, & huiusmodi alia quæ diligẽtius à multis tradũtur. Quare manifestè falsum relinquitur hoc prouerbium præstantius esse, & ideo rectè ac iure optimo dãnatus est hic articulus, quatenus doctrinas catholicas præsumptuosè suggillat ac damnat.

Circa satisfactionem etiam sunt quædam ab hoc doctore dicta quæ non puto planè esse enucleata, ac penitus circunspectè: quæ tamen tædet in disputationem uocare. Qui potest notare notet: nunc de sacramento ordinis aliquid est dicendum.

DE SACRAMENTO ordinis.

Annotaui

ANnotaui circa sacramentum ordinis quod finxit de septem diaconis, quòd non fuerunt uerè diaconi altaris, quam opinionem merito explodēdam esse ab omnibus iure me censuisse existimaui: quoniam contra uetustißimam est doctorum ac sanctorum traditionem & firmam publicamq; omnium persuasionem. Deceptus est autē quòd putauit mensas illas quibus præfecti erāt illi diaconi merè prophanas fuisse, non attendens quòd sacramentum sic olim ministrabatur cum essent fidelibus omnia communia, & in domibus benedicebatur & frāgebatur panis in mēsis in represētatiōe dominicæ cœnæ. qđ ex Apostolo ad Cor. etiā liquet, qui & ordinauit quomodo se honestè in tāto mysterio cōtinere deberent: itaq; diaconi illi sacramēti ministratores erāt. Alioquin quàm indignum, tantos, tam graues, tantiq; testimonij uiros, & cum tanta solennitate, per ieiunia, per orationes, per sacram sacrarum manuum impositionem, præfectos fuisse ministerio tam uili atq; prophano, scilicet ut fierēt pocillatores ac paranymphi ad fercula muliercu lis propinanda. Quis prudens, & admittat hæc? Sed uide quæso Ignatium ipsum qui huiusmodi commentum tāquam uel iam inuentum sciens, uel futurum longè ante præuidēs sic ait. Oportet & diaconis omni modo placere. Non enim in cibo & potu sunt ministri, sed mysterij Ecclesiæ Dei.

¶ Similiter ubi Paulus ad Tim. 3. instruit diaconos, ita scribit, Quia in sacra scriptura non leguntur alij diaconi, quàm qui mensis temporalibus præficiebantur, ideo & de eisdem loqui Paulum intelligo, & ita non loqui

eum de sacris ordinibus: Vnde nullam facit mentionem de sacerdotibus, sed episcopi & diaconi, quorum utrũq; nomen est officij. Hæc ille & falso, & contra scripturas, imò & contra semetipsum. Ipse enim in quodli.1.de ordine, tenet quòd ab Apostolis instituebãtur Diaconi ordinis: quia (inquit) ad Philip.1. Paulus diaconos episcopis iungit dicens; Omnibus sanctis in Christo Iesu cũ episcopis & diaconis, &.1.ad Timo.3. descripto episcopo, describit qualis esse debet diaconus: & quia ambæ ecclesiæ, scilicet Philippensis & Ephesina, cuius erat Timotheus episcopus, erant ecclesiæ gentium, in quibus nõ legimus uixisse in communi Christianos, ut Hierosolymis, ac per hoc non egebant diaconis mensarum & uiduarum, ideo diaconi altaris uidentur esse isti: & confirmatur ex Dionysio ponente diaconatus ordinem in primitiua ecclesia. Vnde diaconatũ ab apostolis credimus incepisse. Hæc ille. Quòd etiam dixit nullam de sacerdotibus Paulum mentionem fecisse, falsum omnino est: ijdẽ enim erant episcopi, qui & presbyteri uocabantur, ut ait Hieronymus, imò Paulus primo ad Titũ, & Ignatius testatur, ut uidimus, episcopos sacerdotes fuiße. Et certè cum ibi Paulus hortetur habere diaconos mysteriũ fidei in conscientia pura quod pertinet ad sacramentũ Eucharist. ut in uerbis consecrationis patet, etiam patet ibi tractari de ordine diaconatus ad quẽ pertinet tale mysterium tractare.

Inconstantia doctrinæ.

DE SACRAMENTO unctionis extremæ.

Dolui

Dolui etiam uehementer quòd conatus est auferre nobis testimonia sacræ unctionis, quæ ex Marco accipiuntur, & Iacobo Apostolo. Nam quod Marcus testatur de discipulis, quòd oleo ungerent infirmos, negat posse hoc intelligi de sacramento quo utitur ecclesia. Cur autem sic non possit intelligi non aliter probat, quasi hoc, ipse dixit. Quod pythagoreorum erat, seruandum sit erga illum. præsertim cum Beda, & Thomas, & alij plures contradicant. Similiter de eo quòd ait. B. Iacobus, infirmatur quis ex uobis sic censet, Nec ex uerbis nec ex effectu uerba hæc loquũtur de sacramẽtali unctione extremæ unctionis, sed magis de unctione quam instituit dominus Iesus exercendam in ægrotis &c. hæc autem ut certè ineptè (quid enim est quod ait unctione extremæ unctionis? quæ est unctio unctionis?) ita & falso sunt dicta: cur enim uerba non congruunt? Quia, inquit, non ibi dicitur, si quis infirmatur ad mortem. Item quia effectus illius unctionis est alleuiatio infirmi. At nunquid hoc illi sacramento repugnat? imò cõgruit, ut Thomas docet, & alij. Adde quòd de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur, uerũ conditio illa uidelicet. si in peccatis sit, tacitè inest. Nũquid enim dimitti uult pctã ijs qui omnino his careãt? Adiecit, quòd iacobus iubet ad unum ægrotum plures uocari presbyteros tum orantes, tum ungẽtes, quod est alienum à ritu extremæ unctionis. Verum illud ad solennitatem, non ad necessitatem iussit Apostolus, quòd si etiam seruaretur, rectè fieret. Quod & à regularibus etiam seruatur ut plures orent, licet unus ungat, sed alij

per

per eum etiam ungere uidentur. Ergo quanquam doluẽrim hæc doceri ab hoc uiro, & contra Augustini & D. Thomæ doctrinam & aliorũ doctorũ & ecclesiæ traditionẽ, atque persuasionem, gauisus tamen sum quòd has attulit rationes, quas refellere nullum fuerit negotium: Quo fit ut dum obscurare nituntur ueritatem, magis profectò illustrent. Nolo autem in allegatiõibus superfluus esse, & morosus lectori perito, & ex aliorum libris catholicorum erudito.

DE SACRAMENTO matrimonij.

DE sacramento matrimonij notat nõ haberi à Paulo matrimonium esse sacramentum, non enim dicit Paulus, Sacramentum hoc magnum est, ut interpres exposuit, sed mysterium hoc magnum est. Quis non miretur? Nunquid Paulus Græcè scribens potuit dicere sacramentum, quæ est uox Latina? Dicens autem Græcè mysterium, id certè Græcè dixit, quod Latinè significat sacramentum. Nam Cyrillus & Chryso. & Basil. & Dionys. ante hos, etiam Eucharistiam mysterium uocãt, & sic alia quæ nos dicimus sacramenta. Quòd si dixisset Paulus sacramentum, adhuc esset quæstio, utrum sic acciperet sicut à Theologis restringitur ea uox. Quòd si de re cõsentimus, uidelicet quòd matrimonium sit sacramẽtũ ut strictim accipitur ea uox, & illud Paul

Ad Ephe. 5.

Nota argumentum.

mysterium Græcè loquens uocat, quod est id quod Latinè sacramentum. Cur igitur nō tale sacramentum Paulus intellexit, atque ea uoce expreßit quale etiam esse confitemur? Sed hoc etiam quæso bone lector, attende, quod ad hoc mysterium declarandum subiecit Caietanus. Sic enim ait, Mysterium hoc magnum est. Et uerè mysterium horū uerborū, Propter hoc relinquet &c. Continent enim indiuisibilitatem coniugij, ut dominus explanauit apud Matthæum. Continent & ius naturæ horrendi coniugium cum patre & matre. Continent & ius debitum à uiro plus uxori quàm patri & matri, & hoc quod modo Paulus declarauit, uxorem esse carnem mariti. Hæc ille. O magna mysteria. Paulus ait, Hoc, id est, ipsum matrimonium, mysterium magnū est. Et Cardinalis exponit, mysterium horum uerborum, Propter hoc relinquet &c. magnum est. Paulus declarat quomodo magnum sit hoc mysterium, id est, in Christo & ecclesia: & Cardinalis, quia illa uerba continent ius horrendi coniugium cum patre & matre, quod & falsum est, ut suo loco dicemus, quod tamen si esset, quàm magnum & admirabile mysterium esset, quod nulla gens adeo fera & immanis unquam ignorauit. Indiuisibilitas etiā coniugij & coniugum arctißima neceßitudo non digna est ut mysterium dicatur: quum etiam naturali ratione suadeatur.

De matrimonio quomodo à Paulo dicatur magnū esse mysterium.

¶ Illud ergo uerè magnū mysteriū est, qđ significatur in Matrimonio, scilicet Christus, & ecclesia: sponsus & spōsa, sic enim semetipsum declarat apostolus: quid igitur adhuc alienam quærimus interpretationem?

Vxore:

VXores plures eundem habere eodemq; tempore non esse contra ius naturale, & nihil indecentiæ naturaliter, nihilq; reprehensibile habere; Item nullibi in sacris literis inueniri prohibitum, pluribus in locis docet. Egò uerò uel primo auditu obstupescens, cum uiderem tam spurcum dogma proferri, non potui non uehementer excandescere. Nunc autem mißis alijs, solummodo in ipsum dogma disputabo, & securim ad radicem ponam. Primùm igitur produco Innocentij tertij uiri sanctißimi ac doctißimi nō autoritatem solum, sed inuictissimum argumentum. Ipse uxorum pluralitatem damnās & interdicens etiam paganis conuersis, qui antequam ad fidem uenerunt, sic erant iuxta suas ipsorum leges cō iuncti, sic ait, Absonum hoc uidetur & inimicum fidei Christianæ, cùm ab initio una costa in unam fœminam conuersa sit, & scriptura testetur; Propter hoc relinquet homo patrē & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Non dixit tres uel plures, sed duo: nec dixit, Adhærebit uxoribus, sed uxori. Et infra. Nec ulli unquam licuit insimul plures habere uxores, nisi cum fuit diuina reuelatione concessum: qui mos quādoque fas esse censetur: per quam sicut Iacob à mendacio, Israëlitæ à furto, & Sampson ab homicidio, sic & patriarchæ & alij uiri iusti qui plures simul leguntur habere uxores, ab adulterio excusantur. Sanè ueridica hæc sententia probatur etiam testimonio ueritatis testātis in euangelio, Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliā duxerit, mœchatur. Si uerò uxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta. per quod euidenter

denter apparet pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia iudicentur, reprobandam. Hæc ille in ca. gaudeamus, de diuort. Nec ualet quod occurrens Cardinalis huic argumento ait, quòd id quod ait Matthæus, Mœchatur, absolutè suppletur à Marco qui ait, Mœchatur in illã. Sed quid hoc ad rem? an quæso qui mœchatur in uxorem suam, propterea non mœchatur? aut qui mœchatur, non mœchatur in uxorem suam? Hic erat neruus argumenti Innocentij, quòd si plures liceret uxores habere, profectò qui etiam dimissa prima alteram duceret, nõ mœcharetur, nec mœcharetur in eam, quia iure suo uteretur, & si malũ fecisset in eam dimittendo illã. Efficax igitur argumentum Innocentij, & onerosa responsio Reuerendißimi est, sicut in Melissum dixit philosophus. Ad hæc uerba domini etiam urgent, qui dixit, Ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos dominus. Hic Chrysosto. ait, his uerbis ostendere dominum, secunda esse uitanda coniugia. Non enim ait, Masculum & fœminas, ut unius coniugis consortio plures necterentur. Contra Iouinianum scribens Hieronymus, & ad Geruntiam, in hanc sententiam conueniens ait, Primi hominis creatura nos docet plures nuptias refutare. Vnus Adam, & una Eua, imò una ex eo costa separatur in fœminam: rursumq; quod diuisum fuerat, nuptijs copulatur, dicente scriptura, Erunt duo in carnem unam, non in duas, nec in tres. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, certè nõ uxoribus. Theophylactus super illis uerbis, Itaque iã non sunt duo, inquit. Quid hic ait Christus? Ostendit

Pro monogamia.

Chrysost.

Hieron.

Theophy.

opus

opus & legislationem eius qui nos à principio formauit, esse monogamiam. Ab initio enim unum coniunxit Deus uni, atque ita non oportet unum uirum coniungi multis &c. Beatus etiam Thomas contra Gent. postquã conclusit non licere plures habere uxores, ita adiecit, Hinc est quod dicitur Gen. 2. Erũt duo in carne una: per hoc autem excluditur consuetudo habendi plures uxores, & opinio Platonis, qui posuit uxores debere esse cõmunes, quem in noua lege secutus est Nicolaus unus ex septem Diaconis. Hæc Thomas. Et in quarto Sent. asserit nulli Christiano unquam licuisse plures simul uxores habere. Quare colligunt õmnes à scriptura scilicet quòd ab initio sic erat & sic disposuit dominus: Et notant Lamech ut odiosum scripturæ, ac Deo, qui primus hanc Dei legem uiolauit, duas sibi asciscendo simul uxores. Hoc in illum obiectat Hieronymus, in hoc alij prorsus oẽs theologi, neminẽ excipio, cõsenserũt: quorum nomina recensere superuacuum existimo. Isidorus enim paucis omnium sententiam circa hoc perstringit in eo loco, dicens, In hac progenie Lamech primus contra morem, contra naturam, per bigamiam adulterium commisit. Etiam amplius desideramus? Audi ergo, Paulus ait, Alligatus es uxori? noli quærere solutionem, Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Aduerte hic lector. Consulit Paulus soluto ab uxore, ne quærat uxorem, alligato autem uxori non consulit ne aliam quærat, quod certè multò magis consulendum erat si licuisset, cùm multò tolerabilior sit bigamia, Thomas. Nota argumenta ex Paulo.

quæ est per copulas successiuas, quàm quæ eodem tempore. Compertißima ergo causa est cur non & illud consuluerit, uidelicet quia sciebat esse notißimum scelus, nec inter consilia memorandum, imò penè dixerim, nec inter præcepta, eò quòd manifestè turpißimum. Deinde aduerte quod sequitur, *Solutus es ab uxore? nō peccasti si uxorem acceperis.* Cui autem dubium esse poterat, *solutum ab uxore non peccare accipientem aliam uxorem, si hoc etiam non solutus posset?* Nota lector urgentem inductionem. Quòd enim dixit, *solutus ab uxore, non peccasti si uxorem duxeris: hanc profectò implicitè rationem continet, ideo non peccasti, quia solutus es.* Si *enim alligatus esses, peccasses, ut pote alligatus primæ, cum qua factus eras una caro ut ei soli tenereris matrimonij sancta lege.* Aduerte & tertiò quod ait, Bonum *est homini uxorem non tangere.* Propter *fornicationē autem unusquisque propriam uxorem habeat, & unaquæq; proprium uirum.* Quid est, *propriam uxorem, & proprium uirum, nisi singularem & non communem alteri, ut & Græca uerba facilè indicant?* Quis *hic igitur* Paulo *resistat?* Dominus ēt cùm beatificat se *quētes relictis omnibus cur non ait, Qui reliquerit uxores, si licitū erat habere plures, & ita fiebat, cur ait uxorem, nisi quia has turpitudines non agnoscebat?* Et *quo modo eßet sacramentum, cùm una sit intelligenda ecclesia coniuncta* Christo, *non plures?* At *istud dogma diuideret ecclesiam, quod nefarium est, in lege* Christi, *sicut & beatus* Augustinus *ad* Valerium *li.1.c.10. si subtiliter consideretur declarat.* Concludo *ergo ex sanctorum*

&

& Pontificum doctrina, ex scripturis sanctis, & naturali ratione, ut Innocentij uerbis utar, Christianæ fidei inimicum esse, & ex se spurcißimum, & Mahumetisticum, dogmatizare cuiquam Christiano licere, aut etiam licuisse, ut ait beatus Thomas, plures eodē tempore habere uxores: quantò magis sacerdoti, & in sacris constituto? Non obstat autem quod ait apostolus, Episcopum unius uxoris uirum: quoniam, ut scribit Hieronymus in Iouinianū, non dicit apostolus, eligatur episcopus qui unam ducat uxorem, & filios faciat, sed qui unam habuerit uxorem. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Siricius Papa, qui & Iouinianū damnauit, declarat hoc Pauli uerbum non ad eū pertinere, qui cum uxore in carnis opere permaneat, sed eum indignum episcopatu censere, qui non unam tātum, sed plures succeßiuè habuerit uxores. Hunc sensum Ambrosius, Aug. & cæteri sancti expositores amplexi sunt, ut digamia prohiberi censeatur. Non est autem uere digamus, qui eodem tempore duas habeat: aut enim nulla est uerè eius uxor, aut altera tantum, Chrysostomum tamen in eo loco Apostoli ad Tim. fateor utranq; opinionem ponere, rem tamen ipsam non probat, uidelicet quòd licitum esset cum pluribus eodem tempore matrimonium. Dubito tamen an fidelis translatio sit. Non obstant autem quæ adducuntur ueterum exempla, quibus etiam olim hæreticus Iouinianus innitebatur, de Sarai & Abraam, de Iacob & uxoribus eius, & alijs huiusmodi. Nam si uerum amamus, non uxorem, sed cōcubinam proponebat Sarai Abrae, ut B. Ambrosius in li.

Pro intellectu uerborū Pauli, Episcopum unius uxoris uirū.

de Abrahã patriarcha planè declarat, & B. Leo pont. ex ipsis scripturæ uerbis egregie probat, qui ait, Nuptiarũ fœdera inter ĩgenuos sunt legitima, multo prius hoc ipsum domino cõstituẽte, quàm initiũ Romani iuris extiterit. Itaque aliud uxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod & Beatus Paulus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abraæ, Eijce ancillam, & filium eius, Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Hæc Leo. Vbi clarè patet cõcubinam fuisse Agar, non uxorem. Quare fateri oportet concubinatum tunc, Domino dissimulante, in peccatum non imputari, sicut nec apud gentes putabatur illicitus. Quid igitur? nunquid & nunc licebit exemplo sanctorum patrum? Absit. Cogimur ergo fateri pleraque olim diuina dispensatiõe tolerata fuisse, ac propterea non reputata turpia, dum adhuc essent tenebræ, quæ tamen postmodum luce adueniente cognita sunt esse turpia, & ideo etiam prohibita. Cognitio enim peccati, si admittitur; peccatum constituit. Ita enim tandem concludit. B. Thom. in libro contra Gent. aiens quod in lege ueteri dispensatione diuina indultum fuit, & plures habere uxores, & concubinis admisceri & diuortium facere, addo ego, & fornicationem admittere. Etenim Abraam sanctus uxorem suam turpitudini exponere in domo Abimelech & Pharaonis nihil curat, ut ipse saluus euadat: & tamen non sunt facienda mala ut eueniant bona. Isaac similiter Rebeccam obtulit, Loth filias Sodomitis, senex ille grandæuus

nus de quo in lib. Iud. capitulo. 19. filiam uirginem prostituere uolebat filijs Belial, ne rem turpiorem admitterent. Hos autem omnes minime reprehendit scriptura, sed potius tacitè cõsilium laudat: Adde quòd etiã aliquãdo christianis putatum est licitum esse concubinatum, & Isidorus palã dicit & ex concilio Toletano accipitur. 34. dist. Quid mirum? nam & usuræ impune sub imperatoribus etiam Christianis diu permissæ sunt & exigebãtur, ut habetur in codice Iustiniani. Redeo ad magnum Patriarcham. Consydera quæso te lector bone, sanctum uirum, post natum eretumque Ismaelem, super quo etiam est exauditus à Domino: post acceptum adultumque Isaac, in quo promissum est illi semen benedictum: post annum centeßimum ætatis longe expletum, adhuc tamen Cethuræ iungitur concubinæ: & qui prius dixerat, Putas ne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? multo etiã antiquior dat operã uoluptati. Quis nunc rem talem in sexagenario non detestaretur? Quis adeo impudicus illud nunc probaret, quod legitur de propheta sancto Dauid, cui iã frigido & moribundo prouidetur puella cuius concubitu incalescat? Mitto Liam & Rachelem sanctas mulieres, quæ ancillas uiro suo sponte prostituebant. Quæ nunc mulier pudica tale facinus nõ exhorreret? Quis hæc in Christi lege non abominetur? Quamobrem recte Hieronymus: Patriarchæ (inquit) non singulas habuere uxores, imò & concubinas plurimas, ut & Dauid multas, & Salomon innumerabiles. Iudas ad Thamar quasi ad scortum ingreditur: & iuxta occidentem literam Osee propheta

Hieronymus ad Gerũtiã.

Propheta non solum meretrici, sed etiam adulteræ copulatur. Quod si & nobis iure cõceditur, adhinniamus ad omnes fœminas, & in exemplũ Sodomæ & Gomorræ ab ultimo die deprehendamur emẽtes & uendentes, nubentes & nuptui tradentes, & tunc sit finis coniugij, quando terminus uitæ. Quod si post diluuium & ante uiguit ista sententia, Crescite & multiplicamini, & replete terram: quid ad nos, in quos fines seculorum deuenerunt: quibus dicitur, Tempus breue est, & iam securis ad radicem posita est, quæ syluam legis & nuptiarum euangelica castitate succidat? Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Hieremias captiuitate propinqua uxorem prohibetur accipere. Ezechiel in Babylone, Mortua est, inquit, uxor mea, & apertũ est os meum. Nec ducturus uxorem, nec ille qui duxerit, possunt in opere coniugali libere prophetare. Olim gloriæ erat illum audire uersiculum, Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Nunc de continentibus dicitur. Qui adhæret Domino, unus spiritus est, &, Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Tũc oculum pro oculo, dentem pro dente: nunc uerberanti maxillam præbemus & alteram. Illo tempore bellatoribus dicitur, Accingere gladio tuo super femur tuum potentißime: modo audit Petrus, Conde gladium tuum in uaginam. Hæc dicimus non separantes legem & euangelium, ut Marcion calumniatur, sed unum atq; eundem Deum suscipientes, qui pro uarietate temporum atque causarum, principium et finis, serit ut metat, plantat ut habeat quod succidat: iacit fundamentum, ut ædificationi con-

Nota quod nolunt capere heretici.

ni consummato seculo culmen imponat. Hæc ille, non mi
nus uere quàm eleganter, quibus sententijs Ambrosius,
Augustinus, & omnis theologorum schola multis in lo
cis (quæ longum esset referre) astipulantur. Quis enim
nunc ferat episcopum dum ecclesiæ superintendere de-
bet, etiam rei uxoriæ operam dare? & sacerdotem ma-
ne sacramentum tractare, qui noctu uxori, aut etiam
uxoribus, ut ista doctrina permittit, se commiscuerit?
¶ Ait Erasmus ac Lutherus, Melius est uxori copulari
quàm concubinæ aut adulteræ, ut faciunt & monachi In Erasmi.
& sacerdotes & episcopi. Non dicant, melius hoc, sed
utrunque malum. non dicant uxori, cum non sit uxor,
quam non Deus, sed diabolus & libido coniunxit. Nec
dicant minus malum, si uxor permitteretur, quàm quod
nunc agunt simulantes cælibatum, uiolantes uota. Lon-
ge melius est (ut ita & nos loquamur) legem esse san-
ctam & honestam, ut decet, etsi appareant transgres-
sores, qui illam uiolent, quàm uel non esse, ut illi non
peccent, aut minus peccent, aut esse in lege ipsa pecca-
tum. Infandißimum enim hoc, & in iniuriam legisla-
toris uergeret. Non enim quia Iudæi iugum legis illud
difficile & importabile excutiebant non seruando, id-
circo mutauit legem eo tempore sapientißimus Deus:
Neque quia etiam nunc Christiani peßimi sunt, legem
mutat, quam æternam esse decreuit. Similiter non im-
mutanda sunt, quæ à monachis & clericis, aut sacerdo-
tibus & episcopis rectißima ratione exiguntur, quia
iugum siue onus non ferant, sed crebra transgreßione
excutiant. Aiunt hæretici, Nequimus portare hoc. An
mirandum

Nota rationem hereticorum. mirandum est si porci portare nequeant quicquam sanctum & pudicũ. Miramur si fluxũ sanguinis patiatur, qui nõ solũ non attingunt fimbriã uestimenti Iesu, sed cõprimunt eum, sed lacerãt, scinduntq; incõsutilem eius tunicam, quòd in illis est, cuius sortẽ sua impia ac perfida cõtumacia amiserunt? Græca ecclesia quæ hoc onus ex parte reiecit, & iam ut schismatica nõ audit matris & magistræ suæ uocẽ nõ tamẽ eousq; processit ut isti temulẽtissimi. Nõ enim nouas nuptias iure sacerdotes eius ecclesiæ lege permittũtur, & si iam ante sacerdotiũ contractas nõ dissoluãt, cõtra quod temerarie scripsit Erasmus, ut Sorbonica adnotauit cẽsura: quod etiam ineptè & frigide excusat, imo etiã excusando magis accusat.

In Erasmũ.

Ambrosius in synodo. Deniq; has infandas hæreticorũ spurcitias B. Ambrosius in synodo cũ multis presbyteris digna sentẽtia execratus est: de quo ad ecclesiã suã ita scripsit, Nos sanè nuptias nõ aspernamur, sed uirginũ nuptias maiore honorificẽtia ueneramur. Facto igitur presbytero constitit doctrinæ nostræ, id est, Christianæ esse cõtraria, unde apostoli secuti preceptũ, quia aliter quàm quod accepimus, annũciabãt, omniũ nostrũ tam presbyterorũ quàm totius etiã cleri una suscitata fuit sentẽtia, ut Iouinianus, Auxẽtius, Genialis Germinator, Fœlix, Prontinus, Marcianus. Ianuarius, & Ingeniosus, qui autores nouæ heresis & blasphemiæ inuenti sunt, diuina sententia & nostro iudicio in perpetuum damnati extra ecclesiã remanerent. Hæc Ambrosius. Origenes quoq; super li. Numeri ex Apostoli doctrina mire colligit & probat, illius solius esse offerre iuge & indesinens sacrificiũ, qui perpetuæ & indesinenti

Origenes.

ſinenti ſe deuouerit caſtitati. Nos *igitur qui ſanctorum
pudica exẽpla & doctrinã ſuſcipimus, qui uoci eccleſiæ
catholicæ auſcultamus, qui ſumus ſub gratia, nõ ſub le-
ge, qui exuimus ueterẽ & de terra terrenũ hominẽ cum
actibus ſuis, & induimus nouũ illũ de cælo cæleſtẽ, quẽ
de uirgine uirginẽ, de immaculata & immaculato cõiu
gio immaculatiſſimũ illũ cõtemplamur, qui matrẽ inte-
meratã non niſi uirginibus commendandam decernit, &*
Io*ſeph ſponſo, &* Ioã*ni filio, qui primus eunuchos facit,
& propria uoce collaudat, eos inquã eunuchos qui ſe-
metipſos propter regnũ cælorum caſtrauerint, qui cau-
ſam cõditionẽq; matrimonij adeo coartat, ut dixerint ei
ſapientes,* Si *ita eſt cauſa hominis cũ uxore, non expedit
nubere: ipſe autẽ reſpondit,* Non *omnes capiunt uerbũ
hoc: certè hæretici &* Eraſ*mus non capiunt uerbũ hoc,
qui putant potius expedire, quibus non eſt breue tẽpus,
nihil eſt recapitulatũ, nec iam uerus dies illuxit:* At *nos
inquam quibus apparuit uera lux, qui dignitatem no-
ſtram conſyderamus, & æquari* Angelis Dei *in paradi-
ſo audimus, & iam arram quãdam accepimus in* Ie-
ſu Chriſto, *mittamus prophaniſſimas has doctrinas, quæ
Mahumeticis traditionibus fauent, & feramur cælibes
in contemplationes cæleſtes, ut uerè conuerſatio noſtra
in cælis ſit, & quod promiſimus, ſeruemus.* Potens *eſt*
Chriſt*us, imo uel fimbria ueſtimenti eius facere ut ſerue
mus.* Innumeri *ſeruauerunt, & adhuc* (Deo *gratia eſt*)
ſeruant. Quod *ſi quidam excidunt, & irritam faciunt
primã fidẽ, quid ad nos?* Nõ *quid illi faciãt, reſpicere, ſed
qđ æquũ eſt, et oportet nos facere, cõſiderare, debemus.*

Copulæ

mysterium Græcè loquens uocat, quod est id quod Latinè sacramentum. Cur igitur nõ tale sacramentum Paulus intellexit, atque ea uoce expreßit quale etiam esse confitemur? Sed hoc etiam quæso bone lector, attende, quod ad hoc mysterium declarandum subiecit Caietanus. Sic enim ait, Mysterium hoc magnum est. Et uerè mysterium horũ uerborũ, Propter hoc relinquet &c. Continent enim indiuisibilitatem coniugij, ut dominus explanauit apud Matthæum. Continent & ius naturæ horrendi coniugium cum patre & matre. Continent & ius debitum à uiro plus uxori quàm patri & matri, & hoc quod modo Paulus declarauit, uxorem esse carnem mariti. Hæc ille. O magna mysteria. Paulus ait, Hoc, id est, ipsum matrimonium, mysterium magnũ est. Et Cardinalis exponit, mysterium horum uerborum, Propter hoc relinquet &c. magnum est. Paulus declarat quomodo magnum sit hoc mysterium, id est, in Christo & ecclesia: & Cardinalis, quia illa uerba continent ius horrẽdi coniugium cum patre & matre, quod & falsum est, ut suo loco dicemus, quod tamen si esset, quàm magnum & admirabile mysterium esset, quod nulla gens adeo fera & immanis unquam ignorauit. Indiuisibilitas etiã coniugij & coniugum arctißima neceßitudo non digna est ut mysterium dicatur: quum etiam naturali ratione suadeatur.

De matrimonio quomodo à Paulo dicatur magnũ esse mysterium.

¶ Illud ergo uerè magnũ mysteriũ est, quod significatur in Matrimonio, scilicet Christus, & ecclesia: sponsus & spõsa, sic enim semetipsum declarat apostolus: quid igitur adhuc alienam quærimus interpretationem?

VXores plures eundem habere eodemq; tempore non esse contra ius naturale, & nihil indecentiæ naturaliter, nihilq; reprehensibile habere; Item nullibi in sacris literis inueniri prohibitum, pluribus in locis docet. Ego uerò uel primo auditu obstupescens, cum uiderem tam spurcum dogma proferri, non potui non uehementer excandescere. Nunc autem missis alijs, solummodo in ipsam dogma disputabo, & securim ad radicem ponam. Primùm igitur produco Innocentij tertij uiri sanctissimi ac doctissimi nō autoritatem solum, sed inuictissimum argumentum. Ipse uxorum pluralitatem damnās & interdicens etiam paganis conuersis, qui antequam ad fidem uenerunt, sic erant iuxta suas ipsorum leges cō iuncti, sic ait, Absonum hoc uidetur & inimicum fidei Christianæ, cùm ab initio una costa in unam fœminam conuersa sit, & scriptura testetur, Propter hoc relinquet homo patrē & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Non dixit tres uel plures, sed duo: nec dixit, Adhærebit uxoribus, sed uxori. Et infra. Nec ulli unquam licuit insimul plures habere uxores, nisi cum fuit diuina reuelatione concessum: qui mos quādoque fas esse censetur: per quam sicut Iacob à mendacio, Israëlitæ à furto, & Sampson ab homicidio, sic & patriarchæ & alij uiri iusti qui plures simul leguntur habere uxores, ab adulterio excusantur. Sanè ueridica hæc sententia probatur etiam testimonio ueritatis testātis in euangelio, Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliā duxerit, mœchatur. Si uerò uxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta. per quod euidenter

denter apparet pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia iudicentur, reprobandam. Hæc ille in ca. gaudeamus, de diuort. Nec ualet quod occurrens Cardinalis huic argumento ait, quòd id quod ait Mattheus, Mœchatur, absolutè suppletur à Marco qui ait, Mœchatur in illã. Sed quid hoc ad rem? an quæso, qui mœchatur in uxorem suam, propterea non mœchatur? aut qui mœchatur, non mœchatur in uxorem suam? Hic erat neruus argumenti Innocentij, quòd si plures liceret uxores habere, profectò qui etiam dimissa prima alteram duceret, nõ mœcharetur, nec mœcharetur in eam, quia iure suo uteretur, & si malũ fecisset in eam dimittendo illã. Efficax igitur argumentum Innocentij, & onerosa responsio Reuerendissimi est, sicut in Melissum dixit philosophus. Ad hæc uerba domini etiam urgent, qui dixit, Ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos dominus. Hic Chrysosto. ait, his uerbis ostendere dominum, secunda esse uitanda coniugia. Non enim ait, Masculum & fœminas, ut unius coniugis consortio plures necterentur. Contra Iouinianum scribens Hieronymus, & ad Geruntiam, in hanc sententiam conueniens ait, Primi hominis creatura nos docet plures nuptias refutare. Vnus Adam, & una Eua, imò una ex eo costa separatur in fœminam: rursumq; quod diuisum fuerat, nuptijs copulatur, dicente scriptura, Erunt duo in carnem unam, non in duas, nec in tres. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, certè nõ uxoribus. Theophylactus super illis uerbis, Itaque iã non sunt duo, inquit. Quid hic ait Christus? Ostendit opus

Pro monogamia.

Chrysost.

Hieron.

Theophy.

opus & legislationem eius qui nos à principio formauit, esse monogamiam. Ab initio enim unum coniunxit Deus uni, atque ita non oportet unum uirum coniungi multis &c. Beatus etiam Thomas contra Gent. postquã conclusit non licere plures habere uxores, ita adiecit, Hinc est quod dicitur Gen. 2. Erũt duo in carne una, per hoc autem excluditur consuetudo habendi plures uxores, & opinio Platonis, qui posuit uxores debere esse cõmunes, quem in noua lege secutus est Nicolaus unus ex septem Diaconis. Hæc Thomas. Et in quarto Sent. asserit nulli Christiano unquam licuisse plures simul uxores habere. Quare colligunt omnes à scriptura scilicet quòd ab initio sic erat & sic disposuit dominus: Et notant Lamech ut odiosum scripturæ, ac Deo, qui primus hanc Dei legem uiolauit, duas sibi asciscendo simul uxores. Hoc in illum obiectat Hieronymus, in hoc alij prorsus oẽs theologi, neminẽ excipio, cõsenserũt: quorum nomina recensere superuacuum existimo. Isidorus enim paucis omnium sententiam circa hoc perstringit in eo loco, dicens, In hac progenie Lamech primus contra morem, contra naturam, per bigamiam adulterium commisit. Etiam amplius desideramus? Audi ergo, Paulus ait, Alligatus es uxori? noli quærere solutionem, Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Aduerte hic lector. Consulit Paulus soluto ab uxore, ne quærat uxorem, alligato autem uxori non consulit ne aliam quærat, quod certè multò magis consulendum erat si licuisset, cùm multò tolerabilior sit bigamia,

Thomas. Nota argumenta ex Paulo.

quæ est per copulas successiuas, quàm quæ eodem tempo re. Compertissima ergo causa est cur non & illud consu luerit, uidelicet quia sciebat esse notissimum scelus, nec inter consilia memorandum, imò penè dixerim, nec inter præcepta, eò quòd manifestè turpissimum. Deinde aduer te quod sequitur, Solutus es ab uxore? nō peccasti si uxo rem acceperis. Cui autem dubium esse poterat, solu tum ab uxore non peccare accipientem aliam uxorem, si hoc etiam non solutus posset? Nota lector urgentem inductionem. Quòd enim dixit, solutus ab uxore, non peccasti si uxorem duxeris: hanc profectò implicitè ra tionem continet, ideo non peccasti, quia solutus es. Si enim alligatus esses, peccasses, ut pote alligatus primæ, cum qua factus eras una caro ut ei soli tenereris matri monij sancta lege. Aduerte & tertiò quod ait, Bonum est homini uxorem non tangere. Propter fornicationē autem unusquisque propriam uxorem habeat, & una quæq; proprium uirum. Quid est, propriam uxorem, & proprium uirum, nisi singularem & non commu nem alteri, ut & Græca uerba facilè indicant? Quis hic igitur Paulo resistat? Dominus ēt cùm beatificat se quētes relictis omnibus cur non ait, Qui reliquerit uxo res, si licitū erat habere plures, & ita fiebat, cur ait uxo rem, nisi quia has turpitudines non agnoscebat? Et quo modo esset sacramentum, cùm una sit intelligenda eccle sia coniuncta Christo, non plures? At istud dogma diui deret ecclesiam, quod nefarium est, in lege Christi, sicut & beatus Augustinus ad Valerium li.1.c.10. si subtili ter consideretur declarat. Concludo ergo ex sanctorum

&

& Pontificum doctrina, ex scripturis sanctis, & naturali ratione, ut Innocentij uerbis utar, Christianae fidei inimicum esse, & ex se spurcissimum, & Mahumetisticum, dogmatizare cuiquam Christiano licere, aut etiam licuisse, ut ait beatus Thomas, plures eodẽ tempore habere uxores: quantò magis sacerdoti, & in sacris constituto? Non obstat autem quod ait apostolus, Episcopum unius uxoris uirum: quoniam, ut scribit Hieronymus in Iouinianũ, non dicit apostolus, eligatur episcopus qui unam ducat uxorem, & filios faciat, sed qui unam habuerit uxorem. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Siricius Papa, qui & Iouinianũ damnauit, declarat hoc Pauli uerbum non ad eũ pertinere, qui cum uxore in carnis opere permaneat, sed eum indignum episcopatu censere, qui non unam tãtum, sed plures successiuè habuerit uxores. Hunc sensum Ambrosius, Aug. & caeteri sancti expositores amplexi sunt, ut digamia prohiberi censeatur. Non est autem uere digamus, qui eodem tempore duas habeat: aut enim nulla est uerè eius uxor, aut altera tantum, Chrysostomum tamen in eo loco Apostoli ad Tim. fateor utranq; opinionem ponere, rem tamen ipsam non probat, uidelicet quòd licitum esset cum pluribus eodem tempore matrimonium. Dubito tamen an fidelis translatio sit. Non obstant autem quae adducuntur ueterum exempla, quibus etiam olim hereticus Iouinianus innitebatur, de Sarai & Abraam, de Iacob & uxoribus eius, & alijs huiusmodi. Nam si uerum amamus, non uxorem, sed cõcubinam proponebat Sarai Abrae, ut. B. Ambrosius in li.

Pro intellectu uerborũ Pauli, Episcopum unius uxoris uirũ.

de Abrahã patriarcha planè declarat, & B. Leo pont. ex ipsis scripturæ uerbis egregie probat, qui ait, Nuptiarũ fœdera inter īgenuos sunt legitima, multo prius hoc ipsum domino cõstituẽte, quàm initiũ Romani iuris extiterit. Itaque aliud uxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod & Beatus Paulus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abraæ, Eijce ancillam, & filium eius, Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Hæc Leo. Vbi clarè patet cõcubinam fuisse Agar, non uxorem. Quare fateri oportet concubinatum tunc, Domino dissimulante, in peccatum non imputari, sicut nec apud gentes putabatur illicitus. Quid igitur? nunquid & nunc licebit exemplo sanctorum patrum? Absit. Cogimur ergo fateri pleraque olim diuina dispensatiõe tolerata fuisse, ac propterea non reputata turpia, dum adhuc essent tenebræ, quæ tamen postmodum luce adueniente cognita sunt esse turpia, & ideo etiam probibita. Cognitio enim peccati, si admittitur; peccatum constituit. Ita enim tandem concludit. B. Thom. in libro contra Gent. aiens quod in lege ueteri dispensatione diuina indultum fuit & plures habere uxores, & concubinis admisceri & diuortium facere, addo ego, & fornicationem admittere. Etenim Abraam sanctus uxorem suam turpitudini exponere in domo Abimelech & Pharaonis nihil curat, ut ipse saluus euadat: & tamen non sunt facienda mala ut eueniant bona. Isaac similiter Rebeccam obtulit, Loth filias Sodomitis, senex ille grandæ-

uus

nus de quo in lib. Iud. capitulo. 19. filiam uirginem prostituere uolebat filijs Belial, ne rem turpiorem admitterent. Hos autem omnes minime reprehendit scriptura, sed potius tacitè cõsilium laudat: Adde quòd etiã aliquãdo christianis putatum est licitum esse concubinatum, & Isidorus palã dicit & ex concilio Toletano accipitur. 34. dist. Quid mirum? nam & usuræ impune sub imperatoribus etiam Christianis diu permissæ sunt & exigebãtur, ut habetur in codice Iustiniani. Redeo ad magnum Patriarcham. Consydera quæso te lector bone, sanctum uirum, post natum eretumque Ismaelem, super quo etiam est exauditus à Domino: post acceptum adultumque Isaac, in quo promissum est illi semen benedictum: post annum centeßimum ætatis longe expletum, adhuc tamen Cethuræ iungitur concubinæ, & qui prius dixerat, Putas ne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? multo etiã antiquior dat operã uoluptati. Quis nunc rem talem in sexagenario non detestaretur? Quis adeo impudicus illud nunc probaret, quod legitur de propheta sancto Dauid, cui iã frigido & moribundo prouidetur puella cuius concubitu incalescat? Mitto Liam & Rachelem sanctas mulieres, quæ ancillas uiro suo sponte prostituebant. Quæ nunc mulier pudica tale facinus nõ exhorreret? Quis hæc in Christi lege non abominetur? Quamobrem recte Hieronymus: Patriarchæ (inquit) non singulas habuere uxores, imò & concubinas plurimas, ut & Dauid multas, & Salomon innumerabiles. Iudas ad Thamar quasi ad scortum ingreditur: & iuxta occidentem literam Oseæ *Hieronymus ad Gerũtiã.*

Propheta non solum meretrici, sed etiam adulteræ copulatur. Quod si & nobis iure cõceditur, adhinniamus ad omnes fœminas, & in exemplũ Sodomæ & Gomorræ ab ultimo die deprehendamur emẽtes & uendentes, nubentes & nuptui tradentes, & tunc sit finis coniugij, quando terminus uitæ. Quod si post diluuium & ante uiguit ista sententia, Crescite & multiplicamini, & replete terram: quid ad nos, in quos fines seculorum deuenerunt: quibus dicitur, Tempus breue est, & iam securis ad radicem posita est, quæ syluam legis & nuptiarum euangelica castitate succidat? Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Hieremias captiuitate propinqua uxorem prohibetur accipere. Ezechiel in Babylone, Mortua est, inquit, uxor mea, & apertũ est os meum. Nec ducturus uxorem, nec ille qui duxerit, possunt in opere coniugali libere prophetare. Olim gloriæ erat illum audire uersiculum, Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Nunc de continentibus dicitur. Qui adhæret Domino, unus spiritus est, &, Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Tũc oculum pro oculo, dentem pro dente: nunc uerberanti maxillam præbemus & alteram. Illo tempore bellatoribus dicitur, Accingere gladio tuo super femur tuum potentißime: modo audit Petrus, Conde gladium tuum in uaginam. Hæc dicimus non separantes legem & euangelium, ut Marcion calumniatur, sed unum atq; eundem Deum suscipientes, qui pro uarietate temporum atque causarum, principium et finis, serit ut metat, plantat ut habeat quod succidat: iacit fundamentum, ut ædificationi con-

Nota quod nolunt capere heretici.

ni consummato seculo culmen imponat. Hæc ille, non minus uere quàm eleganter, quibus sententijs Ambrosius, Augustinus, & omnis theologorum schola multis in locis (quæ longum esset referre) astipulantur. Quis enim nunc ferat episcopum dum ecclesiæ superintendere debet, etiam rei uxoriæ operam dare? & sacerdotem mane sacramentum tractare, qui noctu uxori, aut etiam uxoribus, ut ista doctrina permittit, se commiscuerit?

¶ Ait Erasmus ac Lutherus, Melius est uxori copulari quàm concubinæ aut adulteræ, ut faciunt & monachi & sacerdotes & episcopi. Non dicant, melius hoc, sed utrunque malum. non dicant uxori, cum non sit uxor, quam non Deus, sed diabolus & libido coniunxit. Nec dicant minus malum, si uxor permitteretur, quàm quod nunc agunt simulantes cælibatum, uiolantes uota. Longe melius est (ut ita & nos loquamur) legem esse sanctam & honestam, ut decet, etsi appareant transgressores, qui illam uiolent, quàm uel non esse, ut illi non peccent, aut minus peccent, aut esse in lege ipsa peccatum. Infandißimum enim hoc, & in iniuriam legislatoris uergeret. Non enim quia Iudæi iugum legis illud difficile & importabile excutiebant non seruando, idcirco mutauit legem eo tempore sapientißimus Deus: Neque quia etiam nunc Christiani peßimi sunt, legem mutat, quam æternam esse decreuit. Similiter non immutanda sunt, quæ à monachis & clericis, aut sacerdotibus & episcopis rectißima ratione exiguntur, quia iugum siue onus non ferant, sed crebra transgreßione excutiant. Aiunt hæretici, Nequimus portare hoc. An

In Erasmi.

mirandum

Nota rationem hæreticorum. mirandum est si porci portare nequeant quicquam sanctum & pudicũ. Miramur si fluxũ sanguinis patiatur, qui nõ solũ non attingunt fimbriã uestimenti Iesu, sed cõprimunt eum, sed lacerãt, scinduntq; incõsutilem eius tunicam, quòd in illis est, cuius sortẽ sua impia ac perfida cõtumacia amiserunt? Græca ecclesia quæ hoc onus ex parte reiecit, & iam ut schismatica nõ audit matris & magistræ suæ uocẽ nõ tamẽ eousq; processit ut isti temulẽtissimi. Nõ enim nouas nuptias iure sacerdotes eius ecclesiæ lege, permittũtur, & si iam ante sacerdotiũ contractas nõ dissoluãt, cõtra quod temerarie scripsit Erasmus, ut Sorbonica adnotauit cẽsura: quod etiam ineptè & frigide excusat, imo etiã excusando magis accusat.

In Erasmũ.

Ambrosius in synodo. Denique has infandas hæreticorũ spurcitias B. Ambrosius in synodo cũ multis presbyteris digna sentẽtia execratus est: de quo ad ecclesiã suã ita scripsit, Nos sanè nuptias nõ aspernamur, sed uirginũ nuptias maiore honorificẽtia ueneramur. Facto igitur presbytero constitit doctrinæ nostræ, id est, Christianæ esse cõtraria, unde apostoli secuti præceptũ, quia aliter quàm quod accepimus, annũciabãt, omniũ nostrũ tam presbyterorũ quàm totius etiã cleri una suscitata fuit sentẽtia, ut Iouinianus, Auxẽtius, Gentalis Germinator, Fœlix, Prontinus, Marcianus, Ianuarius, & Ingeniosus, qui autores nouæ hæresis & blasphemiæ inuenti sunt, diuina sententia & nostro iudicio in perpetuum damnati extra ecclesiã remanerent. Hæc Ambrosius. Origenes quoq; super li. Numeri ex Apostoli doctrina mire colligit & probat, illius solius esse offerre iuge & indesinens sacrificiũ, qui perpetuæ & indesinenti

Origenes.

stinenti se deuouerit castitati. Nos igitur qui *sanctorum pudica exẽpla & doctrinã suscipimus, qui uoci ecclesiæ catholicæ auscultamus, qui sumus sub gratia, nõ sub lege, qui exuimus ueterẽ & de terra terrenũ hominẽ cum actibus suis, & induimus nouũ illũ de cælo cæleſtẽ, quẽ de uirgine uirginẽ, de immaculata & immaculato cõiugio immaculatiſsimũ illũ cõtemplamur, qui matrẽ intemeratã non nisi uirginibus commendandam decernit, &* Iosepho *sponso, &* Ioãni *filio, qui primus eunuchos facit, & propria uoce collaudat, eos inquã eunuchos qui seipsos propter regnũ cælorum castrauerint, qui causam cõditionẽq; matrimonij adeo coartat, ut dixerint ei sapientes,* Si *ita est causa hominis cũ uxore, non expedit nubere: ipse autẽ respondit,* Non *omnes capiunt uerbũ hoc: certè hæretici &* Erasmus *non capiunt uerbũ hoc, qui putant potius expedire, quibus non est breue tẽpus, nihil est recapitulatũ, nec iam uerus dies illuxit:* At nos *inquam quibus apparuit uera lux, qui dignitatem nostram consyderamus, & æquari* Angelis Dei *in paradiso audimus, & iam arram quãdam accepimus in* Iesu *Christo, mittamus prophaniſsimas has doctrinas, quæ Mahumeticis traditionibus fauent, & feramur cælibes in contemplationes cæleſtes, ut uerè conuersatio nostra in cælis sit, & quod promiſimus, seruemus.* Potens *est* Christus, *imo uel fimbria uestimenti eius facere ut seruemus.* Innumeri *seruauerunt, & adhuc (*Deo *gratia est) seruant.* Quod *si quidam excidunt, & irritam faciunt primã fidẽ, quid ad nos?* Nõ *quid illi faciãt, respicere, sed qđ æquũ est, et oportet nos facere, cõsiderare, debemus.*

Copulæ

Copulas inter coniunctos sanguine & affinitatē omnes licitas arbitratur Caietanus præterquam inter matrem & filium, patrem & filiam, idq́; colligit de scriptura ueteri quæ dicit. Propter hoc, id est, propter coniugium, relinquet homo scilicet à coniugio: patrem suum, id est, patrem filia, & matrem suam, id est, matrē filius &c. per hoc significans, omnes alias personas esse habiles ad cōiugium. Hæc ille. Quæ quoniam ineptè & falsò & impudicè, ne dicam impiè dicta sunt, primum quidem Catholicam doctorum ac sanctorum sentētiam inducam atq; probabo. Deinde quod superêrit respondebo ad eius argumenta quæ ex aduerso producit. Quoniam uerò ubi de moribus agitur, decentia & indecētia communi sapientum & sanctorum iudicio potius quàm cuiusquam priuati sensu æstimanda est, ideo ante omnia maiorum & sapientum autoritatem huic nouo dogmati opponam. Sunt ergo primum legumlatores & iurisconsulti, qui etiam ignorantes Christum, naturali ratione impulsi, inter multos qui primo & secūdo gradu cō iūcti essent, interdixere matrimonia. Illud extra controuersiam positum est, ne liceret inter parētes & liberos, & si longißimo gradu distarent, ulla inire cōiugia. Quare in tit. de ritu nupt. censet iurisconsultus nullo ignorātiæ prætextu eos excusari à legitimis pœnis, qui hanc legem transgrederentur, eo quòd quæ naturalis ratio docet, non est fas quenquam ignorare. Naturalem ergo rationem docere supponūt iurisconsulti, illicita esse ea matrimonia, quæ tamē esse licita Cardinalis noster dogmatizat. Quin & in alijs legibus nonnulli ex transuerso

Nota.

gradu

gradu inhabiles ad contrahendas nuptias declarantur, & ita inhabiles, ut si fuerint cõtractæ: incestæ, nephariæ, nephastæ, funestæ, & alijs huiusmodi nominibus appellentur. Quodam in loco sæua crimina dicuntur, ita ut & filios qui ex huiusmodi coitibus nascerentur, nec alendos esse censuerint. Alexandri Imperatoris & Seueri cõstitutio legitur in hæc uerba, Rescripta omnia uel pragmaticas formas & constitutiones imperiales quæ quibusdam personis tyrannidis tempore permiserũt scelesto contubernio matrimonij nomen imponere, ut fratris filiam uel sororis, uel eam quæ cum fratre quodam nuptiali iure habitauerat, uxorem legitimam turpißimo cõsortio liceret amplecti, aut ut alia huiusmodi committerent, uiribus carere decernimus, ne dißimulatione culpabili nephanda licentia roboretur. Hæc illi, quæ habentur in C. de incest. & inut. nupti. Vide ergo bone lector quibus nominibus insectentur imperatoriæ leges ea connubia quæ probat Reuerend. Codice de Episcopis et clericis.

¶ Ad hæc ille philosophorum princeps in secundo Polit. aduersus Socratem disputans, ita scripsit. Absurdum est non ob aliam causam uetuisse illorum concubitũ nisi quia nimia uoluptas inde sit prouentura, & quia pater sit, aut filius, aut fratres, nihil referre. Quem locum B. Thomas ita exponit, Dicit ergo Aristot. quòd inconueniens est dicere quod propter istam solam causam debet aliquis abstinere à coitu matris, quia nimia esset uoluptas: & non ex hoc solo, quòd mater est: & eadem est ratio de alijs propinquis. Ex ipsa enim sanguinis propinquitate debent sibi cognati quandam reuerentiam honestatis,

ſtatis, quæ tollitur per laſciuiam carnis. Hæc ibi Thomas. Ex quibus patet quòd & apud Ariſtotelem etiam inter fratres naturali iure cēſentur illicita matrimonia. ¶ Ad hæc ſanctos Theologos & ſacratiſsimos doctores manifeſte idem tradere ac docere certiſsimum eſt. Auguſtinum enim, quem tamen ad ſuam cauſam trahere conatur Reuerendiſsimus, & truncate citat, ita in li. de ciuit. Dei ſcribit, Quod humano genere creſcente, & multiplicato, etiam inter iniquos multorumq; deorum cultores ſic obſeruari cernimus, ut etiam ſi peruerſis legibus permittantur fraterna connubia, melior tamen conſuetudo ipſam maluerit abhorrere licentiam: & cum ſorores accipere primis humani generis temporibus licuerit, ſic aduerſetur, quaſi nunquam licuerit. Si enim iniquum eſt auiditate poſsidendi tranſgredi limen agrorum, quanto iniquius eſt libidine concumbendi trāſgredi limen morum? Hæc ille. Vnde quàm manifeſtiſsimè patet rem hāc quam licitam uult Cardinalis, peruerſam uideri Auguſtino, cum etiam peruerſas leges appellet quæ eam permitterent. Et quod magis eſt mirādum, quaſi quadam ui rationis obſtante, eas leges quæ nefandam illam permittebant licentiam, non potuiſſe uigere teſtatur. Nolebant enim homines ſibi licere quod lex in membranis ſcripta concedebat, quoniam potentior lex quæ in eorum cordibus dei digito erat inſculpta, abſq; dubio prohibebat. Ad hæc addit Auguſtinus. Quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe coniugia, non ſolum ſecundum ea quæ diſputauimus propter multiplicādas affinitates, ſed etiam quia

neſcio

nescio quo modo inest humanæ uerecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis honorem, ab ea contineat quamuis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere uidemus etiam ipsam pudicitiam coniugalem? Hæc ille. Ex quibus uerbis etiam manifestè retunditur quod Card. in com. super Gen. c. dixit quòd Aug. sola religionis causa talia matrimonia improbarit, & nō tanquā naturali ratione indecentia. Hieron. in Heluid. & super Gen. tā infanda esse hæc putat, ut dixerit scripturam propter aurium sanctitatem maluisse hæc intelligi quàm exprimere. B. Ambrosius in epistola ad Paternū consulentem an liceret neptem ex filia filio suo coniungi, quia putabat iure diuino non esse prohibitū, ita scribit, Ego autē & prohibitū iure diuino assero, quia cū leuiora interdicta sint de patruelibus fratribus, multò magis hoc quod est arctioris necessitudinis, interdictū arbitror. Quòd si ideo permissum putas, quia nō est prohibitū, nec illud prohibitū sermone legis reperies, ne pater filiam suam accipiat uxorem, Nūquid ideo liceat, quia non est prohibitū? minimè. Interdictum est enim naturæ lege scripta in cordibus singulorū, interdictū est inuiolabili præscriptiōe pietatis, titulo necessitudinis. Quanta huiusmodi inuenies non esse interdicta lege per Moysem edita, & tamē interdicta sunt quadā uoce naturæ &c? Hæc & alia beatus Ambrosius in consultorem suum acri & uehementi stilo reiecit, constanter affirmans per huiusmodi concubitus & diuinum & naturæ ius uiolari. Est & B. Greg. (ut quadriga cōpleatur) qui in plurib. locis ista cōiugia detestatur. Ad Feli-

Ambrosius.

Nota hæc.

Gregorius.

cem enim Siciliæ Episcopum ita scribit, Nec eam quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, du cere, ulli profectò Christiano licuit aut licebit, quia ince stuosus est coitus, abominabilis Deo, & cunctis bonis hominibus. Hæc ibi ille. Et tamen Cardinalis nō abomina tus est, sed licitum & diuino & naturali iure defendit. Idē *Greg. ad* Aug. *Angliæ episcopū. Cū nouerca, īquit, admisceri graue est facinus: quia in lege scriptū est,* Tur *pitudinem patris tui non reuelabis, sed quia scriptum est,* Erunt *duo in carne una, qui turpitudinem nouercæ quæ una fuit caro cum patre, reuelare præsumpserit, profectò patris turpitudinem reuelauit.* Hæc *ille.* Qua *tuor igitur præcipui ecclesiæ* Latinæ *doctores in hanc prophanam doctrinam acerrimè inuecti sunt.* Beatus *etiam* Thomas *in. 4. dist. 4. art. 4. scribit, incestum habe*

Thomas. *re specialem deformitatem, quia est cōsanguineorū uel affinium abusus, eò quòd antonomaticè castitatem uio lat in illis qui maximo fœdere coniunguntur.* Et *dist. 3. art. 1. clarè testatur quæcunque connubia prohibita sunt in ueteri lege* Leuit. *cap. 18. etiam in lege euangelica pro hibita esse, cùm sit multò purior.* Idem *in lib. 3. contra* Gent. *postquam pluribus rationibus ostendit eiusmodi nuptias bonis moribus repugnare, & propterea ciuili iure esse prohibita, ita subiecit.* Hinc *est quod dicitur* Leuit. *18.* Omnis *homo ad proximam sanguinis sui non accedat: per hoc excluditur consuetudo illorum qui se propinquis commiscent.* Hæc *ille.* Nec *aliud docet in. 2. 2. q. 154. art. 9. ubi ait quòd aliæ personæ præter paren tes & liberos primi gradus, quæ non coniungun tur*

tur secundum seipsos, sed in ordine ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam &c. Cui enim hoc dubium? non tamen negatur in eis quoque indecentia, sed ait, non ita, id est, non tanta, ut non poßit in quibusdam pro tempore aut personis aut causis humana lege dispensari, sicut & beatus Ambrosius ad Paternum testatur, ubi ait, Sed dicis alicui relaxatum: uerum, sed hoc legi nõ praeiudicat &c. Esse ergo indecentiam etiam in caeteris personis praeter parentes & liberos primi gradus, plus quam manifestè ibidem docet & probat diuus Thomas, cuius uerba haec sunt, Ibi necesse est inueniri determinatam speciem luxuriae, ubi inuenitur aliquid incõgruum commixtioni uenereae, triplici ratione: primò quidem quia naturaliter homo debet quandam reuerentiam parentibus, & per consequens alijs consanguineis, qui de eisdem parentibus de propinquo originem trahunt. Manifestum est autem secundum praedicta quòd in actibus uenereis maximè consistit turpitudo honorificentiae contraria: unde de his homines uerecundantur, & ideo incongruum est quòd commixtio fiat talium personarum adinuicem. Et haec causa uidetur exprimi Leuit. 18. ubi dicitur, Mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius: & idem postea dicitur in alijs. Haec ibi. Immeritò igitur nec sine iniuria tam gloriosi doctoris conatus est trahere eius doctrinã quasi huic suo & prophano dogmati conuenientem.

Thomas.

Nota haec.

¶ Ad haec, multorum Pontificum canones & sacra concilia reperias ubi non solum habentur illicita talia connubia quia prohibita sint, uerum declarantur idcirco pro-

hibita, quia ex se nefaria ac detestanda & naturali & diuino iure: unde Innocen. tertius in tit. de rest. spoliat. negat solere aut posse ab apostolica sede in his dispensari quæ diuino iure prohibentur, de quibus habetur in ca. illo Leuit. 18. Sunt & Ancyrani cõcilij decreta περὶ τῶν ἀλόγως διαγόντων, ἢ διαγόντων, id est, de his qui irrationabiliter uersati sunt aut uersantur. Et loquitur de ijs qui cum beluis aut propinquis commiscentur, qui & irrationales iudicantur, eò quòd quasi beluæ inter cõcubitũ & cõcubitũ nõ discernũt, quibus & atrocissimæ pœnæ decernuntur. In concilio etiam Toletano abominationes uocantur, quæ Cardinalis uix quicquam illiciti de sehabere contendit.

Concilium Toletanum.

¶ Quòd autem in iniuriam naturæ talia cõciliẽtur cõnubia ipsamet natura, Deo ita uolente, uidetur attestari quæ plerunque ex talibus connubijs sobolem non patitur succrescere, sicut beatus Gregorius obseruatum esse planè testatur. Nos etiam uidimus non solum fructu sobolis caruisse eiusmodi nuptias, uerumetiam infaustos & infelices exitus in magnis principibus habuisse. Quòd utinam saltẽ nõ cũ magno scandalo, ac Christianæ reip. detrimẽto nũc uideremus. Hic adde quòd et gẽtes quæ Deũ non cognouerũt, quæ nũc repertæ sunt in insulis, ferme brutorũ more uiuẽtes, tamẽ ab huiusmodi matrimonijs abstinẽt, & nullus sorori miscetur, & quosdã gradus huiusmodi reuerẽtia obseruãt, quod ego ab ijs qui norũt exploraui. Hoc insuper nõnihil ad horũ cõcubituũ detestationẽ attinere uidetur, quòd nõ ab re fingitur à poetis Venerẽ in has nuptias cestũ, id est, cingulum,

gulũ, ut solet in legitimis, nõ afferre, sed lumbos dißolutã aßistere, ut hoc signo intelligamus quòd nec ipsa Venus salacißima probare poterat quæ natura in corde omniũ manifestißimè prohibebat. Nam & hinc apud grammaticos incestuosæ dicuntur. Post tot autoritates iurisconsultorũ, theologorũ & canonũ, si ratio quærit, & si plures ratiões sint, ut diligẽter notat. B. Tho. in. d. q. 154 tñ maxima & præcipua est quã probauit Philos. & ipsa natura nos docet, quia honorẽ quẽdã & reuerentiã exigit ipsa natura haberi inter propinquos, quæ certè indignè per tales coitus uiolatur: atq; ideo in scriptura dicitur, Ne reueles turpitudinem &c. Mater tua est, Soror tua est, Caro illius est, talis coitus incestus est, seu scelus est. At ad hanc rationem respondet Reuerendißimus primò quidem formaliter, uim rationis infringens, deinde ducendo ad inconueniens. Primò igitur ait, quòd reuerentia & honoratio quæ inter propinquos inuicem exigitur, quædam est per se & immediatè consequens carnalem coniunctionem, ut est illa sola quæ cõspicitur inter parentes & liberos primi gradus tantum: & hæc est quæ sola reddit inhabiles personas ad coniugium. Alia uerò est quæ non per se, sed mediate & per accidẽs respicitur, ut est illa quæ inter cæteras psonas cõsideratur: & hæc nõ inhabilitat cõiugia nisi aliqua positiua lege prohibeãtur: quia quæ sunt p accidẽs, dimittũtur ab arte, deniq; si aliter dicamus, ducit ad incõueniẽs, eò q, multi. S. patrũ in lege uet. talia cõiugia nõ horruerũt: quæ, pfectò exhorruissent si nouißẽt iuri ac legi nat repugnare: sed de exẽplis his sigillatim postmodũ disse-

Vnde incesti coitus dicti.

Ratio prima cur cõnubia illicita sint inter proximos.

ram. Quoad primum autem ubi distinguit coniunctionem per se & per accidens, mirè, ut solet, decipitur. Quero enim hic ab illo, an inter coniunctos etiam præter parentes & liberos primi gradus natura ipsa exigat reuerentiam & honorem. si negat, manifestam naturæ legem negat, quam quilibet in corde suo persentit, ut Augustinus & Ambrosius testantur: si fatetur, ergo natura talem coniunctionem quæ est per accidens, non despicit nec dimittit, si nõ despicit natura, ergo nec ipsa ars, quæ imitatur naturã ut ait philosophus. Ad hæc si ars huiusmodi cõiũctiones, eò q, essent per accidens, debuit despicere, quid est ergo quòd per cõtrarium factũ est? nã leges oẽs ac legislatores maximè eas respexerũt in tutelis, hæreditatibus, nuptijs. & alijs multis. Quid si negẽ ego nunc deberi reuerẽtiã Cardinali ob hãc ipsius rationem, quia non per se, sed per accidens, id est, non immediatè, sed propter pontificem Cardinalibus debeam? Imò quid si & ipsi Pontifici deberi negem, quia non propter illum, sed propter Christum? & Christo similiter, quia illi debeo propter Deum, & si ipsemet Deus sit, caput tamen Christi ut hominis Deus est? Ad hæc, quid si negem sanctos esse colẽdos, & eorũ reliquias, quia nõ immediatè debeo honorem reliquijs, sed illis propter sanctos, sanctis autem propter Deum? Nonne si hæc dixerim, non solum hæreticus sim, uerumetiã stultißimus? Et tamen etiam ad hoc ualet hæc Reuerendißimi doctrina. At perspice fallaciam bone lector. Non enim uno modo, sed multipliciter dicitur per accidens. Et ut ad rem propositam attinet, duos modos considera. Vnus modus est

Nota hic ubi est uiri deceptio manifesta.

Per accidens multipliciter dicitur.

est qui est quartus apud Arist.in.1.Post.uidelicet Socrate ambulante coruscauit. Et iuxta hunc modum, quæ sunt per accidens respectu legis & intentionis eius, id est, non intenta nec intendenda, proculdubio despicienda sunt. Alius modus est ut illud per accidens dicatur, quod non immediatè est, sed per aliud, ut in re proposita: uerbi gratia, frater fratri coniungitur non immediatè per se, sed mediatè, & hoc modo quasi per accidens, quia mediante patre & matre, & quæ sunt hoc modo per accidens, quia minus propriè per accidens dicũtur, non despiciuntur ab arte, sed considerantur à legum latoribus & iurisconsultis, & Theologis, & scripturis. Neque beatus Thom. uocauit has coniunctiones per accidens, ne daret occasionem errori, sed dixit non secundũ seipsas &c. Quo ad secundum igitur ubi exemplis antiquorum mouetur, iam satis superiori articulo respondimus. B. enim Cyprianus aiebat, Prima sententia crescere & generare præcepit, secunda cõtinẽtiã suasit: id quod scriptura prædixit, tẽpus est ãplexãdi, & tẽpus lõgè fieri ab amplexibus, & olim multa licebãt, quæ etiã lex naturæ minus probabat: erat mundus in ætate puerili ac lasciua, nec bene poterat legere legẽ cordis, nõdũ scripta lex erat, quæ indicaret peccatũ, ut ait Paul. Cõcupiscentiã nesciebã nisi lex diceret, Nõ cõcupisces. & iterũ, Cũ essem paruulus, loquebar ut paruulus, sapiebã ut paruulus, cogitabã ut paruulus: cùm autẽ factus sum uir, euacuaui quæ erãt paruuli. Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus, non in

Cyprianus.

Paul. ad Ro.

comesationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs &c. Nox igitur illa de qua ibi Paulus, tẽpus erat ante lucis & diei aduentum, qui est Christus, quando in tenebris ambulabant & umbris, quando opera non honesta, sed indecora & indecentia illa temporis conditione, quasi noctis tegebantur caligine, ut licere uiderentur, quæ tamen lucis testimonio non probantur. Multa enim scimus nocte licere, ac non imputari, quæ in die facta, inhonesta apparent. Qui autem hanc temporum conditionem uariam non considerant in scripturis, ut hæretici sæpe faciunt, tota aberrant uia, & adhuc ipsi in nocte sunt, & comprehendentur à fure. ¶ Et licet ita se habeat, tamen ad quædam exempla quæ affert singulariter respõdebimus. De Abraam & Sarai negat Iosephus eos fuisse germanos ex patre, sed Sarai fratris Abraæ filiam dicit. Hieronymus contra Heluidium ita scribit. Ait Abraam, uere soror mea est: de fratre, sed non de matre, id est, fratris est filia, non sororis. Alioquin quale est ut Abraam uir iustus patris sui filiam cõiugem sumpserit, cum in primis hominibus propter aurium sanctitatem id ipsum scriptura non nominet, malens intelligi quàm proferri? Et Deus lege postea sanciat ac minetur, Qui acceperit sororem suam de patre aut de matre sua, & uiderit turpitudinem eius, opprobrium est, & exterminabuntur coram filijs generis sui. Turpitudinem sororis suæ detexit, peccatũ suũ recipiet. Et in quæst. super Geñ. idẽ affirmat etiã ex traditiõibus hebræorũ, licet alibi hæsitare uideatur: excusat nihilominus factũ à tẽporis qualitate, nã & Ambrosius ad Paternum

Abrã & Sara an fuerint germani.

ternum uno uerbo excludit exempla ista, Trāsierunt, in quit, uetera, noua facta sunt omnia.

¶ De Thamar filia Dauid sorore Ammon quòd ei dixerit loquere ad regem, & non negabit me tibi, ineptum colligitur argumentum, quasi talis concubitus regia dispensatione licitus reddi posset. Non enim erat in manu Dauid contra ius diuinum dipēsare, neque uerba mulierculæ ita solida censenda sunt, ut sint assumenda in argumentum. Erat enim puella, & qua poterat uia declinabat stuprum & furorem iuuenis, & nefas illud in Israël, ut ipsa testatur.

¶ De Hamrā patre Moseos quod acceperit Iochedec filiam Leui amitam suam, male probatur. Nos legimus, Egressus est post hæc uir, & accepit uxorē stirpis suæ. & non dicit, filiam Leui. Quod si etiam diceret, ut aiūt legi secūdum Hebraicam ueritatē, benigne tamē accipiē dum est, quia more scripturarū etiā neptis filia dicitur, imò & longe inferioris gradus. Ita enim & Susanna filia Iuda appellatur apud Danielē, & Elizabet de filiabus Aarō in euāgelio. Quare prudēter latinus īterpres pro eo qđ legit filiā Leui, posuit filiā stirpis suæ: ut sensum retinēs, simul Christianis imperitorū auribus cōsuleret, & amputaret occasionē erroris, ne qs īperitus ita ut prima facie uerba sonāt accipiēs, offenderetur, putās ꝓbari nuptias inter nepotē et amitā, qđ ꝓscelere reputatur. Quod ergo ēt Cardinalis addit semp licuisse patruo fratris filiā accipere, falsum est, & oīno irratiōabile cū scriptū sit. Turp. patrui tui nō reuelabis, nec accedes ad uxorē ei᷒, quæ tibi affinitate cōiūgit. et licet hoc unū præ

Defenditur latius interpres.

ceptum sit, ut ipse uult, quia iuxta Hebraicam ueritatem legitur, Non accedes ad uxorem eius, ut declaretur dictum supra, Turpitudinem patrui tui non reuelabis, uidelicet non accedendo ad eius uxorem, tamen mirabile est profecto ut possit existimare prohiberi copulam inter nepotem & uxorem patrui, & non inter patruum & neptem, cum gradus pares sint, & necessitudo maior in casu ultimo, quæ est consanguinitatis: quàm in priore, quæ est affinitatis. Nepos enim prohibetur uxori patrui iungi propter ipsum patruum: quantò ergo magis turpis erit coniunctio cum ipso patruo? Ad hæc, si cum filia aut nepte uxoris prohibetur coniugium, ut ibidem cap. 18. habetur: quantò ergo magis censeatur cũ patruo prohibitum, quando etiam cum auunculo iure diuino illicitum esse tanta assertione contendat Ambrosius.

Nota hæc apertissima argumenta.

¶ Cæterum quod de leuiro & fatria adiungit, nunquã inueniet copulam hanc permissam nisi fratre defuncto sine liberis, ad suscitãdum ei semen, & quo ad hoc abrogatum est hoc legis præscriptum, utputa purum iudiciale, & typum gerens futuri, ut omnes Catholici sentiunt. Stat igitur ratio honestatis solida pro hac nostra, imo Christiana sententia. Deniq; ut ad scripturas ascẽdam, ex d. cap. 18. Leuit. clarè confutatur ista opinio, ubi plures gradus prohiberi uidemus in quibus nuptiæ non possunt consistere. Et ratio ibi prohibitiõis adijcitur, in quibusdam clara, quia incestus est, aut ut alij quidam transtulerunt, quia scelus est: & in calce eius cap. ita concluditur, Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt uniuersæ gentes, quas ego eijciam ante conspectum

ctum uestrum, & quibus polluta est terra &c. Quare magnopere miror quomodo ausus sit Reuerendißimus non solum contra omnes Theologos & sanctos, uerum etiam contra rationem & uerba illius tex. dicere quod illa præcepta sint abrogata. Sed uideamus unde mouetur. Primò enim inquit quod erant præcepta iudicialia, quia ibi Moses præfatur ex ore domini, Facietis præcepta mea, & iudicia mea. Deinde quia ibi inter ea præcepta ponitur illud de menstruata, quòd (ut ait) constat esse partim morale, partim iudiciale, ut habet Thomas in. 4. Ad hæc, ibi (inquit) præcipitur ne soror uxoris ipsa uiuente accipiatur: non ergo ratione incestus præcipitur, si enim esset incestus, etiam ea mortua illicitum esset connubium. sed ratio fuit naturalis, pax, quæ nõ erat in æmulationem deducenda: fuit ergo iudiciale præceptum. Ad hæc addit quod ibi secundus tã affinitatis quã cõsanguinitatis gradus ĩ quibusdã personis prohibetur: & tamẽ Innocẽtius tertius in cap. Gaudeamus, extra de diuort. statuit nõ esse separãdũ tale coniugiũ. Quod certè non fecisset Pontifex tantæ scientiæ, si ex præceptis pure moralibus diuinæ legis secundus gradus causaret incestum. Hæc Reuerendißimus. Quæ certe erroribus plena sunt. Quo ad primum igitur, si per illa uerba, Præcepta mea, & iudicia mea, uult elicere ea præcepta esse iudicialia, & consequenter abrogata: igitur cum ibidẽ prohibeatur cum matre concubitus: & cum beluis infanda commixtio, & quod contra naturam est, cum masculis, & adulterium, pari ratione dicentur abrogata, quia iudicialia sunt. Quòd si dicat hæc esse etiam moralia,

Cardinalis 2. 2. q. 154. art. 9.

ralia, & nos similiter dicimus etiam illa moralia. Secundo quod adiecit de mẽstruata, duplicem errorem habet. Primum, quia dicit Thomam in. 4. asserere præceptum illud esse partim morale, partim iudiciale, qui tamen dicit, partim morale, partim cerimoniale. Secundum, quia uidetur concludere ex mente Thomæ quòd illud præceptum sit abrogatum, cum per contrarium dicat Beatus Thomas non esse abrogatum, eo quòd non solum erat cerimoniale, uerum etiam morale. Tertio, quod considerauit circa rationem prohibitionis inter uirum & sororem uxoris uiuentis, negãs esse incestum, falsum est, & hic etiam dupliciter errat. Primo quidem, quia ibidem aßignatur pro causa prohibitiõis, non solum æmulatio illa, sed etiam incestus. Dicitur enim ibi, Sororem uxoris tuæ in pellicatũ eius nõ accipies, nec reuelabis turp. eius. Reuelatio enim illa turpitudinis, quæ ut causa prohibitionis affertur, sicut in alijs, Thoma teste significat inhonorationem quandam quæ est contra debitum iure naturæ honorem propinquis, ut in citatis locis eleganter & uerißimè declarat. Secundo errat, quia non est necessarium, si ratio sit incestus, ita debuisse prohiberi mortua uxore, sicut uiuente. Non enim tantus est incestus uxore mortua, sicut ea uiuente. Non enim tanta debetur mortuorum memoriæ reuerentia, sicut ipsis si uiuerent: ut in capit. fina. de Diuort. quod latius patet. Erat autem & illa lex uetus imperfecta, quæ multa illis ad duritiam cordis permittebat, ut patet plus satis. Quare in lege perfecta declaratum est Pontificijs constitutionibus, non licere huiusmodi copulam, ita uxore defuncta,

defuncta, sicut uiuente. Deniq; circa. c. Gaudeamus, ita est deceptus, ut uel sola eius Pontificis constitutione proculdubio expugnetur. Non enim ea secundi gradus personarum connubia manere permittit Pont. ille, quæ alioquin cõtra illud ius diuinum Leuit. capit. 18. inita essent, sed ea quæ duntaxat Pontificijs & Ecclesiæ constitutionibus essent prohibita. Nam quæ diuino iure prohiberentur, clara uoce reprobanda esse decreuit, quasi contra ius diuinum contracta, nec ulla etiã consuetudine firmari posse, imò nec summi ipsius dispensatione Pontificis, ut in cap. literas. de restitutio. spolia. ¶ Ad hæc addo Apostolicam horum concubituum detestationẽ ad Corinthios, ubi clamitat Paulus, Auditur inter uos fornicatio, & talis, qualis nec inter gentes, non dixit adulterium, sed quiddam longe detestabilius, quod nec inter gentes audiretur. Apud gentes enim, ut ibi declarat Beatus Thomas, simplex fornicatio non reputabatur peccatum. Erat tamen quædam fornicationis species, quæ & apud Gentes illicita habebatur. Et ideo dicit Paulus, Ut uxorẽ patris sui aliquis habeat. Sic dicitur Gen. 49. Effusus es sicut aqua: non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Hoc autem erat horribile etiam apud gentes, utpote rationi naturali contrarium. Hæc ibi Beatus Thomas. Quod uerò à principio allatum est ex Genesis secundo, propter hoc relinquet &c. nihil ad rem attinet. Illa enim uerba aptantur homini iam copulato, ut carnalis copulæ debitum intelligatur, idcirco de illo dicitur quod relinquet patrem

1. Corint. 5.

Thomas.

patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Stultè autē præciperetur iam habenti uxorem, ut propter hoc absti neat à patre aut matre: quasi alias posset cum illis copu lari. Nonne filium copulari cum patre matrimonio, est impoßibile? cum matre autem horrendum? Ad hæc dici tur ibi, propter hoc, uidelicet ut ipse idem exponit, pro pter hoc coniugium. At non propter coniugium prohi betur copula cum parētibus, sed propter fœditatem & indecentiam. Ad hæc, ibi sine dubio tantum mari dicitur quòd relinquet patrem & matrem, ut patet ex Hebrai ca ueritate, ubi legitur isch, id est uir, masculini gene ris. Nec de muliere posset dici, & adhærebit uxori suæ. Denique inepte prohiberetur cōiugium per ea uerba, Relinquet homo &c. Non enim nō copulari cum patre aut matre filiam aut filium, est relinquere patrē aut ma trem, quin potius relinqueret si cum illis copularetur, inhonorans eos. Vera est igitur ad uerba illa antiquorū & germana expositio, qua declaratur tantam esse eius copulæ neceßitudinem, ut adigat uirum ad relinquendū & patrem & matrem quo ad officia & conuersationē domesticam, & hærēdum uxori, ut noua domus, & no uum ius maritale per eos & inter eos oriatur. Hunc sen sum tandem agnoscit B. Thomas secunda. 2. q. 26, art. 10. Veteres autem, ut Hieronymus, Augu. Chrysost. Theo phylactus, & alij pene innumeri in hoc solo quiescunt. Quin etiam ipse idem Cardinalis in commen. super Ge nesim hunc solum amplectitur, tanquam proculdubio melius informatus, spernens illum quem solum iam pro bauerat: sed ingenuū erat etiā expreßim se retractare.

Inconstantia doctrinæ.

Inter

INter dispares cultu non esse illicitum naturali iure matrimonium asserit. Quod ut impium dogma notaui. Nam Apost. id prohibens rationes naturales affert, ait enim. Nolite iugum ducere cũ infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christo ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? &c. B. Ambrosius in epistolis hanc rem detestabilem multis sceleribus anteponit. Ait enim, legimus peremptos graui populos excidio propter uiolata iura hospitij. Leuitis de Effrem, propter libidinem quoq; commissa bella atrocia: sed prope nihil grauius quàm copulari alienigenæ, ubi & libidinis & discordiæ incẽtiua & sacrilegij flagitia conflantur. Nam cum ipsum coniugium uelamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici ubi non est fidei cõcordia, cum omnino debeat esse communis? quomodo potest esse inter dispares deuotione coniugij charitas? Hæc ille, & uerè & Christianè. Imò & ipse Reuerendißimus super ea Pauli Epistola, bis assentiẽs semetipsum ut tam sæpe solet expugnat. Quod si ratio in coniugibus nobilitatis, morum, formæ, ætatis parilitatem uidetur exigere, quantò magis ipsius religionis? ipsa enim finis est matrimonij. Matrimonium enim propter liberos est, ut generentur Deo, quod medio religionis fit. si autem est cultus disparitas facilè impeditur hic finis altero è cõiugibus reuocãte in idololatriam. Sed illud quæso quàm inefficaciter colligit, uidelicet Rachelem fuisse idololatram eo quòd surripuerit idola patris sui Labam? primò quia Teraphim quæ idola

2.Cor.6.

Inconstantia doctrinæ.

quælibet

interpretantur, non ſemper falſos deos ſignificant ſed quælibet ſimulachra ut notant Hebræi. *Nec eſt uerisimi le* Iacob *accepiſſe uxorem idololatram cum ob hāc cauſam à patre ſit prohibitus accipere de filiabus* Canaam, *& proficiſci ad labā.* Deinde *de* Rachele *legimus quod*
Gen.cap.30. *adorabat uerum* Deum *& colebat*, Et *exaudita eſt ab*
Io. 9. *eo pro fœcunditate.* Scimus *autem quòd* Deus Idololatras *nō audit*, Sed *ſi quis uerus ſit cultor eius, hunc exaudit.* Cur *igitur non interpretemur (ſi tamen cogimur putare labam idololatram) quòd* Rachel *ideo abſtulit, idola non ut coleret ſed ut colendi occaſionem patri præriperet?* Deniq; *ſi* Rachel *fuiſſet idololatra cur fideles loco magnæ benedictionis ſic benedixiſſet* Ruth. Faciat
Ruth. 4. Dominus *hanc mulierem ſicut* Rachel *&* Liam *quæ ædificauerunt* Iſrael, *ut ſit exemplū uirtutis in* Effrata.

NEgat *& matrimonium contractum per procuratorem eſſe ſacramentum, donec præſentes coniuges ratum habeant, & inuicem ſibi manifeſtent ſe habere ut coniuges.* Mouetur *primum quia nullum ſacramentum ſuſcipitur per procuratorem.* Alioqui *poſſent ambo dormientes ſacramentum ſuſcipere, & ſi nihil circa illos fieret, uel à ſeipſis uel à ſacramenti miniſtro.* Et *ſic etiam dormientes poßent peccare mortaliter, ſi tunc in peccato inuenirentur, cum procurator contrahit pro ipſis.* Nec *propterea poteſt dirimi tale matrimoniū ſic contractum,* Nam *quod non poßit dirimi habet radicaliter ex baptiſmo quo fideles ſunt coniuges, formaliter autem fit ratum ex ui ſacramenti.* Hæc *ille.* Quæ *doctrina ut noua, & quæ non niſi autoritatē docentis habeat,*

cum rationes mille ſint, non mihi uidetur probanda: di- ces. ergo licet per procuratorem ſuſcipere ſacramẽtum. Minime, ſed initur per procuratorem matrimonium: ſacramentum uerò quilibet ſuſcipit per ſeipſum, ſicut ſi quis per interpretem confitetur peccata, ipſe tamen per ſeipſum ſuſcipit ſacramentum. Sic accidit cum expo nunt coniuges ſuum conſenſum per procuratorem, non ſuſcipit procurator ſacramentum, ut ſic ab eo illi poſt- modo accipiãt, ſed ipſimet cum ligẽtur matrimonio iam facti ſunt coniuges, & cum ſint fideles, ſacramento tenẽ tur. Nec eſt abſurdum dormientem ſacramentum ſuſci- pere, cum poßit hoc etiam inſanus, ſi de eius uoluntate cõſtiterit prius expoſita ut patet in baptiſmo & Eucha riſtia & cæteris. Nec item abſurdũ eſt, quòd dormiẽtes etiam peccent, ex facto ſuo tamen aliquo priore: nam ſi quis mandat aliquod fieri peccatũ, etiã ſi dormiẽte illo fiat, tunc etiam peccabit mandans, quũ fit. Porro diſtin- ctio illa formaliter & radicaliter, ſua eſt, & noua: nam quòd ratũ matrimonium ſit, ex eo eſt, quòd ſacramẽtũ eſt, licet ut ſacramentum ſit, ex eo ſit quòd fideles ſint, ita quòd ſi hæc ſeparentur, & eſſet matrimoniũ nõ ta- men ſacramentum, haud dubium quòd ſeparabile eſſet matrimoniũ tale, ſicut & alij cõtractus, hæc igitur ut no ua & inaudita, nõ ſunt ſuſtinenda quæ nec fundamentũ habent ullum. De bapt. c. minores.

Circa clandeſtinũ matrimoniũ loquẽtẽ, deprehẽdo illũ in æquiuoco laborare, cũ clandeſtinũ matrimo niũ uocet illud quod eſt cõtractum in facie eccleſiæ, licet inutiliter, & cõtinuatur habita diſpẽſatiõe ſecreto. uerè

enim nõ poteſt clandeſtinũ dici, cũ illa copula & animorũ & corporum palã & in facie eccleſiæ ſit inita ab initio & ſit cõtinuata, licet nõ ſit manifeſtum quomodo liceat nunc, quod non licebat prius.

QVòd licitum etiam probet contractum matrimonium non ad ſuos fines, id eſt, ad prolis propagationem, uel in remedium concupiſcentiæ, eò quòd fuit tale cõiugium beatæ uirginis ex parte ſua, in duobus eum falſum eſſe exiſtimo. Alterum eſt quod affert ſingulariter factum, in quo eſt ratio ſpecialiſſima ut regulam excludat. Alterum uerò quòd permittit ex parte Ioſeph fuiſſe tales matrimonij fines intẽtos: quod non eſt dicendum, quoniam & Thomas & ſancti uiri dicunt, quod & ratio cogit, etiam Ioſeph uirginem fuiſſe & nunquam intendiſſe matrimonij fines illos per ſeipſum, licet cogitauerit & ſciuerit poſtea futuram prolẽ ſanctiſſimam de ſpiritu ſancto ex tanto & tam ſingulari coniugio. Quod uerò exquiſiuit uir iſte tot fines matrimonij neſcio ad quid ei ſeruiat: Nam præter duos fines, nõ ſunt alij propriè fines matrimonij. Poteſtas enim corporum inuicem non eſt finis, ſed ordinatur ad finem certæ ac legitimæ prolis. Item ſanctificatio coniugum, ut quis etiam poſſidere ualeat ſuum uas, ad hoc idem ordinatur, & ad concupiſcentiam refrenandam. Neque uerum eſt, quòd matrimonium ſit contentum iſtis duobus finibus abiecto fine prolis, & copulæ ad reformandam libidinem: alioquin impotentes ad copulam eſſent coniugij capaces. Neque uerum eſt inter Dauid & illam puellam Sunamitem fuiſſe uerum coniugium ſicut ipſe putat,

tat, ergo proculdubio dicēdū eſt quòd ſi quis præſcindat prædictos duos ueros & principales matrimonij fines, peccat lætaliter commiſcendo ſe coniugi. Abutitur enim matrimonio & facit iniuriam ſacramento, quod eſt ad hoc inſtitutum, ut fiat fructus dignus Deo, ſicut qui ludi gratia baptizaretur aut cuiuslibet oblectationis. Ergo ad quæſtionem ſic arbitror reſpōdendum eſſe, quòd huiuſmodi matrimonij contractus illicitus ſit, quando non contrahitur gratia prolis & in remedium concupiſcentiæ, niſi fortè aliter de mandato Dei iuſſum eſſet, ut fuit illud Ioſeph, & beatæ uirginis, quod tñ nō caruit prole, licet non ex copula, quia indignum erat, Fatendum eſt tamen quòd non eſſet illicitum ſi non præciſis iſtis finibus pulchritudo eſſet cauſa mouens aut aliud quippiam non de ſe illicitum, modò prædicti fines etiam intendantur.

QVòd adulter ipſo facto priuatus ſit iure petendi debitum ego uerius puto, tametſi contrà determinet Caietanus, quia nec notitia coniugis nec uoluntas, ſed proprium peccatum priuat, unde non eſt bonum exemplum de filio qui iniuriam fecit patri, nō enim hoc peccatum priuat eum hæreditate, ſed dignum cōſtituit, ut iure priuari poßit. Quamobrem ſi pater moritur inteſtatus, & non uſus ſit iure ſuo exhæredans illum, iure filius illa hæreditate potietur. Atqui matrimonium adulterio uiolauit continuo hanc pœnā meretur, ut nihil ſibi iam debeatur ex ui coniugij quod uiolauit rei natura id ſtatuente, Ergo cùm quaſi debitum petit quod non eſt debitum, agit iniuſtè. Nec eſt uerum quòd

socius uiolans fidem socio datam poßit exigere, salua bona conscientia à socio fidem præstitam in societate quã ipse prior uiolauit, nisi forte illum pœnituerit antequã socius iure suo utatur. Itaque nec est negandum, quòd si adulterum pœniteat, integratur in suum ius, quia iam non est adulter, sed sicut remittitur ei peccatum adulterij à Deo, ita & hæc pœna peccati quæ comitatur ipsũ, & cum ipso peccato extinguitur, quoniam tãtisper priuatur quantisper adulter manet. Deniq; & in eo quod affert absurdum, uidelicet quòd nihil magis pateretur incestuosus, errat: quia incestuosi perpetuò amittunt ius istud petendi debitum, & prohibentur à coniugijs & alias incurrunt pœnas: quod latius patet in Decretis.

De dimißione uxoxis ex causa adulterij, audio miratos eße nonnullos quòd in prima annotationum mearum æditione minimè hunc articulum tetigi, cùm fuisset in hoc ipse Caietanus taxatus, quòd putarit ex adulterij causa dissolui matrimonium, non solum quantum ad thorum, uerum etiam quantum ad uinculum. Vt ergo admirationem omnium auferam, causam taciturnitatis meæ liberè proferã. Ego non in hominem stilum acui, sed in doctrinam, ubi uidebatur annotatione digna. Nec enim poteram prudenter reprehendere, quod nesciebam, etiam idoneè confutare. Non quòd probem ausum hominis contra omnes, sed quod nonnullam huius ausus occasionem habere uisus est mihi, ut non sim ausus ego illum reprehendere hoc in loco. Non autem

me

me latebat recentiorum theologorum, imò ab Augustino usque ad nouißimum nostri temporis communem esse sententiam, quòd in casu iam posito matrimonium nō omnino soluitur, id est, quoad uinculum. Quæ opinio ab ipso Augustino, qui meritò uir magnæ autoritatis semper fuit, uisa est firmiores radices egisse, quāquam & ipsemet aliquando aliter docuerit, ut ostendam. Sed interim congeram argumenta contra istam positionem, non contendendi, sed differēdi & discendi gratia, ut ueritas lucidior fiat. Primò igitur mouebo quæ de scripturis urgere uidentur, deinde rationes, tertiò etiam autoritates. Et primò quidem, uerba ipsa Domini, quæ apud Matthæum leguntur, plurimum mihi negotium faciunt. Dixit enim Dominus, Audistis quia dictum est antiquis, Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem Dico uobis, quòd omnis qui dimiserit uxorem suā excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Ex his ergo uerbis, ut argumentum texam, primùm capio, quòd id quod dixit Dominus iuxta tenorem legis antiquæ, quod est, Qui dimiserit uxorem suam det illi libellum repudij, intelligendum est de dimissione perfecta, quæ est non solum thori, sed etiam uinculi. quod negari non potest. Nam sic lex olim intelligebatur. Diuortium enim ac repudium perfectum tunc fiebat, permittente lege, id est, etiam quoad uinculum ut patet Deuterono. 24. hinc autem argumentum fortißimum (ni fallor) sumitur. Cùm enim tale diuortium prohibeatur à domino, quale

per legem permittebatur, de eo diuortio proculdubio intelligi debet quod erat uerè diuortium, id est, quoad uinculum, Et rursum, cùm hoc diuortium à Deo prohibeatur excepta causa fornicatiõis, planè sequitur, quòd ex causa fornicationis conceditur. Nam si uerum amamus, non appositè dixisset dominus, lex dixit, Si dimiserit quis uxorem, det ei libellum repudij, Ego autem dico, Si dimiserit quis uxorem, facit eam mœchari, si non eodem modo in utroque dicto intelligi uoluisset uxoris dimißionem. Adde quòd non est uera uxoris dimißio, quando thorum tantummodo separatur non uinculum. Quocirca non uideo quid hic dici ualeat, quod erudito pectori satisfaciat. Secundò circa illam quæ dimissa est absque causa fornicationis duo hic dicuntur simul, primum, quòd qui dimiserit, facit eam mœchari: Alterum, quòd qui eam duxerit, adulterat: ex quo uidetur sequi quòd si ex causa fornicationis dimiserit, sicut eam ipse non facit mœchari si cum alio copuletur, sic nec ille erit mœchus, qui cum illa coniungitur: nam citra causam fornicationis hæc duo dicuntur, id est, quòd qui dimittit, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, etiam mœchatur. Ex quo à sensu cõtrario capitur, quòd si ex causa fornicationis dimissa sit, si ullus eam duceret, ille quidem non mœcharetur, nec ille qui eam dimisisset faceret eam mœchari, tametsi fortè ipsa mœcharetur, non enim dedisset ei causam ille mœchandi, & sic non fecisset eã mœchari.

¶ Ad hæc & fortius etiam Matthæi capite. nono. sunt hæc uerba domini, cùm inseparabile matrimonium esse

esse dixisset per ea uerba, Quod Deus coniunxit, homo non separet: & illi obiecissent ex Moyse libellum repudij, & dominus excepisset, quòd illa permißio repudij fuit ad duritiam cordis eorum. & quòd ab initio non sic erat, adiecit, Dico autem uobis, quòd quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicatianem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Ex qbus uerbis planè (ni uehemẽter fallor) atque euidẽter elicitur, q̃ homo dimittẽs uxorẽ & aliã ducens, non existente causa fornicationis, mœchatur: existente uerò causa fornicationis, non mœchatnr. Vidit autem hoc argumentum Augustinus, quod & ponderat in libro de adult. coniug. Sed an soluerit, uiderit acutior lector. Ego enim non perspicio solutionem. Augustinus enim ita accipit hoc dictum perinde ac si Dominus solummodo dixißet, Qui dimiserit uxorem suam, non ex causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Nam ex hoc dicto non capitur, quòd si ex causa fornicationis dimiserit, non mœchetur, nisi accepto argumento à contrario sensu, quod argumentum non ex neceßitate stringit, sed apparentiam facit. Vnde & legulei de hoc argumento quando recipiendum sit, & quando non, regulas suas tradunt. Certè hoc argumentum habet in se sophisma consequentis, Sicut enim hoc posito uero, Si fumus est, ignis est, non sequitur ergo si non est fumus, non est ignis. Sic & in proposito hoc posito, Si extra causam fornicationis quis dimittat uxorẽ & aliã ducat, mœchatur, non sequitur, ergo si ex causa fornicationis id agat, non mœchatur. Ego uerò ingenuè fateor

quòd iuxta rigorem syllogismi non sequitur. Attamen negari non potest quin superfluus sit sermo iste in illa parte quæ habet causam fornicationis, Nam si in utroque casu mœchatur qui dimittit uxorem & aliam ducit, id est, siue ex causa fornicationis, siue non, iam superfluit totum illud quod dixit non ex causa fornicationis, quia hæc esset absolutè uera. Si quis dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, mœchatur, absque eo quòd adijceretur, excepta causa fornicationis. Ad nihil ergo seruit, adiecisse nō ex causa fornicationis, nisi ad ansam accipiendi malum sensum, uel saltem manifestè ad scrupulum inijciendum, quod non est credibile quouis modo in doctrina tanti magistri. Ad hæc aduerte acute lector, locum istum Matthæi.c.19. ubi sic excipitur causa fornicationis ut manifestè ex ui uerborum sequatur licentia perfecti diuortij ex ea causa, ut scilicet liceat dimittere nedum quo ad thorum, uerumetiam quoad uinculum uxorem fornicariam: Non enim ibi dixit Dominus iuxta simplicem figuram affirmationis hoc modo, Mœchatur qui dimittit & aliam ducit non ex causa fornicationis, sed per modum exceptionis à dicto. postquam enim dixit, Qui dimittit & aliam ducit, mœchatur, adiecit, nisi ex causa fornicationis, magna autem uis est in particula illa, Nisi, quæ est exceptiua à regula, ut propterea non aliud possit intelligi, nisi quòd ita faciens nō mœchatur. Quia ergo mihi etiam olim assueto in legū interpretatione, non alium sensum reddunt hæc uerba, fateor, non potui in hoc ipso reprehendere Caietanum, cùm etiam multò antè quàm ille scripsisset

ea commentaria, in eandem interpretationem ego uenissem, nolens tamen mihi ipsi credere, sed captiuum reddens intellectum meum in obsequium decretorum. Adhæc, si de dimißione quoad thorum sermo esset, profectò non sola causa fornicationis fuisset excepta, cum ex alijs licita separatio thori sit, puta si consentiunt ambo coniuges, & religione arctiore se astringant, quanquam & aliæ sunt plurimæ causæ, ut nõ nesciunt qui iura norunt. Adhæc non uidetur cõueniens quòd alius absq; propria culpa imò ex aliena culpa & in se ipsum illata iniuria, cogatur mutare statum & cælibem ac luctuosam ducere uitam, cum nec sit fas ei cum adultera cõiungi, nec appetere alteram. Quid uerò hoc durius? Quid enim si sit aliquis iuuenis plenus æstu & nequeat continere? Cur is cogatur ad conditionem continentiæ quæ est consilij non præcepti? Cur hic non habeat locum illa licentia, si non potest continere nubat? & quod alibi suadet, uolo uiduas adolescẽtiores nubere, filios procreare, matresfam. esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia, iam enim quædam conuersæ sunt retro post Satanam &c. Quod si hæc de fœminis dicuntur magna cum ratione, multo magis in uiris locum habere debent. Quid enim agat homo uiduus quoad thorum, uxoris adulteræ gratia, nullo suo delicto, & interim ætate uiridis, complexione robustus, procliuis in uenerem, assuetudine iam incontinens & uratur ut solent? Quid dicemus? aut quo remedio siue cõsilio succurremus eis? nũqd dicemus

uratur, uadat retro post Satanam, habeat occasionem delinquendi, fiat mœchus? Quis autem uiduus maiore miseratione dignus quàm iste, cui delictum ipsius uxoris non casus neq; mors abstulit uxorem? B. Paulus suadet propter incontinentiam, ut cõiuges qui orationis gratia separantur ad tempus mox redeant in idipsum ne Satanæ tentationi exponantur. (1. Cor. 7.) *Dicet fortè quis, fiat clericus aut Monachus, qui in hoc infortuniũ uenit: Quid si non sit animus? Vtrum cogetur nullo impulsus spiritu sed magis exterritus? Quid si nec sit idoneus? Certè dura est cõditio hæc. Scio quod uel casus uel genus aliud quod piam delicti posset alteri nocere in aliquo, ut Pont. quidam dixit.* (I in. in. c. quã fo de diuort.) *Sed quòd coniugis fornicatio alteri noceat in hoc ipso, durißimum & iniquißimum uideri potest. Adhæc si matrimonium sit inter infideles, & alter eorum efficiatur fidelis, solui potest matrimonium etiam quoad uinculum, cur igitur non in causa fornicationis? hoc est enim quod admiratur summopere Caietanus.* (Caie. 1. Cor.) *Verum non me latet hoc argumentũ non cogere, non enim omnino ratum est matrimonium infidelium, ut propterea soluatur admiratio Caietani, quoniam & ratio soluitur admirationis. Adiungitur tamen & alia consideratio. Si enim spiritualis fornicatio separat sponsum à spõsa, ita ut sponsus ualeat aliam sibi deligere, cur hoc non admittatur in carnali coniugio, cum in carnali sit significatio spiritualis ut dicit Paulus? Nam re uera subtilißimè Dominus causam hanc solam fornicationis ad matrimonij solutionem idoneam censuit, quia illa directò legi matrimoniali repugnat, & ipsi uinculo, quoniam*

niam neuter coniugum hac parte potestatem habet sui corporis, cum igitur hoc uinculum alter læserit soluens iniuria se ab illo, non mirum si aliter solutus iure inueniatur ab eo. Et hæc sunt quæ me nonnihil mouerunt, ut coactus sim quàm uehementissimè dubitare, Quòd uerò nonnulla sit pro hac re autoritas post scripturam & rationes præscriptas, primò quidem facit Ambrosius uir totius pudicitiæ amator fautor & custos, qui uiro permittit ob adulterium coniugis illam dimittere & alteri copulari. Sed aiunt quidam, ab hæreticis hoc assutum fuisse in libris Ambrosij. Quinam hæretici? An fortè quæstio hæc uentilata est in hæreticos unquam? Equidem ego non legi. Deniq; sicut hoc facile dicitur, & non probatur, ita & facile ac iure contemni potest. Adhæc est pro hac sententia Zacharias Pontifex cuius hæc uerba sunt, concubuisti cum sorore uxoris tuæ: si fecisti, neutram habeas. Et si illa quæ uxor tua fuerit conscia sceleris non fuit, si se continere non uult, nubat in Domino, tu autem & adultera sine spe coniugij permaneatis. Fuit & quoddam concilium Elibertanum nomine, quod & hoc permisit. Fuit & Triburiense concilium ex quo legitur. Si quis cum nouerca sua dormierit, neuter ad coniugium potest peruenire, sed uir eius potest si uult aliam accipere, si se continere non potest. Itaq; non caret hæc sententia testimonijs suis. Adde quòd & Origenes & Hieronymus idcirco uiro prohiberi alias nuptias dixerunt, ut tolleretur occasio calumnijs. Viri enim minus sæpe hoc crimen uxoribus suis impingerent ut alijs copulari ualerent,

si

si igitur hæc sit ratio prohibitionis uniuersalis, profe- cto satis admittitur, quòd ipsum uinculum de iure sublatum sit propter uerba domini. Et hoc ualde no-tandum est. Adde & mirabilem circa hoc Augu-stini sententiam, qui, & si aliter aliquando disputauerit, tamen in lib. de fide & ope. capit. 19. in hunc modum

Nota. hac de re scripsit. *Quisquis uxorem in adulterio depre-hensam dimiserit & aliam duxerit, non uidetur æquan-dus eis qui excepta causa adulterij dimittunt & du-cunt. Et in ipsis diuinis sententijs ita est obscurum, utrũ & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimitte-re, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut quan-tum existimo uenialiter quisq; fallatur.* Hæc ille. Scio quod aliter docent nunc uniuersaliter scholæ. Et ego cum illis sentio si ex fide cogor, & captiuum reddo in-tellectum meum. Hoc tantum precor ne nimis facilè etiam censuram adhibeant. Satis est quòd Decretis Pon-tificum hanc persoluo reuerentiam, ut iuxta illa etiam doceam atq; consulam. Verum contendunt quidam & hoc à scripturis haberi, quoniam ad Roma. legitur, Mu-lier alligata est legi uiri donec uiuit uir. At Diuus Ambrosius & Caietanus faterentur hoc de muliere, nõ autem econuerso de uiro, in causa fornicationis. Sed hi habent contra se Augustini & communem sententiam, quæ ait, in huiusmodi marem & fœminam ad paria iudi-cari. Quamobrem dici potest quod ibi regula ponitur à Paulo, nec propterea prohibetur exceptio ex uerbo Christi, uidelicet cum causa fornicationis adest. Non enim uerè diceretur à Paulo quod mulier sit alligata ui-

ro adul-

ro adultero, & sic eius legi, quoad thorum. Nam & alibi Paulus simpliciter dixit, Et uir uxorem non dimittat, & tamen supplenda est exceptio Domini, uidelicet ex causa fornicationis. Adijciunt etiam de muliere, quod ait simpliciter Paulus, Praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere: quod si discesserit manere innuptam aut uiro suo reconciliari. Sed nihil hic dicitur de causa fornicationis. Vnde quàm facillimè locus iste dissoluitur, ut sit sensus quod mulier non debeat à uiro discedere, uidelicet absq; causa fornicationis, quod si discesserit uidelicet absq; illa causa fornicationis, manere innuptam. Nam hoc est quod dixit Dominus manifestè, ac si dixerit Paulus. Quod si permittatur fortè mulier ob mores uiri & aliquam urgentem causam discedere à uiro, non tamen hoc permittitur, ut alteri nubat. Quare tandem non uideo quid sit in scripturis quod cogat nos confiteri ex causa fornicationis non solui uinculum, ut liceat alteri coniugum nubere, causa dilucidè cognita & manifesta. Hoc tamen econuerso me mouit ualde ne quid ausim asserere, quòd magna uia aperiretur calumnijs atq; dolis & insidijs, quod cõsiderauit Hieronymus & Origenes. Deniq; uenit aliud in mentẽ ad respon- Nota. dendum aliquo modo uerbis Domini, etiã stante propria significatiõe uerborũ: et hãc respõsionẽ puto uerißimã. Si quis enim sic arguat ex textu, ut concludat, Qui dimiserit uxorẽ suam ex causa fornicationis, non mœchatur, fatebor, & credo quod compellatur unusquisq; à uerbis illis Domini exceptiuis hoc fateri. Quod si inferat, ergo licitè tanquam omnino solutus à uinculo poterit

aliam ducere.negatur. Non enim ualet, Si non mœchatur, *uidelicet in illam uelut adulter, ergo potuit aliam ducere,cum hanc facultatem debuerit implorare & obtinere causa cognita ab ecclesiastico iudice.Credo enim, quod sicut ex magna causa,puta ne sint crebriora adulteria,ne detur locus calumnijs, Pontifices potuerunt homini qui inueniatur in huiusmodi angustijs prohibere coniugium,sicut uerè prohibuerunt regulariter:ita possint à sua ista prohibitiõe absoluere particulariter aliquos:cũ uiderint magnã causam & urgentem,sicut & alias fecerunt, ut superius patuit.Et in hac sententia sum donec uideam meliorem, summittens me semper censuræ Ecclesiæ sanctæ & peritiorum iudicio.*

F. AMB. CAT. SENEN. ANNOTATIONVM IN COMMENTARIA CAIETANI. LIBER VI.

Ex uarijs eius commentarijs, & quodlibet. etiam annotationes uariae.

IN HIS QVAE TRACTAuit *in opusculis suis, de autoritate Papae & concilij & de primatu Petri, multa inueni retractatione digna & annotatione, quòd nonnulla falsa ueris admisceat: & quae uera sunt & catholica inefficaciter probet, imò & nonnunquam inconstanter loquatur & inutiliter, imò & contra seipsum ratiocinetur. Quae materia, quia longum uolumen exigeret, & proprium habet tractatum, ab his meritò sequestrata in proprio libello, quē de regno Christi & uicarij eius Papae inscripsi tractabitur. Vnum hic tantisper commemorabo, quòd in suo tractatu de Autoritate Papae uult haereticum Papam non desinere esse Papam: in quo sustinendo, ita laborat paralogizando, ut me in magnam*

coniecerit

conieecerit admirationem. Sed deo gratia est, quòd in alio opusculo de primatu Papæ a diametro cõtradixit. Pulchrũ tamen fuisset uidere hominis meditationes, ut paterent errores eius, his, qui illius dicta oracula arbitrantur. Hîc satis fuerit admonuisse.

Sup. 2. 2. q. 88. art. 11.

QVæstionem illam agitans Caietanus, an summus Pontifex super uota religiosi circa castitatem dispensare poßit, tenet contra id quod Beatus Tho. tum ex ratione tum ex autoritate decretalis, cum ad monast. de statu mon. decidit. Ait enim primo quãtũ ad autoritatem. B. Thomam fuisse falsum in hoc, quòd non aduertit, quòd in ea decretali, pontifex hoc solum dicit, quòd non est pontificis ulla dispensatione efficere, ut religiosus manens religiosus eximatur à cingulo castitatis, non autem dicit, quòd Papa non poßit absoluere aliquem à uinculo religionis, ut sic fiat sæcularis, & ita solutus à uoto isto. Quantum uero ad rationem, etiam falsum fuisse Thomam, ait, quia ratio Thomæ præsuponit solemnitatem uoti consistere in quadam benedictione & consecratione per quam religiosus sacratur Deo: & quia quod semel est sanctificatum, & sacratum deo: non potest ad alios usus transferri, ut patet de calice, item de sacerdote: non enim potest fieri ut qui est sacerdos non sit sacerdos: ita nec potest fieri ut iam monachus non sit ulterius monachus, cum semel cõsecratus sit deo, uelut mancipium sibi dicatum, adeptum statum nouum & altiorem ad seruiendum deo in uita puriore. Hæc autem uoti solemnitas ex apostolica traditione uenit. ut tradit Dionysius. Ergo quod sibi deus coniunxit,

homo

homo separare non potest. Hæc ratio. D. Thomæ. At Caietanus hanc rationem quandam potius adaptationẽ uocat quam adinuenit (inquit) Sanctus doctor ut se ac commodaret Decretali Pontificis, quàm deceptus puta bat illum sensum habere. Sed hoc ipse profectò falsò cõ mentus est. Thomas enim antequã ueniret ad hanc quæ stionem, & principaliter de ipsa uòti solennitate reli giosi tractaret, sic declarauerat & sic concluserat, ut patet in art. septimo eiusdem. q. Et in undecimo utitur iam posita doctrina & ibi seipsum citat. Non ergo tunc adinuenit rationem illam ut se aptaret Decretali sicut illi falsò imponit Caietanus: sed utitur iam probata & statuta potius, ut ipsam Decretalem corroboraret. At inquies, ratio ipsa infirma est, ut ostendit Caietanus. Vi deamus ergo quo pacto ipse hoc ostendit. Negat enim quod sumit. sanctus Doctor, uidelicet quòd uoti solẽnt tas profitẽtis religionẽ cõsistat in cõsecratiõe ac benedi ctiõe, idq; probare nititur multis modis, nõ solum cõtra id quod docuit Thomas, uerũ etiã cõtra id quod ipse met in opusculis scripsit, ut perpetuò uideas incõstãtiã Inconstantia doctrina. *doctrinæ. Ergo mouetur quia in professione tacita, est uotum solenne, & tamẽ ibi nulla benedictio. Item non omnes regulæ approbatæ habẽt hunc morẽ benedicendi profitẽtes, ut patet in ordine nostro, ubi post professionẽ factã solũmodo uestis benedicitur. Ad hæc, uoti solẽnitas nõ cõsistit in eo cũ quo stare põt quòd uotũ cõiũctũ sit simplex, sed solẽnitas cõsecratiõis posset eẽ cũ uoto sim plici cõtinẽtiæ, si fortè statueret ecclesia qđ suscipiẽtes sacrũ ordinẽ nõ emitterẽt nisi simplex uotũ continẽtiæ,*

aut si cessaret statutum ecclesiæ de coniuncto continentiæ uoto sacro ordini, & simplici uoto quis se astringeret ad continentiam suscipiens puta diaconatum, aut si quis profiteretur religionem quæ nunc est approbata, postquam forte desineret esse approbata, & benediceretur sicut consueuerunt monachi, certe his casibus non esset uotum solemne, & tamen non deesset consecratio & benedictio: ergo non in hac consecratione siue benedictione consistit uoti solemnitas. hæc ille. sup. 7. arti. & super undecimo latius tractans distinguit duo genera benedictionum siue consecrationum & quasdam uocat constitutiuas scilicet in esse sacro, quasdam uero nõ: Et ad discernendam inter has, signum indicat. Quotiens enim (inquit ille) illicitum esse uides transferre ad aliquem alium usum, id quod benedictum est, dices esse benedictionem constitutiuã, hoc tamen si ex ui benedictionis hoc esset, sinautem etiam absq; benedictione, id esset tũc benedictio cõcurreret ad bene esse, uerbi gratia bene dicuntur qui accipiunt primã tonsuram & fiunt clerici, & tamen non per benedictionem, quia etiam absq; benedictione clerici essent, detonsi, Talis est benedictio monachorum, nam absq; illa multi sunt monachi, Alioqui partiti essent religiosi, & qui benedicuntur essent duplici modo monachi. Alij uno tantum, quod est inauditũ. Addit quòd in ordinario Ro. ecclesiæ, orationis non benedictionis titulo signatur, & per hæc concludit cõtra Thomæ rationem his uerbis, illa propositio, uidelicet. B. Thomæ, esse religiosum consistit in benedictione, sicut esse sacrum in calice consistit in cõsecratione, cũ reuerentia,

Nota.

est falsa. Et ideo tales benedictiones uocat inuocatiuas non constitutiuas, sicut de imperatore, qui inungitur benedicitur & cõsecratur, nec propterea per hoc immobiliter constituitur imperator, ut non posset priuari imperio. Fatetur tamen quòd si consecratio uirginum uera esset consecratio, ut ex eo esset spõsa Christi, non posset per ecclesiam dispensari circa illam, sicut nec circa calicem, & ita matrimonium postmodo contractum dirimeretur etiam in non professa solemniter, ut puta si episcopus uirginem simplici uoto uouentem consecraret, hoc enim esset non ex ui uoti, sed ex ui consecrationis, quã ob rẽ forte Matthæus Apostolus non permisit Ephigeniam iam consecratam deo, etiam cum magno bono, inire nuptias, tanquã hoc esset indispensabile &c. Hec ille in summa. Quæ quòd nõ solũ cõtra Thomæ sententiam, sed etiam contra ipsam puram ueritatem militent non grauabor ostendere. Oportet autem primò declarare Thomæ doctrinam, quam ipse uerè non intellexit, hac enim declarata continuo uidebis quòd illa statim per seipsam defenditur. Ipse enim. S. & gloriosus doctor, uolẽs declarare quid importaret solemne uotum, & quid adderet super uotum nõ solẽne, primum supponit quòd solemne quidem uotum mutat statum, uotum autem simplex non mutat. Vnde sequitur quòd uoto solemni obligati, non possunt contrahere nuptias, quia sunt in statu repugnante matrimonio: quem statum non possunt mutare, quia persona ipsa est affecta & mancipata alienis ab isto mundo curis, unde ad hoc opus reddita est inhabilis: uoto autem non solemni ligati, non mutant statum

ac propterea neq; afficitur persona ut inhabilitetur ad hoc. Et ideo si contrahunt nuptias peccant quidem, At nō cōtra statū, sed cōtra simplicē obligationē. Sicut enim accidit in seruis ex una parte, & ijs qui ex sola cōuētiōe famulātur ex alia. Quia enim seruorū psona est affecta seruitio domini, ut nō ualeat illo inuito se expedire, ideo non possunt contrahere, famuli uero cōtrahere possunt, sed uiolant pactum & tenentur ad interesse si subtrahant suas operas iam locatas. Sic est in uoto solemni & non solemni ut dictum est. Si ergo quaeritur. Quid est ergo quod faciat hoc uotum esse solemne? Respondet Thomas, Benedictio siue cōsecratio quaedam. huius autem benedictiōis quis est author? Deus (inquit Thomas) Est ergo solemnitas ista, quaedam spiritualis & inuisibilis consecratio dei, qua afficitur persona uouentis, & non est publica et externa quae uideatur aut fiat ab hominibus, sed potius cerimonijs repraesentetur: & hoc est quod non uidit Caietanus, & ideo deceptus est: Thomas autem benè oculo spiritus hoc penetrauit, quod ut plenius intelligas Scito primum, ut quid sit deo consecratum, non satis esse si hoc ab homine offerente fiat, sed est necesse quòd à domino ipso Deo acceptetur et probetur. Ergo mea professio ac meijpsius oblatio domino, non mutaret meum statum nec afficeret personam meam, nisi illi benediceret deus acceptans illam, & firmans, ac fauorem illi promittens spirituali illa benedictione, quoniam uerò nō omnium est mutare statum suum, nec deus omnium acceptare uellet oblationem talem, utpote temerariè factam nec prudenter, ideo constitutionibus Pontificalibus constitutum est, ut ea demum intelligātur solemina uota religionis

ligionis quæ fierent in aliqua religione approbata, His enim Decretalibus aßistit Deus & ratas habet. Nam ecclesiæ est huiusmodi decernere, ut ritè fiāt. Et (ut inquit Paulus) Omnia ordinate, Et secundum hoc intelligitur Bonifacij dictum, quòd uoti solēnitas est inuenta ab ecclesia, ut intelligamus, quod Ecclesia hoc inuenit, uidelicet certum modum profitendi, puta in tali & tali religione, in quo declaratur quod tunc ipsa benedictio spiritualis adest. Et licet hic modus ab Apostolis ipsis iam esset traditus, & per manus receptus ut Dionysius, inquit. In quibus Apostolis erat autoritas Ecclesiæ, tamen posteriores Pōtifices hoc declararūt Pōtificijs sanctiōibus scriptis. Nō enim quouis modo putandū est quòd minus eēnt profeßi solēni uoto antiqui monachi, sicut hæretici perniciosè docēt, quā qui uenerūt post pōtificū scriptas cōstitutiones. Nō enim erat ptās Ecclesiæ sine Deo inducere talē spiritualis status personæ mutationē. Deū enim acceptare oportet, ut id ratū sit, & eius est internius cōsecrare & benedicere: ut quis reddatur ad hoc idoneus. Et ideo Carthusianorū monachi nō minus fuerunt & sunt monachi, quàm quicūq; alij, licet diplomate Apostolico nō appareret eorū regula cōprobata, nec nūc fortè appareat, Satis tamē est quod tacitè probarit Ecclesia. Et adhuc in suis Decretis sic cōmēdauerit, ut ualdè superstitiosus sit qui certiorē exigat cōprobationē. Tales erāt antiqui monachi qui et ab Ecclesia tacitè cōprobātur, sic et Sancti olim nō canonizabātur sic solēniter ut mō fit, & nihilominus spū tacito instructa Ecclesia multos ut sctōs uenerabatur, Sed redeamus ad rē.

Nota hæc acute lector.

Cum ergo sola professio non mutet statum nisi accepte tur à Deo, sicut dictum est, & ita afficiatur persona spirituali benedictione & cõsecratione, nec ecclesiæ sit istã constitutiuam (ut huius more loquar) benedictionem inducere, sed solius dei (quia gratiam & gloriam dominus dat) ideo uerum est quod ait Thomas, quòd huius solẽnitatis siue spiritualis benedictionis autor est ipse deus. Et per hanc declarationem facile patere potest Caietani argumenta corruere prorsus omnia, quæ tamen nouitijs, qui non habent fundamenta spiritus, negocium magnum facere possent. Non obstat ergo primum quod ait quòd ex hac Thomæ doctrina sequeretur quòd tacite professus non esset religiosus & similiter professus in religionibus in quibus talis benedictio non seruatur. Fallitur enim ex hoc, quod putauit diuũ Tho. sensisse de benedictione, siue potius oratione illa que sensibiliter solet in quibusdã ordinibus obseruari, quæ est inuocatio potius benedictionis & consecrationis diuinæ. At d. Tho. declarauit benedictionem de qua loquebatur esse spiritualem & cœlestem, & à Deo inuisibiliter uenientem: quæ uenit quoties quis in religione aliqua probata profitetur siue tacitè siue expresse, nec enim professio qualibet constituit religiosum ita ut afficiatur persona & mutetur status, sed solum si in religiõe probata hoc fiat. Nec posset pontifex facere ut alligati uoto simplici mutarent statũ. repugnant enim hæc inuicem ut sit uotum simplex & sit mutatio status per illud uotum, & ideo non potest consecrari uirgo per episcopum absq; professione regulæ alicuius probatæ nunc: non enim esset unquam benedictio

siue

siue consecratio, & consequēter ipsius personæ affectio, ubi non esset solemne uotum. Et ideo meditata Caietani redduntur inania, nec si desineret esse probata aliqua religio quicunq; profiterentur sub qualibet benedictiōe exteriore reciperent benedictionem dei, & consecrationem. nec prima tonsura sine interna & spirituali benedictione, & consecratione constitueret clericum, nec sacros ordines quisquam posset accipere sine illa. Et ideo non sunt diuisi monachi, ut aliqui sint magis monachi propter externam benedictionem, seu potius inuocationem, quia nō in externa illa cō sistit uera solemnitas siue affectio personæ & mutatio status, sed in interna: quæ potius per externam declaratur, ubi adhiberi consueuit. quod planè declarant uerba Thomæ dicentis. Solemnitas uoti attenditur secundum aliquod spirituale, quod ad deum pertineat, id est, secundum aliquam spiritualem benedictionem uel consecrationem, quæ ex institutione apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ &c. hoc autem quod ait, quòd ex institutiōe Apostolorum adhibeatur talis solemnitas, significauit quòd Apostoli instituerunt quandam in professione obseruātiam, cuius meminit Dionysius, per quā illa spiritualis & interna benedictio significabatur. Nec enim adeo inconsideratus erat. D. Thomas, ut non recordaretur eius quod offerebatur statim in promptu, uidelicet quòd non omnes ordines seruant tales cœrimonias benedictionum, aut potius orationum exteriores, præsertim cū noster ordo sub quo ipse professus est, hoc nō seruaret. Quomodo ergo tantus doctor tam crasse aber Nota.

rasset in re quæ erat ante oculos? An etiam ignorabat quòd illa benedictio quæ erat ab Apostolis instituta & ordinata, de qua Dionysius, iam nunc apud ullos nõ est in usu? Sed quid attinebat etiam Caietanum alias benedictiones proferre, quas inquit non esse constitutiuas? Nulla enim est benedictio diuina non alicuius rei cõstitutiua, ne alioquin frustratoria sit. Sed hoc erat uidendũ quidnam cõstituat, quæq; benedictio: & si rem afficiat quasi sacram sibi: quia nõ omnes benedictiones eiusdem rei sunt cõstitutiuæ, hoc uerissimũ est. Benedicitur imperator & cõstituitur illa persona in ea dignitate cum domini benedictiõe nõ ad hoc ut illa persona sacra sit Deo & mãcipata sicut sacerdotes & religiosi, sed ad hoc ut dignè & tranquillè & iustè regat imperiũ, & ut etiam armis pro tuenda rep. Christiana ubi opus fuerit dignè militet, in tyrannos & hæreticos & in ecclesiã contumaces, ad quod adiuuaret illa benedictio, nisi ipsemet obicem sua militia poneret, & ideo à Deo habet ius in imperio, quandiu rectè pro illo militet. Non enim ualet illa benedictio uel consecratio, ut non possit priuari regimine illo, quo abusus fuerit contra Deũ. Et propterea nõnulli Pontificum imperio priuarunt nonnullos. Sic & benedictiones ouorum & panum & huiusmodi ciborũ non constituunt rem in esse sacro, aut in alio esse quàm ad cibandum ut dignius suscipiatur. Nam per hoc adhuc magis sanctificantur cibi ab illo antiquo maledicto terræ à quo acceperũt maledictionem, sicut scriptũ est, Maledicta terra in opere tuo: & D. Paulus, quod pluri mi nõ aduertũt. Sanctificatur enim per uerbũ (inquit) et orationẽ.

orationẽ. Tales sunt & uestiũ quarũdã benedictiones: Nõ enim in esse sacro diuinis mysterijs mãcipatæ cõstituũtur, sed ut dignius induamur eas. Itaq; nõ omnis benedictio quæ à Deo est, idẽ cõstituit: sed certũ quid, iuxta illud ad quod destinatur, & iuxta illius rei naturã. Itaq; nõ mirũ si quædã benedictiões cõstituũt in esse sacro & mãcipato diuinis usibus, ut nõ poßint prophanis usibus adaptari, & quædam nõ. Sic sanctificata fuit. B. Virgo, per superueniẽtiã spiritussancti & immẽsam quandam benedictionẽ, ut esset dignũ Christi receptaculũ, & in hoc fieret sacratißima nullo usui mãcipanda, nisi diuino, tum secũdũ corpus tũ secundũ animã. Religiosi uerò ut serui Dei, domestici Christi & de prope sequẽtes eũ, et illi in omnibus & in omni momẽto obsequẽtes, benedicũtur: & sic afficiũtur personæ, et factæ sunt inhabiles ad poßidẽdũ quæ mũdi sunt, & carnis: & ideò à nuptijs ablegãtur omnino, et à rerũ proprietate. Cũ igitur incõcussa maneat D. Thomæ sentẽtia, uidelicet quod profeßiõe religiosi in regula probata ex qua exculpitur spiritualis Dei benedictio, persona eius afficitur, ablegata ab operibus carnis & mũdi, quæ alioqui fuissent ei licita in statu alio, & obligata obsequijs Dei et Christi per propinquiorẽ sequelã, ut sit homo monachus, id est, non ut quidã putãt solitarius, sed ut rectius D. Tho. declarat, in illud unũ quod est necessariũ siue opportunũ collectus, & nõ diuisus & distractus, sicut Martha quæ turbatur erga plurima, sed ut sit sanctus mẽte & corpore, cogitans aßiduè quæ Dei sunt. Cum inquam talem statum constituat profeßio & uoti solennitas per Dei benedictionẽ siue cõsecrationem, ut iam sit effectus mona-

 chus

chus homo dei & isto uinculo deo iunctus, rectè sequitur & uerißimum est, quod Thomas, imò quod & ipsa decretalis doctißimi pontificis manifestè dicit, quòd Papa non potest dispensare super hoc, ut quod semel sic dicatum est deo, & acceptatum & signatum ab ipso spirituali benedictione, ab homine prophanetur ulla solutione. Hoc inquam uerißimum est nec potest solui hoc argumentum Thomæ. Non enim est in potestate pontificis mutare cuiuspiam statum, qui status sit erga deum. Et ideò, nec ulla dispensatione faciet quòd aliquis non sit Christianus semel baptizatus. Nec aliter intelligitur decretalis illa quam intellexerit eam. D. Thomas. Nõ enim sensus decretalis ille est, quòd Papa non potest in hoc dispensare ut monachus manens monachus, soluatur tamen ab his quæ sunt de essentia monachatus: quod est dicere. Nõ potest facere Papa q, idẽ dũ est monachus. non sit monachus. Nã cui erat dubiũ hoc? id enim neq; cadit subpotẽtia Dei. Põtifex ergo ibi ait, q, Abbas nõ potest dare licẽtiã monacho ut habeat ꝓpriũ quia nõ hoc facere potest põtifex ulla dispẽsatiõe. Absolute autẽ & simpliciter loquitur ibi pontifex, quòd hanc licentiam dare Papa non potest, quod non esset uerum simpliciter si posset dispensatione facere quòd non esset monachus. Sic enim dando licentiam de proprietate, consequenter absolueret à monachatu, sicut qui constituit heredem seruum, consequenter facit & liberum. Ratio autem quare hanc licentiam non potest dare pontifex est, quia ista uota, scilicet proprietatis & castitatis, sunt annexa regulæ monachali, id est, statui ipsi.

Et

Et quia non satis erat hoc, si reuera pontifex posset statum dissoluere, ideo iam habuit hoc ille pontifex tanquam notum & confessum, quòd non est pontificis hũc statum ulla dispensatione soluere, & sic nec ullo pacto concedere proprietatem, Et ideo benè dixit, & conclusit audacter. B. Tho. Nam hoc & D. Bernard. audacter prædicauit, qui tamen de pontificis potestate multis in locis, gloriosa sensit & docuit, ut par erat, sicut alij fortè quicunq;. Conclusit ergo audacter. D. Tho. quòd Papa non potest facere quòd quis religiosus desinat esse religiosus, quoniam nec uotum à statu, nec statum ab homine potest dirimere ac segregare, eo quòd semel consecratum Deo, non potest ab homine prophanis usibus mancipari, propter quod legitur in figuram Leuit. ultimo, Animal quod immolari potest domino si quis uouerit domino sanctum erit, & mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec peius bono &c. Et similiter religiosus, suum animal, id est, corpus, quod semel uouit deo, non potest ulla hominis licentia uel dispensatione à domino auellere, iam enim sacratum est: & sic concludit ut dixi. S. Doctor. Et addit. licet quidam iuristæ ignoranter contrarium dicant. Non enim latuit. D. Thomam quædam Glossula iuristarum, quam tamen secutus est Caietanus, adherens glossulæ, quam nescio si quis canonistarum sequatur, & quam. B. Thomas tanta confidentia (qua uti tamen non consueuit) uituperans, reprobauit, atq; reiecit. Verum hic dices mihi. Quomodo ad argu-

menta

menta in oppositum respondebis? Nam constat quòd Cælestinus tertius imperauit Regi Aragonum monacho ut uxorem duceret propter magnum bonum publicum, cuius factum non est credendum quòd improbasset Innocentius tertius qui successit ei, Ego uerò dico, quòd nec est credendum quòd hoc factum ignorasset Diuus Thomas, cũ res esset famosior ætate sua & magis notata quàm post tanta transacta tempora, & tamen, hoc non obstante, sic ut uidimus conclusit. Quid ergo dicendum? Nunquid in huiusmodi non possunt errare Pontifices quæ pertinent ad particularia facta? hoc quidam non negarent. Et nihilominus nõ dico quòd errauerint, nam aliter defendi potest doctrina Thomæ, ut maneat ueritas quòd Papa non posit in huiusmodi dispensare, etiam si hoc admittatur Põtificem rectè fecisse quod fecit. Quod equidem non inficior. Pro cuius rei ulteriori declaratione sciendum est quòd cum omnis dispẽsatio sit contra commune ius, & ius sit uel diuinum uel positiuum ipsius Pontificis, & nullus ualeat dispensare nisi contra ius quod à se proficiscitur, uel ab aliquo inferiore, & non contra ius superioris, ideo propriè loquẽdo dicimus quòd in omnibus quæ de iure diuino sunt, Papa non potest propria potestate dispensare. Quia ergo status religiosi proculdubio iuris diuini est, ut qui in illo sit, diuino iure sit addictus & mancipatus ipsi Deo, certissime nõ potest nisi ab ipso Deo ab hoc uinculo absolui & emancipari dispensatiõe. Verum est tamen quòd ipse Papa non solum in Ecclesia fungitur uice prælati loco Christi, uerum etiam Propheta est, in his quæ exigũtur in Ec-

Nota quia hæc multinõ aduertunt.

in Ecclesia, & indigent certificatione, nam & ad illum pertinet & confirmare scripturas & canonicas facere: & similiter interpretari, cùm dubium occurrit, scripturas ipsas: & decidere fidei quæstiones: idcirco etiam in his quæ sunt diuini iuris potest declarare diuinam mentem ut Propheta, & sic etiam super his dispensare non quasi sua autoritate sed magis autoritate Dei, aut potius diuinam dispensationem interpretari, in casibus tamen qui id requirere uidebantur. Quamobrem cũ quædam sint Canonici iuris, quod ab ipso Pontifice proficiscitur, in his habet Papa liberam & regularem dispensationem: Eorum uerò quæ iuris diuini sunt, quædam sunt quæ absq; dubio de se sunt indispensabilia, quia non potest cogitari casus in quo sit ratio dispensandi, ut quòd filius inhonoret patrem aut admisceatur cum matre, aut si uellet Papa statum religionis tollere, aut mutare sacramenta & inualidare formas à Christo præstitutas, & alia huiusmodi: quia enim non est dare casum in quo exigant declarationem nouam diuinæ uoluntatis quæ huiusmodi sunt, ideo est, ut non poßit se Pontifex in his intromittere, quia non tam esset declarare diuinam mentem, quàm manifestè aduersari illi. At sunt quædam alia, quanquam etiam diuini iuris, uniuersaliter constituta, quæ in aliquo casu possent admittere dispensationem, sed quia ij rarißimi erant casus & uix semel in sæculo contingentes, ideo uniuersaliter quidem legem statui oportuit, & nihilominus Prophetam Dei cõstitui, qui arbitraretur in euentum dispẽsabilitatis, quando esset lex ipsa relaxanda, ita quidem

Nota.

ut hæ

ut hæc relaxatio ab ipso Deo uideatur proficisci, per eum tamen qui mentem suam interpretetur: & sic accidit in re proposita. Et idcirco non paßim ac pro arbitrio, sed ex maximis causis & quàm rarißimis. Proditũ est enim de Cælestino tertio, qui id fecit semel aut bis. Et idcirco uerißime dictum est quòd papa non potest dispensare scilicet, secundum potestatem quam ipse habet, quia non habet super ius diuinum, nisi eo quo dictum est modo, ut propheta & interpres diuinæ mẽtis, qui Spiritusancto inspirari potest in huiusmodi ad declarandum Dei mentem, uidelicet quòd in tali puta casu Deus liberat illum à uinculis uoti, uel quòd non acceptauit uota, aut amplius non acceptat: Et sic interpretatur quòd uel nunquam fuit monachus coram Deo, Deo uotum nõ acceptante: uel quòd Deus illi forte nouo emergente casu relaxat uotum. Simile est quoq; in dispensatione circa matrimonium inter personas quæ iure diuino copulari prohibentur. Nam quòd Papa non ualeat dispensare in his, est ipsius Innocentij clara sententia in Decretali. Literas tuas. de resti. spol. Quod autem ex magnis causis aliqui Pont. dispensauerint, hoc non fuit ex iurisditione, ut diximus, sed ex prophetica interpretatione, ita ut rectius ac uerius dicatur, Papam declarasse diuinam mentem quòd relaxabat in illis casibus suæ legis uinculum, quàm dispensasse seu relaxasse. Et propterea ego in casu illius hominis qui regit Angliam asserui, quòd non iure uxorem suam dimisit, cui erat sociatus per Pontificis oraculum id permittentis, quanquam fuisset fratris uxor iam defuncti, quia licet esset iure di-

Nota.

uino prohibitus: hic tamen casus non erat suapte natura indispensabilis, ut non posset inueniri causa aliqua magna dispensabilitatis, qua emergente, diuinam mentem potuit Pontifex interpretari. Et hoc sentiebant illi qui dicebant, quòd in huiusmodi Pontifex nõ habet liberam dispensandi facultatem, sed ex magnis duntaxat causis, sicut contigit quòd Dauid cum socijs dispensatus est à principe sacerdotum, ut sine culpa comederent panes propositionis in casu famis, quos non licebat edere ijs qui non erant sacerdotes. Hoc etiam dicebant qui considerantes in naturalibus quędam esse quę nunquam nisi uno modo se habent: quędam uero quę ualent à consueto modo decidere, & horũ quędã quàm rarißimè, quędã frequẽtius: quędã uero quę ęquè ad utrũlibet. Ita est in actionibus nostris quantum ad bonum & malum moris, Nam sunt actionum quędam quę uno modo semper se habent, quoniam semper malę sunt & intolerabiles, & hę certam quoq; habent & immutabilem iuris dispositionem, & idcirco clarè patet in his diuinum ius, quòd est indispensabile. Et sunt quędam quę uariationem recipere ualent, ut aliquo casu reddi ualeant licitę, sed uix & perrarò ut in exemplis datis: Et in huiusmodi licet disponat etiam ius diuinum, tamen quia de se admittunt in casibus dispensationem, idcirco Põtifex de ratiõe dispensabilitatis potest interpretari tãquã Propheta Dei quẽ reliquit sui loco Christus in terris quãtũ ad omne munus necessarium Ecclesię. Et ideo secũdum prophetiam perscrutatur etiam profunda Dei in magnis casibus, sicut iam diximus. Nam & Caiaphas eò

quòd

quòd esset Pontifex prophetauit. Qua de re alijs particularibus tractatibus disserui latius. At uerò quæ frequenter uariationem recipiunt non solent à iure diuino disponi, sed reiecta sunt in sapientiam Pontificum ut ius ipsi constituant, & in his liberam habeant dispensandi facultatem, ita tamen ut cum causa debeat dispensari. Si uerò causa desit ualeat quidam dispensatio, uerum ipse dispensator si contra conscientiam agit, aut qui dispensationẽ accipit si fraude impetrat & subreptitiè, reus iniquitatis constituatur coram domino. Et per hæc satisfactum puto & iam tractato articulo, & alijs multis qui similem iudicium ferant. Nolo enim arbitretur quisquam quòd in his quæ sunt etiam diuini iuris, si probetur quãdoq; ratio dispensabilitatis, negemus summo Põtifici facultatem dispensandi, aut potius occultã Dei dispensationem declarandi, ut dictum est: ne mancam prouidentiam Dei faciamus. Et idcirco potes uidere, quòd se inuicem non intelligentes, & benedicant Theologi & Canones, & bene etiam dicant Canonistæ. Theologi enim negant posse in his dispensare Pontificem, tanquã super iure superioris non habentes potestatem, & uera ratione ducuntur. Canonistæ autem dicunt hoc posse Põtificem, quia uiderunt nonnunquam id etiam fecisse Pontifices summos: at non attenderunt modum, quod hic non ut potestatem exercentes super iure diuino, sed ut interpretantem & declarantem diuinæ mentis arcana.

1.2.q.94. arti.4.&.5. Et propterea sæpe dixit. B. Tho. esse uariabile ius naturale quod est etiam diuinum, licet nõ in principijs quæ nota sunt omnibus, in ijs tamẽ quæ inde sequuntur, raro tamen

tamē, & ex magnis causis. Et propterea admittere hāc uariationem dixit à lege & consuetudine & consequēter huiusmodi dispensabilitatem, quoniam licet secūdū se sunt indecentia, non tamen perfectè: ita quòd illa imperfecta indecentia potest ex aliqua causa magna tanquā despici & dißimulari, uide igitur quod scripsit ille 2.2.q.154.art.9.ad tertium.

SEd illud magis dubium. si fortè solenne uotum non propter profeßionem monachatus, sed propter susceptionem ordinis accideret, utrū dispēsare ualeat summus Pontifex cum sacerdotē occidētalis Ecclesiæ absq; causa, aut absq; causa magna, ut cōtrahat nuptias. Nam desecrare sacerdotem, ut non sit ulterius sacerdos, certè non potest. Sed an cum sacerdotio exercere ualeat opera nuptiarum per dispensationem in hoc est quæstio. Et quòd per Ecclesiam seu Pontificem id fieri poßit, uidetur esse communis sententia, quoniam opus nuptiarum non est repugnans statui sacerdotali sicut statui monachali. An uerò etiam sine causa, Caietanus respondet ualere quidem matrimonium sed peccare Pontificem dispensando sine causa. Sed inquirens quęnam causa sit idonea ad hoc, cum quidam redderent pro causa idonea aliquod bonum publicum siue publicam utilitatem, Caietanus etiam priuatam aliquam utilitatem aut priuatum aliquod bonum, ut causam idoneam admittit. Ego uerò hic primum non puto dari posse tantum bonum priuatum quod tanto malo & scandalo publico ualeat comparari, nedū superare illud aut obruere, ne sit merito respiciendum. Si enim uideremus sacerdotem uxorem du-

cere quod nec ipsi Græci suis legibus admiserunt unquam (Quanquam aliter dicat Caietanus) & malè sicut Erasmus, qui & rectè in hoc reprehensus fuit, quid quæso esset rumoris in plebe? Mitto rem in seipsa maximè indecentem. Quæ igitur priuata utilitas, & quod priuatum bonum cogitari potest quod hanc tantam maculam contegat & continentiæ bonum compenset? Fuit enim sextæ Synodi prohibitio manifesta, ne in maioribus ordinibus existentes copulentur uxoribus à qua Synodo Græci sumpserunt regulam in huiusmodi, sicut legimus in. 31. dist. c. Quoniam. Et nycena Synodo, hoc solum circa hoc accipimus, idq; ex historia tripartita, Cui etiã quantum sit fidei in hoc adhibendum alij iudicent, uidelicet quòd cum proponeretur quòd Episcopi & presbyteri & diaconi & subdiaconi non deberent cum uxoribus commisceri quas antè consecrationem habebant, no fuit hoc obtentum Paphnutio quodam loquente. Non autem tractatum fuit ut in eiusmodi ordinibus existentes possent nouas copulas contrahere. Hoc enim nunquam probatum erat, etiam retractis temporibus. Et hoc Innocentius tertius expresse testatur. C. cum olim de cleric. coniug. quanquam Erasmus quem secutus est Caietanus secus effutiuerit, ut & alia multa aduersus sacram pudicitiam. Nec obst. c. Aliter. 31. dist, illud enim quod ibi dicitur copulantur in matrimonio rectè exponitur à glossa, id est copulato utuntur. Nõ enim ut Caietanus adducit, ibi legitur, copulantur matrimonijs, sed in matrimonio copulantur, ut satis innuat copulam carnis quam exercebant iam in matrimonio existentes iuxta morem su um

31. dist. c. Si quis eorum.

suum. Diuersum est enim copulari matrimonio, quod si gnificare magis uidetur primam animorum copulã, per quam contrahitur matrimoniũ, ab eo quod est, in matrimonio copulari. Hoc enim dictũ magis supponit iam matrimoniũ existens, cui carnis copula adiungitur. Nec series textus aliud porrigit in aduersatiua, cum ait, istius autẽ ecclesiæ uel Occidẽtaliũ nullus sacerdotũ à subdiacono usq; ad Episcopũ licentiã habet cõiugiũ sortiendi. Significat enim id quod est uerum, quòd omnino interdicta est omnis copula cũ cõiugibus siue ante sacerdotium habitis siue postmodo, quod fieri nõ põt. & ob eam gratiam redeundo ad propositũ casum, credo cum domino Abbate & alijs multis, quòd ad dispẽsandũ cũ sacerdote, ut hoc posset facere, oporteret esse maximã & euidẽtißimã causam, quæ nõ posset (ni fallor) consistere in priuata cuiuslibet utilitate. Nam quantũ quæso adesset in hoc periculum si hac in re quãuis paruula apperiretur rimula. Hem quàm cito quàm uiolẽter irruerent multi, ut fieret ex rimula fenestra, imò porta quã latißima. Quis enim nõ inueniret causam priuatæ utilitatis & illam probabilem? Ego uero uix puto causam dari posse etiam si urgeret publica qualibet & magna quæ comparari ualeat huic decori, qui est castitas in sacerdote. Vnde non legitur quantum ego sciam, nec est memoria nec usus, quòd Romanus Pontifex dispensauerit unquam in sacerdote. Et si dispensaret etiam magna causa suadente putarem quòd deberet interdicere illi usum sacramenti magni, Nam Diuus Thomas (quod est notandum) non est ausus hoc as-

ſerere quòd ex quauis magna cauſa Pontifex *poßit, ſed dixit quodãmõ trepidãs, uidetur quòd poßit diſpẽſare.* Quare *ſi à me quæritur, utrum* Pontifex *ualeat hoc decorum in totum ſoluere & legem uniuerſalem cõdere, per quàm laxarentur ſacerdotes, ut liceret eis iungi matrimonijs,* Reſpondeo *quòd nec hoc poſſet facere, nec unquam faciet, etiam ſi uelit,* Deo *ipſo aliter cenſente, in cuius manu cor regis eſt & quo uoluerit uertet illud.* Non *enim patietur unquam, ut tantus decor ab* Eccleſia *ſua auferatur. Sed nunc aiunt quidam, non recta ſed falſa & humana, atq; utinam non diabolica ratione perſuaſi, non ſolum quòd hoc poteſt facere* Põtifex *&* Eccleſia, *uerum etiam quòd deberet, quoniam minus mali patrarent qui altari ſeruiunt, cum hodie uideamus uigere concubinatũ & quædam etiam horribiliora. quæ licet unica ratio ſit, ualida tamen uidetur & multum habere momenti, ſed apud eos qui rem nec ex ſpiritu examinant nec ex prudentia, utpote ad pauca reſpicientes.* Nam *ſi hæc ratio ualeret, iam poſſemus etiam dicere melius eſſe ſi permitteretur fornicatio & concubinatus, aut ſaltem quam mollitiem uocant, quoniam uidemus ita hõmines in luxuriam pronos, ut ab ijs uitijs quàm paucißimi abſtineant, quin & uulgus putat non reſpiciens ad gratiam* Dei, *ſed ad id quod experitur, etiam non eſſe poßibile abſtinere. Similiter etiã ſequeretur debere permitti pluralitatem uxorum ad tollenda adulteria,* Item *permitti diuortia ad alia peiora mala uitanda.* Item *tolli confeßionis, ſaltem obligationem, & ieiuniorum cum ſint hæc onera grauißima, & iam multi uel ſacrilegium admittant,*

admittant, uel non obediant præcepto. Similiter sacramentum Eucharistiæ cessare deberet, aut saltem obligatio ad illud, quoniam bona pars sacerdotum, indignè sumit & quasi coactè, & secularium item. Et sic tota lex Christiana sufferri deberet, quoniam plurimi sunt infideles, & fidelium magna pars contumax est & inobediens præceptis, & ut ipse dixit, uenient dies quãdo uix inuenietur fides in terra. Deniq; omnis lex è medio esset tollenda si hæc ratio attenderetur. Sed non est uera ratio, ut potius salus nostra sit in cõsideratione apud Deũ quàm ipse decor legis. Non enim propterea non est proponendum brauium aut corona, ut ij qui benè currunt aut benè certant accipiant, quia scimus quòd multi sunt ignaui qui male currant aut non legitimè certent in agone. Non est inquam uera hæc ratio. Quis enim nesciat maiorem hominum partem esse quæ impetum carnis sequitur & iuxta illius prudẽtiam ducitur? Quamobrem nemo mihi hoc obiectet ut ualidum, quod si esset ualidum, omnem penitus legem sufferret. Quòd si etiam humana prudentia exquirendæ sunt rationes, deputemus obsecro & conferamus commoda mutuò & incommoda quæ ex horum quolibet cõsequuntur, & libremus ea. Aiunt ipsi primum non offenderetur dominus per fornicationes & alias etiam fœdiores carnis copulas si permitteretur illis coniugium legitimum, quasi uerò certi sint, quòd uel tunc abstinerent ab alienis copulis. Cur enim non abstinent seculares etiam copulati, ut nõ alienis uxoribus inhient, cum nec ab infando scelere etiã contra naturam, & sacerrimis incestibus abstineant? Sed

 hæc est

An expediat coelibatus lege ... sacerdotibus ... Martinus ... fol. 328 in fine ... [illegible]

hæc est imprudentia nostra. Sepè enim deputamus tunc homines non facturos quum minus esse faciendum uidemus, & quum non nisi nimis scelerosè quid fieret, si fieret, donec re ipsa comprobemus aliter euenire. At inquies non tamen sic paßim & frequenter peccaretur, quia multi contenti essent uxoribus suis, & abstinerent se ab alienis. Verum non uides quòd hi qui non se abstinerent longe magis peccarent habentes coniugem: & illorum qui propter suam coniugem abstinerent multa ac bona pars esset quæ etiam sine cōiuge cœlibatum ipsum seruaret immunem penitus ab omni coitu, & consequēter gratius Deo obsequium & sacrificium purius exhiberent, Nam & nunc quoque credibile est non paucos inueniri, qui custodiant in hoc munere castitatem, licet hoc nō putent hæretici, qui de semetipsis etiam alios falsißima regula metiuntur & iudicant, quòd & si paucißimi essent qui castitatem seruarent, nonne scriptum est quòd gratiores sunt Deo pauci perfecti, quàm multitudo filiorum inutilium? Adhæc si sacerdotes filios haberent & familiam, bona Ecclesiastica quandiu durarent? Et beneficia seu præbendæ & dignitates quā facile per succeßionem, tanquam iure hereditario obuenirent? Et sic iterum rediret carnale sacerdotium leuitarum, sed illud multo melius dispositum in ea gente, quoniam non habuerunt filum distributionis suæ. Si Pontifices filios haberent, si Patriarchæ & Archiepiscopi & Episcopi, quid maneret indißipatum? Nec me arguat rogo quisquam, & ueritatis inimicus, & hominum adulator, huius dicti gratia, Omnes astabimus antè tribunal Christi & intel-

& intelligemus tunc illud uæ ſempiternum, quod eos tã git qui dicunt bonum malum & malum bonum. Neminem nos particulariter damnamus. Hoc enim Dei iudicium eſt, illud quod eſt melius, quod ſanctius, quod pudicum magis, quod longè Deo gratius, quod ſancti homines prædicauerunt ac prætulerunt, quod ſanctorũ Põtificũ decreta cõmendauerunt, & nos cõmẽdamus. Miror ergo & doleo quòd quidã qui ſe putant eſſe ſpirituales & prædicant populis euangeliũ, & ipſi uitam nibilominus cælibẽ profitentur, tamen ut blãdiantur credo eunuchis qui hanc inuiti ferunt abſciſionẽ, id magis probant, quod ipſe tamen dominus non elegit, & ſanctificant matrimoniũ à quo ipſi tamen abſtinuerunt: neq; cõſiderãt quã mũditiã exigat ſacramẽtũ illud, corã quo nec angeli mũdi ſunt: ſed id agũt quia reuera nõ habẽt ſpiritũ Dei in corde ſuo. Quod ſi promiſcue liceret omnibus etiã ſacerdotibus cõiugio copulari, quo (rogo) tenore uitæ ab alijs diſtinguerentur? Nõ igitur debet Eccleſia mutare, quod tã ſanctè inſtitutũ eſt: nec enim poteſt, quoniã in ædificationẽ poteſtas illi eſt nõ ĩ deſtructionẽ, ut ait Paulus: quãuis enim hoc uotũ nõ ſit annexum ſtatui uel officio ſacerdotis et ordini eſſentialiter, et uideatur ab ipſa Eccleſia inductũ, ut ſic poſſet argui quòd ab eadẽ Eccleſia tolli poßit, quia tamẽ quod ſtatuit circa hoc Eccleſia habet certã & euidẽtẽ ac perpetuã rõnẽ decẽtiæ, & ab ipſis ſcripturis probatã, & ſctõrũ patrũ prudẽtia atq; ipſius ſpũſſancti doctrina collectã atq; mõſtratã, nõ eſt quouis pacto ĩ uniuerſum mutabile, licet fortè ut ẽ dictũ in quodã particulari diſpẽſabile ſit, ex magna tñ et pu- Nota hæc.

blica causa. Decet enim hominem qui tantæ munditiæ seruit & mundißimum Christi corpus contrectat, non commisceri uoluptatibus carnis quæ in natura hac nostra corrupta adeo manifestam turpitudinem habent, ut nec scelesti homines id ausint nisi in occulto perpetrare. Nam si olim in umbris ac figuris, huius decoris obseruãtia, quantum illius populi effrenata ferebat lasciuia, præcipiebatur, quid censendum quũ iam patuit ipsa ueritas? Cui dubium quòd olim non accedebant sacerdotes & filij Aaron ad altare, huiusmodi carnis inquinamẽto polluti? Et panes etiam propositiõis ita demum datum fuit manducare Dauid & socijs eius, si à mulieribus abstinuissent. Vnde. B. Hiero. eleganter ait. Si laicus & quisquis fidelis est non potest orare nisi careat officio coniugali, sacerdoti ergo cui semper offerenda sunt sacrificia semper est orandum Ergo semper à matrimonio cessandum. Beda quoq; non ignobilis autor super Luc. 1. sic ait. Sacerdotibus ut semper ualeant altari aßistere, semper ab uxoribus est abstinendum, semperq; castitas obseruãda præcipitur. Est & Origenis similis ratiocinatio qui pulchrè dixit. Vereor dicere aliquid quod ex sermonibus Apostolicis intelligi datur, ne fortè uidear aliquos contristare. Nam si oratio iusti est sicut incensum in conspectu Dei, & eleuatio manuum eius sicut sacrificium uespertinum, Dicit autem Apostolus his qui in cõiugijs sunt, Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex cõsensu ad tempus ut uacetis orationi: certum est impediri sacrificium indesinens his qui in neceßitatibus coniugalibus deseruiunt, Vnde mihi uidetur, quòd illius solius est offerre

Hieronymus

Beda.

Origenes.

offerre sacrificium indesinens qui indesinenti & perpetuæ se deuouerunt castitati. Hæc ille, cuius non tam autoritatem quàm rationem ponderari uelim. Sed ad maiorē autoritatem ascendo quæ est summorum & sanctorum Pōtificum. Beatus Siricius Papa longa epistola ad episcopum Tarraconēsem in eos qui cum sacerdotes essent aut leuitæ coniugalem uitam sibi licitam arbitrabantur, uehemēter inuehitur his uerbis. Dicat mihi quisquis est sectator libidinū præceptorq; uitiorū, si existimat quòd in lege Moysi paßim à sacris ordinibus adeo laxata sint frena luxuriæ, cur eos quibus committebantur sancta sanctorum præmonet dicens. Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus uester? cur etiam procul à suis domibus anno uicis suæ in tēplo habitare iußi sunt sacerdotes? Hac (uidelicet) ratione, ne uel cum uxoribus poßint carnale exercere commercium, ut cōscientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent, qui bus expleto deseruitiōis suæ tempore uxoris usus solius succeßionis causa fuerat relaxatus, quia non ex alia nisi ex tribu Leui quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti. Vnde & Dominus Iesus, cum nos suo illustraret aduentu in Euang. protestatur, quia legem uenit adimplere non soluere: & ideo Ecclesiam, cuius spōsus est speciosus forma, castitatis uoluit splendore radiare: ut in die iudicij cum rursus aduenerit sine macula et sine ruga eam poßit sicut per Apostolum docuit reperire, quarum sanctionum sacerdotes omnes & leuitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ sobrietati & pudicitiæ, & corda nostra mancipemus &

Siricius. Papa.

corpora, dūm ō per omnia deo nostro ī his quæ quotidie offerimus officijs placeamus. Est & leo cōtra epistolā nicetæ Abbatis, qui & hoc ab Apostolis seruatū fuisse testatur, Quod & ex illo loco elegāter accipit ubi Paulus ait. Nūquid nō habemus potestatem mulierē sororē circūducēdi, sicut & cæteri Apostoli & fratres domini & Cephas? hinc enim insurgit dicēs, Vide insipiēs quòd nō dicit, Nū quid habemus potestatem mulierem sororē amplectendi sed circūducendi, scilicet, ut mercede prædicationis sustentaret eam ut sociā amputatis amplexibus maritalibus sicut alij Apostoli obseruabant. Nam ut. S. Hieronymus affirmat nō est fas aliter de illis existimare.

Leo papa primus.

Innocētius.

Innocentius quoq; primus sic ait. Tenere debet ecclesia ut omnimodo sacerdotes & leuitæ cum uxoribus non cōmisceantur, quia mysterij diuini cotidianis necessitatibus occupantur: scriptum est enim, Sancti estote quoniā ego sanctus sum: nam priscis tēporibus anno uicis suæ de templo nō discedebāt sicut de zacharia legimus, nec domum suā omnimo tangebāt quibus utiq; propter sobolis susceptionē uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu præterquā ex semine Aaron nullis ad sacerdotium accedere permittebatur: quantomagis hi sacerdotes & leuitæ pudicitiā ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus uel sacerdotium uel ministerium sine successione est, neq; præterit dies qua uel à sacrificijs diuinis, uel à baptismatis officio uacent? Hæc ille, quibus ex locis collige piè lector à uerbis proculdubio spiritus uim ipsam ipsius ecclesiasticæ legis, Siricius enim insolubilem uocat, & ex euangelica perfectione uenientem à

domino

domino Iesu Christo q̃ uenit adimplere legẽ. Leo ab Apostolico ritu profectam, sicut & expressius in consilio Cartha. 2. habetur, testatus est. Innocentius dixit, Hoc tenere debere ecclesiã. Gregorius Malachiæ prophetiam in eos induxit qui cum pollutione carnis offerunt oblationẽ Christi mundam, & panem sanctum: sic enim pollutos panes offerri sibi conqueritur dominus. Hæc igitur tam patens indecentia mouit Pontifices sanctos & multas synodos ut castimoniæ uotum sacris ordinibus annectentur, non quòd esset de substantiæ ordinũ cõtinentia talis, sed quòd ad decentiam pertineret ob inuiolabilem rationem, quæ fundatur in oblatione perpetui sacrificij & hostiæ mundissimæ. Et ob hoc est quòd quia hæc decentia perpetua est, etiam perpetuam oportet esse legẽ quæ oppositam indecentiam prohibeat, & ideo iereuocabilem, ut pote à spiritu sancto profectam. Quod & manifestè Vrbanus secundus his uerbis pronunciauit, erubescant impij (inquit) & apertè intelligant iudicio spiritussancti excludendos à suorum graduum dignitate qui in sacris tribus ordinibus, id est, presbyteratu diaconatu & subdiaconatu positi mulierculas non abiecerint & castè non uixerunt. Cur enim, quando hæc sint tot decretis constituta, tot synodis corroborata, tanta ratione munita, tot sanctorum & doctorum autoritate comprobata, deniq; tot seculis illibatissimè custodita, non etiam liceat dicere à spiritu sancto inspirata fuisse? Et putabimus ergo quòd idem spiritus per ecclesias sit hæc abrogaturus? Et maxime propter uocem hereticorum?

Gregorius.

Vrbanus secundus.

Absit

Absit à fideli tam impia cogitatio. At inquiunt. Græcis licet, & nos dicimus. Ad eorum duritiam tolerati sunt. Sed quid mihi Græcos obijciunt? Nunquid & nos Græcam imitabimur fidem? Et nõ uerentur illi, ut usurpem Ethnici opportunam sententiam, eorum facta imitari, quorum exitum infœlicem potius deberent perhorrescere? Cur non magis Paulum audiunt consulentem, æmulanda esse charismata meliora? Sed aiunt, Permittit Paulus Episcopum & presbyterum unius uxoris esse uirũ. Sed cur non hic ueram agnoscunt intelligentiam, quàm eleganter Hieronymus, Augustinus & gloriosissimi uiri declararunt atq; amplexi sunt, quòd ille locus digamiam prohibebat? Non enim (ut Hieronymi uerbis utar quibus in Iouinianum inuehitur) dixit Apostolus, eligatur Episcopus qui unam habuerit uxorem & filios faciat. Hæc ille in hæreticum, quod & sepius repetit. Augustinus eundem sensum accipit, Thomas eundem. Deniq; communis schola doctorum ita declarat, quanquã quosdam aliter sensisse non eos preterierit. Sed quod maxime nos mouere debet, hoc est, quòd hanc interpretationem ipsa Ecclesia in Decretis suis, atq; ipsa consuetudo, quæ est optima legum interpres suscepit & commendauit. Vnde & Siricius Papa manifeste alium sensum ut uidimus improbat, & similiter, alij canones: quia mysterium ibi Paulus indicare uoluit, quo digami inhabiles redduntur ad ordines, ut patet per multas Pontificum Decretales, Et sic usus obtinuit. Alioqui ut quid Paulus prohiberet Episcopo ne duas simul uxores haberet cum hoc nũquam homini Christiano licuerit, Vt D.

Thomas

Thomas asserit, & aduersum dogma quod Caietanus, tamen sustinere nisus est, inimicum esse Christianæ fidei: Sanctus Pontifex Innocentius attestetur ut superius abundius demonstrauimus: ad quæ relego lectorē. Et hæc satis ad hunc articulum.

AN uerò cōtractum matrimonium ualeat antè copulam autoritate Pontificia solui, licet apud doctißimos dubitatum sit, alijs aliter opinantibus, Ego in gratiam ueritatis in sententiam Caietani adducor, uide licet quòd poßit ex aliqua causa optima id efficere: non tamen omnia probo quæ in hac ipsa disputatione commentus est. Videtur enim mihi, præter id quòd confusè ualde loquitur, etiam non coniectasse nec reddidisse ueram rationem cur matrimonium sit indissolubile & indispensabile. Nā ipse sæpe cōmiscet indissolubilitatē cum indispensabilitate tāquam sint unū: & nonnūquam accipit ut diuersa, Erat ergo distinguēdū sic, ut primò quæreretur utrū matrimoniū ipsum sit simpliciter & sui natura indissolubile, secūdo si fortè sit indissolubile, quidnā sit illud quod faciat ipsum indissolubile. Tertio utrū illud per quod sit indissolubile, quodcunq; sit, faciat ipsum ita indissolubile, ut etiā sit indispensabile saltē autoritate summi Pōtificis. In harū ergo quæstionū sic dispositarū tractatu et resolutione, ueritas apparebit eius quod in quæstionem positum est. Et circa primam quidem quæstionem de matrimonio simpliciter loquendo quòd uideatur sui naturæ indissolubile facit definitio eius, quoniam dicitur esse quædam coniunctio indiuiduā uitæ consuetudinem continens, quod & pagani naturali

quadam

quadam praeacceptiõe instructi, intellexerunt: ideo semper apud eos qui non penitus barbari erant & pudicitiae legem impressam habebant cordi, matrimonium ut res sacrosancta obseruabatur. Nam & diuortium licet ex quadam necessitate admitterent ad uitanda deteriora, tamen odiosa res erat etiam apud illos, nec digamia probabatur praesertim mulieribus absq; aliqua pudoris iactura, unde & apud poëtam simulare saltem hanc honestatẽ quaedam fingũtur, quae ait. Ille meos primus qui me sibi iunxit amores, Abstulit, ille habeat secum seruetq; sepulchro. E conuerso uerò, quòd dissolubile sit, apud paganos quidem patet permittentes diuortia & mißiõe libelli repudij idq; etiam apud Iudaeos. Et apud nos patet, quia cum matrimonium sit uerum etiam ante copulam, tamen dissoluitur per ingressum religionis absq; dispensatione, etiam altero ex coniugibus inuito. Dissolubile est ergo, imò & post iam consummatum matrimonium si ambo consentiant in ingressum religionis, soluitur similiter matrimonium. Adhaec matrimonium inter infideles uerum est, & hoc tamen etiam post copulã dissolubile, ut notum est. Adhaec quilibet potest renuntiare iuri suo: & nihil est tam naturale, quam eo quo ligatum sit uinculo, dissoluatur. Si igitur inuicem se absoluant coniuges à debito coniugali etiam sine religiõis ingressu, quid obstat (quaeso) cur non sit rata haec eorum uolũtas & propterea matrimoniũ dicatur solutũ nõ solũ quod pertinet ad torũ, sed etiã quãtũ ad uinculũ: etiã si coniunctio corporũ interuenerit? Circa hanc igitur primã quaestionẽ, uidetur responderi posse simpliciter

quòd

quòd matrimonium ex sui natura cõsideratum est indissolubile, quia ratio naturalis id exigit, ut qui semel sic cõiugati sunt, non dissoluantur. Vnde & diuortium dico esse contra naturam rei, & ipsam naturalem rationem: ideo à legibus tolleratum potius quàm probatum est. Verum est tamen quòd hic distinguendum prudenter est, ut nonnihil intersit inter matrimonium consummatũ p carnalẽ copulã, & nõ cõsummatũ. Nã hoc quod cõsummatũ est uere inseparabile est, añ cõsummationẽ uerò nõ ita. Habet tamẽ & hoc aliquã rationẽ inseparabilitatis: quia in eo est promißio copulæ, quæ uere habet suapte natura ĩseparabilitatẽ. Vnde fit ut quãdo adiũgitur carnis copula, perficiatur ratio inseparabilitatis, quoniã per illã copulã fit uera unio corporũ, ut una caro efficiantur, & sic perficiatur debitũ perpetuæ cõiunctiõis. Ante copulã autẽ nondũ sunt una caro, sed obligati sunt inuicẽ ut fiant una caro quandocũq; alter uoluerit ex ipsa matrimonij lege. Lõge autẽ fortior est cõiunctio illa quæ efficit ipsam unitatẽ carnis, quàm quæ solã habet talis copulæ promißionẽ, ad hoc ut inuicẽ ꝑpetuã cõiũtionẽ sibi debeãt cõiuges. Et ob istã gratiã est, q illa prior cõiũctio absq; copula irritatur ipso iure per uotũ religionis alterius cõiugis: & manifesta est ratio, quoniã maius uinculũ debet tollere minus uinculum. Maius autem uinculum est quo cõiungitur homo deo, hæretq; illi aĩo & corpe ad seruiẽdũ ei, qđ fit per religionis uotũ, quàm id quo cõiũgitur cõiũx cõiugi, ut inuicẽ in carnis operibus sibi seruiãt, quãquã hoc fiat ad propagationẽ sobolis Deo. Quod si dixeris, hæc ratio militat etiam Nota.

consummato

consummato matrimonio. Respõdeo quòd non militat, quia per consummationem matrimonij iam corpora cõiugum sunt affecta & mutuẽ iam ligata. quia tunc perfecte uerum est, quod ait Apostolus, mulier sui corporis potestatem non habet sed uir: similiter & uir sui corporis potestatem non habet sed mulier: unde inhabilia reddita sunt ut fiant domini mancipia quæ iam alterius seruituti sunt addicta: & idcirco dominus non uult uiolare alterius iura, & corpus alteri iam obligatum acceptare ab eo qui non habet illius potestatem. Nam ille qui illud offert, potestatẽ eius nõ habet. Ergo potest id fieri consentiente altero, & sic per consensum alterius potest quis fieri dominus sui corporis, ad hoc maius, quod est in cœlibatu seruire Deo. Aliter autem fieri non potest, quia nemo eius rei disponere potest quæ non sit in sua potestate. Ante copulam enim quia corpus non est adhuc in alterius potestate, licet sit ei promissum, potest obligari Deo & iustum est ut dissoluatur promißio alteri facta de copula propter hoc maius uinculum, Sicut

Nota. si quis fundum habeat & uendiderit illum cuipiam, nõdum tamen tradiderit eum, ac deinde alteri uendat & tradat, quia ille fundus adhuc erat in dominio uendẽtis, ualet hæc uẽditio & rata est, licet prior emptor habeat actionem in uenditorẽ, quia non seruauit fidem: sed non potest propterea inualidari secũda uẽditio. Quòd si dixeris, Ergo potest uir ante consummationem matrimonij coniũgi cum alia non obstante matrimonio, cum non sit consummatum quia ipse habet potestatem corporis sui, ut ais. Et nos dicimus quod uerè sic posset, nisi prius

pactum

pactum repugnaret, quod non licet ei soluere irrationabiliter. Repugnat autem in hoc manifeste, quia cum per prius pactum sit obligatus ad reddendū debitū puta illi primæ sponsæ, si secundum matrimonium ualeret cogeretur reddere duabus debitum, & ita esse maritum duarum: nam aliter nō posset satisfieri primo cōtractui matrimonij. Non enim hæc est huius contractus natura ut succedat obligatio ad interesse, quod licet Caietanus re uera cogeretur concedere secundum sua principia, & ipse quidem hoc admitteret: qui tamen legis Christianæ puritatem & perfectionem agnoscūt, exhorrent. Et idcirco per iura canonica ex sola promissione copulæ, id est ex ui matrimonij etiam ante copulam inhabilitatur homo ad promittendum corpus suum alteri præterquā soli deo, licet nondū affectum sit per ipsam copulam, ut ipsius non habeat potestatē. Quod si urgeas, pone quòd illa coniunx cui hoc debetur consentiat, ita ut inuicem hoc debitum sibi remittant ante ipsam præsertim copulam, cur non erit solubile matrimonium hoc? Ecce quilibet sui corporis adhuc habet potestatē. Respōdeo, quia matrimonium est quædam sancta res, cui non minimum intendit diuinæ prouidentiæ oculus, etiam ipsi coniuges saltem propter honestatem quandam publicam non habent licentiam semetipsos soluendi ab obligatione, semel etiam sua ipsorum sponte contracta, sicut habent homines in cæteris negotijs mere prophanis: & ideo apparet quòd hæc matrimonialis causa est causa ecclesiastica. Nā nōn solum ipsum matrimonium sed ipsa prima spōsalia de cōtrahēdo matrimonio habēte nescio quid fir

mitatis super alia quæ contrahũtur, ut eorum causa etiã ad ecclesiasticum forum pertineant, licet aliter hæretici doceant contra scripturas & rationem ipsam. Postquã uerò uidimus iam matrimonium esse suapte natura inseparabile, & rem ad deum quodã modo pertinẽtem quia ad hoc inuentum ut ei propagentur homines. Videndum interius est de eo quod talem inseparabilitatem inducat. sed iam diximus ipsius rei naturam esse, quoniam naturaliter ad propagandum nati sumus & ad propagãdũ deo, ad hoc enim a principio benedictio ab ipso deo ad hoc processit in primos homines, ut non sicut belluæ promiscuos haberent cõcubitus, sed ut unus uni perpetuo consortio iungeretur & ideo innaturalis fuit coniugatio cũ pluribus uxoribus, licet ad tempus dei dispensatione permissa sit, & ob eam causam etiam hoc ipsum erat in Ro. legibus statutum, nec permittebatur uxorum pluralitas. innaturale qnoq; fuit diuortium, & præ duritia hominum teste domino permissum in lege, & eadem ratione excusantur paganorũ leges id permittẽtes: dicimus tamẽ hanc matrimonij naturam, quòd sit indissolubile uenire ab ipsa præcipue carnis couiunctione quæ hoc naturaliter habet ut afficiat corpora & mancipia inuicẽ reddat, ut non habeat quisquam cõiugum potestatem sui corporis, ita ut & ipsa promissio copulæ habeat etiam suã inseparabilitatem, non tamen adeo firmam: quia nõ afficit corpora ut dictum est. Sed his stantibus, quid est ergo quod matrimoniũ infideliũ cũ uerũ sit matrimoniũ tamẽ dissolubile est? si enim corpora sunt semel affecta per copulã, cur dissoluetur? respõdeo, in prõptu ratio est, Nihil enim

enim potest esse alteri obligatum cum praeiudicio diuini cultus, cum igitur qui uenit ad fidem iam allegatus sit deo, si uidet quòd illud uxorium uinculum hoc impediat despiciendum est, non enim hic agitur ut magis seruiatur deo in alio statu: hoc enim fieri non potest cum praeiudicio coniugis, sed ut in eò quo est statu seruiri poßit & non sit iniuria creatoris. Et ideo rectè statutũ est, ut qui est fidelis poßit ipse quidem discedere quoties nõ potest cum infideli inhabitare simul absq; cõtumelia creatoris cedit enim meritò ius naturale euangelicae legi. Infidelis autem nequaquã potest discedere sine temeratione naturalis legis, licet enim ratũ matrimonium istud coram Deo non sit, illi tamen qui putat ratum, aut putare debet ratum cum sit sub lege naturae, ratum est: & ideo illi imputatur si id uiolet non fideli qui cognoscit iam non fuisse ratum: sed nec etiam ratum fieri per eius cõuersionẽ, cum adest contumelia creatoris: alioqui ratificari posset, si consentiret infidelis cohabitare sine creatoris contumelia, quo casu habet locum mandatum Pauli, ut fidelis non discedat, quia sanctificatur coniunx infidelis per uirum fidelem uidelicet circa causam matrimonij ut sit ratũ per fidelẽ. Nec propterea debet quis putare quòd omnino propter haeresim sit dissolubile matrimonium, quoniam iam ab initio ratum fuit, nec tamen cohabitare tenetur fidelis cum infideli si sequitur contumelia creatoris. Verum abstinere se à coniugio alio, & hoc sibi ad meritum imputare. Quod si quis dicat se non posse continere roget à Deo & continebit, nullum enim inducit Deus aut induci patitur in istum casum ut cogatur

1. Cor. 7.

peccare, nisi forte quis propria culpa ad hoc se adegit, aut tandem consulat pontificem summum si forte hic fuerit casus dispēsatiōe dignus præsertim si persona fuerit digna & matrimoniū ob grauē causam necessariū & bona fide & non fictè res geratur, ut fortasse fingatur hæresis, ut rectè summus pontifex cauit, Cum ergo, sicut diximus, tunc demum perficiatur ratio indissolubilitatis quādo ipsum matrimonium perfectum est omnino, quod est per copulā carnis, quia per istam copulam corpus afficitur ut sit in alterius, & non in sua ipsius cuius est corpus potestate, circa negocium illud, ob eam causam sponsalia quidem prima de futuro matrimonio faciliora sunt ut dissolui poßint, quàm sunt sponsalia sequentia de copula, id est, quàm ipsum matrimonium in quo cōtinetur promißio copulæ, qua copula ultimam habet perfectionem: & hoc ideo quia prima sponsalia longius distant à copula, & consequenter est quòd ipsum matrimonium ante copulam facilius soluitur quàm post còpulam, & ob hoc tandem patet quòd ratio indissolubilitatis est ipsa copula, quia propter illam saltem promissam, est indissolubilitas matrimonij ante copulam, Vnde locum habet regula illa. Propter quod ununquodq; tale, & illud magis, Sic hic dices, si inducat indissolubilitatem, cur ergo non etiam quilibet concubitus etiam fornicationis id efficiat? sed potius tenetur quilibet ex fornicatoribus non coniungi? Respondeo & hoc nota bone lector, quoniam multi non benè cōsiderant hanc rem. In huiusmodi enim copulis ex ui quidem ipsa carnalis coniunctionis etiam hoc inducitur, sed quia illegitimæ sunt & contra dei

c. quanto de diuort.

legem

legem, sicut non probat deus ipsam copulam ita non probat indissolubilitatem quæ inde nascitur, nisi in præiudicium eorum, qui eo modo se audent coniungere contra legem dei, uel etiam contra legem hominum, quàm tamen legem deus probat: & hæc est causa quamobrem affinitas etiam ex ipsis illicitis copulis inducitur quæ obstat matrimonijs ut Paulus ait, quia naturam suam retinet ista copula & effectum suum, in odium tamen ipsorum qui sic seinuicem coniunxerunt, ut saltem cum proximis alteri, cum quo rem habuit, alter non possit coniungi. Et reuera mereretur omnis homo qui cum alia iungitur non legitime, & illa carere cui se iunxit contra diuinum mandatum nisi conciliaretur per nuptias, & similiter carere quauis altera: quia effectus unum carne cum illa, in suum damnum deberet, quandiu illa uiueret, carere libertate se coniugandi. Sed propter periculum credo, mitius uoluerunt agere cum huiusmodi leges. Alioqui pauci possent contrahere matrimonium. Non tamen propterea est quòd hac pœna non sit dignus hic talis ex ipsius rei natura sed hoc tantum satis fuit legi contra illos inducere, ob necessitatem matrimoniorum, ut solum ab ijs prohibeantur, quæ alterutri sanguine inunguntur: quiá in hoc uoluit lex esse illorum corpora affecta, ut discerent copulæ huiusmodi efficaciam. Ergo ad ipsam indissolubilitatem perfectè inducendam, duo concurrere debent: uidelicet matrimonium ipsum quidem esse legitimum: & carnis copula consummatum, ut possi nus breuius dicere, legitimam carnis copulam hanc

3^a quaest.

perfectam indissolubilitatem inducere, Sed nunc uidendum tandem de tertia quæstione, id est, de causa indispensabilitatis: nõ enim ob id quòd sit indissolubile matrimoniũ, ob istã causam suapte natura sequitur ut non ualeat per pontificẽ dispẽsari ex causa. Quo in loco redimus ad quæstionẽ nostrã principalẽ, id est, de matrimonio ante copulã. In cuius quæstionis resolutione consentio cum canonistis & cum Caietano, quòd põtifex in tali matrimonio ex magna tamen causa, & præsertim ipsis cõsentientibus spõsis ualeat dispẽsare: quoniã tale matrimoniũ non est perfectum ad perfectam indissolubilitatẽ, quoniã nõ est facta corporum cõiũctio, & nõ sunt affecta corpora ipsa: ita quòd pontifex dispẽsans tantũ soluit obligationẽ uerborũ & promißionẽ de copula, & non id quod iam unitum sit quia ante copulã nõ sunt una caro, & ideo facilior est dissolutio nudæ tantum promißiõis, quanquam esset iuramento uallata quia & à iuramento potest Põtifex absoluere. Hoc autẽ comprobatur per ea quæ dixit Cælestinus sub tit. de big. c. debitum, uidelicet quòd digamia nõ efficitur per matrimoniũ quod caruit carnali copula. Et hoc etiã patet ex dicto Leonis, ut adfert Caietanus, tu etiam adde manifestißimam Benedicti Papæ decisionẽ his uerbis. prothoplastus ille radix & origo nostra detractam sibi costam & mulierem uidẽs formatã prophetico spiritu inter alia protulit. Propter hoc relinquet homo patrẽ et matrẽ & adhærebit uxori suæ, & erũt duo in carne una: quibus uerbis innotuit nõ aliter uirum & mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohæreãt, Qui ergo nequaquã mixtus

27. q. 11. c. Non liuinus.

tus est extraneæ mulieri fœdere nuptiali, quo pacto per nuda sponsionis uerba possunt una caro fieri nullatenus ualemus intueri. Propinquitas ergo sanguinis uerbis dicitur non uerbis efficitur &c. hæc ille, pulcherrimè ad rem nostram. Itaq; ex ui carnalis copulæ uidetur induci ipsa indispensabilitas legitimi matrimonij, eò quòd hæc sit causa perfectæ indissolubilitatis, quoniam per eam fit una caro, sed cõtra hoc illud militat quòd infidelium matrimonium etiam consummatum non est omnino indissolubile: nam si ad fidem alter ueniat habet facultatem ab altero separandi se si in contumeliam creatoris uergat hoc uinculum. Quamobrem communiter dicunt, quòd ad hoc ut matrimonium sit indispensabile, oportet ut sit sacramentum: infidelium autem matrimonium non est sacramentum. Sed hoc mirabile est, quòd hoc matrimonium non sit sacramentum & tamen digamiam constituat, quæ ob sacramentũ constituitur ut impediat ordinandum. Præterea, si, quia sacramentum est, ideo indispensabile est & indissolubile, duorum alterum oportet confiteri, uel quòd esset sacramentum ante aduentum Christi, quia dominus ipse dixit, quòd ad duritiam Iudæorum permissum erat repudiũ, ab initio enim nõ sic erat, ut per hoc omnimoda indissolubilitas ostendatur: uel quòd non, quia sacramentum, ideo sit indispensabile, sed ex se & natura sui. Si autem confiteamur matrimonium fuisse sacramẽtũ ante Christi aduentũ, sequitur ergo quòd nõ sit hoc sacramentum nouæ legis sicut cætera, & quòd ante aduentum Christi similiter hoc sacramentũ cõferret gratiã: Et tamen scriptũ est, gratia et Nota.

& ueritas per Iesum Christum. Tertio uidetur absurdũ, & apud me uehementer absurdum, quòd ideo sit indissolubile atq; indispensabile, quia sit tale sacramentum, id est, quia significat rem omnino indissolubilem ut ratione significati acquirat indissolubilitatem omnimodã, etiã per uiam dispensatiõis, quoniam potius credendum est è contrario, ut idcirco sit sacramentum, id est, ordinatum à deo, ut significet rem omnino indissolubilem, quia ipsum matrimonium per se & sui natura est omnino indissolubile, licet ab ipso dissolui poßit, ut ait dominus Thomas, & ex causa ad ipsum deum pertinente. Quarto deniq; miratus sum quòd dominus inducit rationẽ indispensabilitatis, & nihil affert de sacramento, & nihilominus alij ad sacramentum se conuertunt, & non uident, ut iam dixi, quòd quia ipsum est de se & sui natura indissolubile, ideo est tale sacramentum significans rẽ quæ non dissoluitur, & quòd ideò est indispensabile, quia illud firmatum est uerbo domini. Hoc enim tantũ pro ratione contra diuortium ipse induxit, & non quia esset sacramentum, his uerbis. Tentantes enim illum Pharisæi rogarunt, utrum quauis ex causa liceret homini dimittere uxorẽ suam, ipse autẽ sic Respõdit, Nõ legistis quia qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, et adhærebit uxori suæ, et erũt duo ĩ carnẽ unã. Itaq; nõ sũt duo sed una caro. Hæc dñs, ut rationẽ indissolubilitatis ostẽderet. Vt aũt ĩdispẽsabilitatẽ doceat, adiecit. Quod aũt deus cõiũxit homo nõ separet. Quia enim illa uerba fuerunt dei, dicentis, erunt duo in carnem unam, & hæc

pertinuerunt

pertinuerunt ad masculum & fœminam tam fidelem quàm infidelem, post copulam tamen carnis, ut dictum est, ideo uniuersaliter declarant quidem indissolubilitatem matrimonij: inde uero educitur ratio indispensabilitatis, quoniam à Deo ipso processit illa coniunctio, & ob eam causam est, quòd inter fideles matrimonium est imprimis uerum, quia ex natura matrimonij sunt una caro, Est autem & ratum, quia illa cõiunctio probatur firmaturq; à Deo: & ideo est sacramentum: quia inter fideles sunt sacramenta dei, & semper fuit sacramentum nõ solum post aduentum Christi, quia à principio institutum est, & à principio significauit, & hoc solum sacramentum semper mansit ut necessarium, à Christo tamen confirmatum, & auctum per excellentiorem gratiam, quam uenit ut daret mundo, sicut ipse dixit, Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant. Inter infideles autem est item uerum matrimonium: quia & ipsi sunt uere una caro, & est similiter indissolubile sui natura, ut nec diuortium admittat, sicut nos diximus. Non est tamen ita ratum, sicut est illud fidelium, quia dominus non assistit coniugiis huiusmodi ut illa sanctificet: ideo de illis non uerificatur hoc uerbum, quòd deus illos coniunxerit. Nõ enim se de huiusmodi intromittit diuina lex, quia ad eos non loquitur nisi per legem internam: & ideo est simpliciter etiã inter eos indissolubile, præterquam ex causa fornicationis, nã hoc est de natura matrimonij, ut quod directè cõtra matrimonij naturam faciat coniux, auferat sibi ius suum, & absoluat alterum à lege matrimonij. Cum uero alter

rò alter coniugum uenit ad fidem, tunc quidem sancti ficatur coniugium & ratum fit, ut maneat simpliciter indissolubile, dum modo qui est infidelis uelit cum fideli habitare secundum legem coniugij, & sine contumelia creatoris: & indispensabile est, quia sanctificatum est à Deo. Deus enim tale coniugium propter fidelem coniugem sanctificauit, ut ait Paulus: & ideo homo nō potest quouis modo dissoluere illud.

1. Cor. 7.

¶ Ergo ut breuiter colligamus omnem doctrinam, dico indissolubilitatem omnimodam uenire ex natura matrimonij consummati per copulam, quia sic efficitur coniugum una caro, Et hinc esse quòd Deus aptauit illud, ut significaret coniunctionem uerbi cum humana natura, & coniunctionem Christi cum Ecclesia: ut sicut ista coniunctio maris & fœminæ est naturaliter indissolubilis, ita significet rem per Dei uoluntatem indissolubilem. Indispēsabilitatem uerò dicito ex eo uenire quòd ista coniunctio ratificata est à Deo, & sanctificata uerbo suo. Quis igitur ausit separare quos coniunxit Deus, id est, eos quorum coniunctioni astitit approbando & sanctificãdo? Et idcirco nullus omnino casus inuenitur in quo ualeat dispensari: nec tamen omnino indissolubile est hoc matrimonium, quoniam ex causa fornicationis soluitur: ut qui iniuriam hanc recepit à coniuge, sit liberatus ab ea.

IN ea quæstione an in usura transferatur dominium, credo in pluribus à Caietano errari, Et primo in eo quod contemnit opinionem distinguentium res, quæ usu consumuntur ab alijs rebus, nesciens harum rerū natu-

ram,

ram, quia per usum ipsum dominiũ transfertur, & quia recipiunt functionem in genere suo, ut si quis furatus pecunias, ex eis quid emerit iam eius pecuniæ transfertur dominium, quia ipso usu consumitur: nec habet pecuniæ dominus ullam actionem aduersus uendentem pro sua pecunia, ut notißimum est, ita in proposito si pecunia soluta fuerit ratione usuræ non illa eadem repetitur, sed tantundem: ut sic supponatur dominium translatũ esse, quod est ex natura rei cõsumptibilis, cuius facilis est cõmutatio ac dominij translatio, sæpe, etiam citra Domini uolũtatem. Hæc ergo quia ignorauit Caietanus etiã opinionẽ probabilẽ cõtempsit, quã tamẽ ipsemet D. Th. uidetur tenere. 2. 2. q. 79. art. 3. Imo ipsemet Caietanus, qui, in alia. q. an bona usurarij sint obligata, tenet quod quicquid emptum est ex pecunia usuraria, pertinet ad ipsum usurariũ, ut dominum eius. Et reuera in his quæ usu cõsumũtur nõ auderẽ dicere nõ transferri dominiũ. Dicũt autẽ usu cõsumi ea quæ in pondere nũero & mẽsura cõsistunt, & mutuo dantur. De reliquis autem adhuc non absq; dubitatione procedit quæstio, nec auderẽ etiam in his pro certo statuere non transferri dominiũ, quia uoluntas dantis creditur esse uoluntas transferendi dominium, quanquam aliud supponat Caietanus. Sed Chyrographum solutionis aut ipsius contractus aliter loquitur. Nec obstat quòd inuitus id facit, quia facit tamen: & talis coacta uoluntas, uoluntas est, Quod si ponatur soluens alterius esse mentis, hoc probari debere t. Soluens enim ut debitum & es alienum, simul habere animum conuincitur transferendi dominium, *Hec sunt nota iniustis.*

propter

propter contractum, licet ipse nollet. Quod si quis urgeat ex Caietani argumento, ergo usurarius faceret fructus suos, inane est: quia nesciens quæ iuris sunt ponit regulam falsam, uidelicet quod semper translato dominio puta fundi, fructus ita sint ipsius domini fundi, ut non teneatur ad restitutionem eorum, quod multis instantijs retunditur. Nam qui debet mihi fundum uenditionis titulo, & nondum tradidit sed est in mora tradendi, cui dubium quòd & fundum & fructus tenetur restituere à die moræ? Et similiter si dolo malo aut ui uel metu tibi uendidi agrum, & tradidi, dominium transferens, etiam teneris ad fructus eius? & sic est falsißima regula quam ponit iste homo, nullus tenetur alteri restituere fructus agri proprij, quæ regula uera esset, cum ager non esset obnoxius restitutioni, sed si restitutioni obnoxius sit & moram faceret qui tenetur restituere, aliud esset Et per hæc patere potest, quàm sit audax in alienam messem falcem mittere. Tædet alia quæ ipse ut subtilia commendat, recensere: & ex quibus arbitratur euidenter accipi suam cõclusionem, Nam in tota.q. uel paralogizat, uel quæ sunt apertißimè falsa assumit. Ego uero quãquam in eam sententiam magis inclino quæ ponit transferri dominium, non tamen absq; formidine: solum enim propter autoritatem. B. Thomæ. quanquã & posset pie glossari dictum eius.

In ea quæstiõe, An liceat supra sortem ex mutuo sperare aliquid, nõ dissentio à Caietano in decisiõe quæstionis: quoniã ex mutuo, ut est mutuũ, quod eius naturæ est ut non exigat aliud supra sortẽ, nõ licet sperare quicquam

quam

quam quia innaturale est. At ex mutuo, ut est quoddam amicitiæ officium, quod liceat sperare, quod etiam naturaliter debetur, aliquid gratiosum, uerbigratia, quod aliquando remutuabit (ut ita dicam) aut aliquid gratiosè faciet cum occurrerit, nō mutuaturus si aliter crederet, uidetur esse non solum sine uitio, uerum etiam æquum & iustum. Sed hoc erat quod Glossa dicebat, quam tamen reprehendit Caietanus quia non intellexit. Dicit enim quòd non licet illud sperare principaliter sed secūdario: ac si dixisset, qui mutuo dat primum debet intendere beneficium facere mutui deinde recipere aliquid pro benefacto, ut sit uere mutuum, quod debet esse gratiosum. Alioquin non tam mutuum esset in mente sua quàm negociatio per pecuniam innaturalis: quia pecunia nihil potest parere. Illud quoq; nō prætermittam hoc loco, quòd id quod apud Lucam ait dominus, mutuum date nihil inde sperantes, non eò pertinet, ut solum inhibeatur usura, sed admonuit discipulos suos peculiares, ut ita mutuo dent, ut etiam nec ipsam sortem sperent recipere, & reputent se donasse quodcunq; sic dederint, ut sic à deo expectent remunerationem illam uberem, Et ideo superius dixerat. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ uobis est gratia? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur ut recipiant æqualia. Et propter hoc sequitur. Verumetiam diligite inimicos uestros benefacite, & mutuum datæ nihil inde sperantes, & erit merces uestra multa, & eritis filij altißimi quia ipse benignus est super ingratos & malos &c. Cōsidera lector acute & probabis omnino puto quod loquor.

quor, sunt enim cõsilia heroicorũ facinorũ quæ perfectũ hominem reddunt ad quæ tamen non obligat dominus.

ADmiratus ego sum uehementer quòd usurarium mentaliter concludat non teneri ad restitutionem eius quod ipse supra sortem accepit, ab eo qui liberaliter tamen dedit, quanquam putet eum non liberaliter dedisse, sed quasi ex mutuo: cum tamen ipsemet in dispu-

Inconstantia doctrinæ.

tando super hac quæstione dixerit quod non potest retinere donec est in ea opinione erronea quia conscientiam ligat. Et inferius dicit simpliciter quòd non tenetur ad restitutionem, quia hoc quod accepit non est usurarium per se sed per accidens, scientia autem non est eorum quæ per accidens sunt & dimittuntur ab arte, Sed nos alibi quoque annotauimus quàm sæpe erret in moralibus nesciens cognoscere quid sit ibi per accidens: ergo dicendum reuera quòd qui putat aut dubitat, quod accepit esse usurarium debet offerre illi à quo accepit, ut si declaret se libere dedisse tuto retinere poßit, Sin autem pœnitentia ductus mendaciter dicat se ex causa mutui dedisse, & non donationis, ipse quidem qui restituit coram Deo solutus sit, ille uero qui recipit ligatus, quia quod liberaliter fecit absq; causa cõmutauit: nisi uideat quòd qui restituit nec uelit habere ex dono, Et hæc est ueritas ex se patens.

IN ea quæstione utrum bona usurarij sunt obligata, cum sint duæ opiniones contradictoriæ, Caietanus rem sic componit, ut utraq; opinio uera sit, sed una locum habeat in bonis extortis per usuram, quia hæc sunt obligata ipsi soluenti usuram, cætera uero non. Et non

uidit

uidit se ĩ cõtradictoria incidere, uolẽs quòd ista bona sic extorta sint usurarij ex ui sermonis. Nam quaestio est de bonis usurarij an sint obligata, & ipse respondet ista extorta sunt obligata, supponens proculdubio esse usurarij. Adde quod loquitur in hac materia ualde improprie uocans obligationem propriorum bonorum, id est, quod propria bona dicantur mihi obligata, quod nõ memini me legisse apud autores: quoniam res mihi dicitur obligata quae cum aliena sit, in ea tamen ius aliquod habeo, puta pignoris uel hypothecae: quia dominus mihi obligauit eam, Sed quae omnino mea est mihi obligata dici non solet, quis enim illam mihi obligauit? sic nec seruus meus simpliciter dicitur mihi obligatus: sed meus, quanquam obligatus dici poßit, ex eo quòd meus est, ad seruiendum mihi. Porro si quis meam rem detinet ipse dicitur obligatus ad restituendum eam: ipsa autem res uix dicitur esse mihi obligata, quae mea est, nec dicitur ipsa res subiecta actioni reali, sed ipse detinens reali actione tenetur quae ideo realis dicitur quia ad rem recuperandam datur. Alios etiam similiter non ex consuetudine nouos docendi & loquendi modos & terminos, sed ex proprijs meditationibus, adinuenit. Adde quòd non est iniqua distinctio glossae & abbatis & aliorum plurium, qui dicunt quòd res ex pecunia usuraria emptae, & titulo lucratiuo translatae, remanent obligatae ijs quibus usura debetur. Non autem si titulo oneroso. Nec id concedo quod ait, ad theologos spectare determinare de usura. quid enim si theologi dissentiant ut saepe faciunt,

determinare

determinare enim de his est pontificum per canones: & canonistarum est determinatiões canonum iuxta regulas suas interpretari Nec *etiam placet determinatio sua, quòd quocunq;,titulo translata sunt usurarij quæcunq; bona ad quoscunq;,tempore quo iam non erat soluẽdo, quòd illi ad quos peruenerunt teneantur restituere, & imputare sibi debeant quòd ab usurario emerint. quid enim si quod eis prius debebatur solutum fuerit? Item quid si emerint bona fide ignorantes esse usurariũ,quia occultus erat?aut rationabiliter putantes,iuxta commu nem credulitatem,quòd haberent in bonis ad satisfacien dum?* Adde,*quòd de usurario qui non potest restituere, eo quòd decoxerit,non dicit pontifex,quòd debeant cre ditores usurarum ire aduersus eos qui habuerunt eorum bona quouis titulo,sed solum quòd possessiones emptæ ex pecunia usuraria uendi debeant:quod tamen intelligẽ dum existimo si sunt plures hæredes,aut alioqui titulo lu cratiuo ad alios peruenerint,nisi fortè in his specialiter cõcedatur obligatio hypothecaria.*

AN *hæredes usurarij teneãtur insolidum disputãs Caietanus rectè concludit, & secundum doctri- nam* Abbatis,*quanquam* Abbas *formidarit contra glos- sam loqui, quæ uolebat altero deficiente alterum teneri insolidum,quod tamen de rigore iuris non esse uerum.* Abbas *ipse confitetur,* Ait *tamen glossæ illius sentẽtiam practicari,& quidam addit,id esse quando specialiter mandauit usurarius hæredibus suis solui usuras,quia tunc credibile est ad animæ suæ subleuationem mandasse singulis in solidum,quum alter forte non faciet,quod*

puto

puto esse aerum & menti tenendum. At illud quod ipse Caietanus ait, uidelicet quòd hæredes singuli non solum secundum uires portionum suarum, uerumetiā quia bona ipsorum propria (ut inquit) afficiuntur, de proprio soluere tenentur si non satisfaciat hæreditas, iniquum est & contra ius canonicum, & ius ciuile, si factum est inuentarium: in consciētia uerò non tenetur siue factum fuerit inuentarium siue nō, quia hæres sustinet personā defuncti, nō nisi secundum partem illam bonorū quæ ad eum peruenit à defuncto, id enim tenent communiter canonistæ ut docet Abb. in c. tua nos de us. & c. in literis de Rapt. Imò est etiam ferè communis opinio, quòd in delictis hæredes de iure canonico non tenentur ultra uires hæreditarias, & hæc omnia uel nesciuit uel nō meminit Caietanus in proposito.

De lucro cessante ex mora debitoris & si nō insubtiliter cogitare uideatur, contra doctores tamen & contra iura & ueritatē ipsam docet quoniam tunc uerè tenetur debitor ad id quod lucrari uerisimiliter, & ut in pluribus creditor potuisset, ad arbitrium boni uiri: quod arbitrium in hoc uersatur, ut arbitretur quantum credibiliter potuerit lucrari & tantum detur. Nec obstat dictum Caietani quòd possent multa accidere quòd non lucraretur tantum. Nam respondetur quòd ea quæ sic possent accidere non considerantur nec sunt consideranda, tum in odium morosi, tum quòd leges sunt de his quæ frequētius accidunt, posset autem accidere quòd et plus lucraretur. Nec item obst. quòd hoc tale lucrum cessans nō est in actu sed in potētia tantum, quia adeo est in

potētia propinqua, ut cēseatur esse & ī actu, iuxta illud proxime cingendus habetur pro cincto, nō enim hic est ea potētia, quæ se habeat ad utrūlibet, sed ea quæ omnino reducetur in actū, saltē ut in pluribus, quā in huiusmodi sapiētes recipiūt quasi certo uēturam in actū, spernunt enim ea quæ perraro accidūt legislatores. Caietanus igitur hic errauit, non doctores omnes qui oppositū docent.

Lex. ad ea. ff. de leg.

DE mōte pietatis, An sit licitè cōstitutus disputans primo præfatur huius rei indagationē pertinere ad moralē philosophū: & ideo decisionē ac determinationē nō esse pōtificis per se, ita ut homo teneatur illi stare, quia super hoc nō est promissa ei ueritas, uidelicet ut noscat oēs ueritates quæ naturaliter sunt scibiles & morales. quo in loco certè pernitiosè errat. Nā ueritates morales reducūtur ad ea quæ fidei sunt. Ex fide enim accepimus nō solū quæ credēda, uerū etiā quæ faciēda sunt nobis, ut placita Deo, quorum quædam non ita docet ratio naturalis, quin sit opus reuelatiōe spiritus sancti. Nam uidemus eos qui mera ratiōe naturali ducti sunt innumeros fecisse errores, qui ex ipsa luce diuina reuelata sunt emēdati: ideo Paulus Iudæo dicebat, Et probas utiliora instructus per legē. Quocirca nō dubito merū esse errorē negare ad pōtificē pertinere decisionē horū quæ spectat ad mores, & licitū & illicitū, ēt solū naturaliter noscibiliū, si hoc daremus: quoniā hæc notitia & clauis exigitur ad curā ouiū Christi, qua cura data pōtifici, etiam necessaria hæc notitia, in claui concessa illi, proculdubio cōtinetur: aliàs nō eēt prospectū satis ecclesiæ scilicet per Christū. Quid enim si philosophi ī re morali dissentirēt inuicem

inuicē nūquid dicet, ipsa ratio iudicet, ut Lutherus ait de scriptura? Ridiculum. At hoc ponitur dubiū, quid ipsa ratio dictet inuicē dissentientibus ijs qui sapiūt. Miror autem quòd alibi de usura determinare dixit pertinere ad theologos, nō dicit ad philosophos morales, & nō esse huius rei determinationē simpliciter pōtificis, quod puto ut dixi merū esse errorē, & ualde cauendum. Et quā quā ratio naturalis sit uera, & super omnē hominē, etiā ipsum summū pōtificē, quia tamen ratio naturalis nō ab hominibus in multis agnoscitur, ideo in his quae ad mores pertinēt debuit habere iudicē habētē clauē sciētiae, in hoc ut ualeat Deo ipso certè dirigēte, discernere ac decernere, quo dicta ratio naturalis inclinet. Nā cui dubiū quòd est supra papam scriptura? & nihilominus scripturae dubia papa resoluit habēs clauē scientiae, ad certo & infallibiliter determinandum. Adhaec licet haec quaestio moralis sit & discuti possit ex moralibus principijs, non tamen excluditur purus theologus & sacrarum literarum scrutator ab eius disputatione: nam ex ipsa scriptura habentur omnia principia moris, nec quicquam principiorum hic considerat Caietanus, quin pateat in scripturis, imò quin sit notum etiam uersantibus in studio Canonum, quoniam & illi nituntur in principijs, uel naturalis rationis, uel scripturarum, saltem mutuò acceptis, unde possunt & ipsi conclusiones deducere. Neq; ipse Caietanus solus philosophus fuit. Frater Hieronymus Sauonarola quem certe magnum fuisse Philosophum nullus negauit, hunc montem pietatis in suggesto nō solū non improbauit, sed & commendauit in suis

Inconstantia doctrinae.

Nota.

sermonibus ut planè legitur, Quin iam res ipsa in co
lio Lateranẽsi determinata fuit contra sententiam C
tani. Verum quoniam adhuc uiuit iste suus tractatus,
in illo hic uir uehementer surgit, penè sibiipsi soli t
huius rei definitionem arrogans, derogans etiam illi
di, cuius uerè fuit & est ius talia decidendi ex uerbo
mini, propter eos qui fallũtur mirificis istis philosop
professionibus, manifestum faciam in quibus ipse pro
dubio longè fallitur, tantoq; id confidentius agam, qu
commune iudicium & Apostolicæ sedis sentẽtia pro
militat, mitto & hoc in loco perpetuam huius doctri
Ineonstantia doctrinæ. *inconstantiam, nam cum iam exisset aliud pontificis*
cretum quo probabatur talis modus pietatis, ipse sic
cusat, quòd papa simpliciter approbat mõtem illum
tatis, sed non simpliciter capitula. quia ibi legitur, c
capitulis nõ cõtrarijs sacris canonibus. Vult ergo q
Nota. *aliqua capitula sint contraria sacris canonibus, & i*
iniusta, & cum hoc ait, quòd hoc cernere, scilicet q
habetur in canonibus, nõ pertinet ad canonistas. O in
cunspectionem, quanquam uere ridicula est ipsa excu
tio, & iam ultima Papæ decisiõe explosa. Sed uidea
iam eius fundamenta, ut acutus lector cernat quàm
lia sunt. Sciendum quòd mons pietatis est pecunia c
lecta in usum pauperum, ut inde mutuentur & re
dant tantundem dato tamen pignore. Quoniã uerò
res indiget ministris, qui tã pecuniã mõtis quàm pig
ra ipsa suo periculo custodiant & conficiant ratio
adijcitur hoc capitulum, quòd qui mutuo accipiunt
satisfiat talibus ministris, & adhuc pro domo condu

(requiri

(requiritur enim locus ubi hoc negotium fiat) teneātur soluere unam denarium menstruum pro libra, & in hoc est quæstio, an id iuste fiat. Caietanus ergo à principijs rem discutiens supponit, quòd hic quæritur de iusto naturali non de iusto quod ex lege positiua oritur, Iustum autem naturale quod est ad alterum in duas diuidi species, quia duplex est iustitia, scilicet, commutatiua & distributiua: & commutatiua quidem quæ inter priuatos est æqualitatem arithmetricam postulat, ut si quis mutuo det quatuor etiam recipiat quatuor: distributiua uerò, geometricam: quia à principe descendit in priuatos quasi in membra, quæ cum sint diuersæ dignitatis & meriti, proportionem istam requirunt. Igitur uidendũ utrũ harum aliqua iustitiarum per capitulum hoc lædatur. Et quod attinet ad commutatiuam iste sumit ut dignitatem quòd ille tenetur ad mercedem conductæ domus & ministrātium huic pietati, in cuius gratiam ista fiunt, & hinc ait sequi, quòd nullus pauperum tenetur ad huiusmodi mercedem, quia hæc non sunt ordinata, nec aguntur in beneficium cuiusquam pauperum, sed potius uniuersitatis pauperum. Aliud autem est uniuersitas pauperum, aliud singuli pauperes. Ergo uerò hic primum deprehendo errorem, quòd iste fingit esse uniuersitatem pauperum quasi quoddam collegium legitimum, quod habet publica munera & æráriũ publicũ, unde publica debita poßit soluere, quod longè abest à statu pauperum qui sunt uelut grex dispersus nõ habens pastorem. Itaq; mutua quæ dātur ex eo mõte, nõ collegio aut uniuersitati dātur, quod nullũ est: sed certis pauperibus, indigenti-

bus:neq; pignora quæ ab illis dātur & seruātur à ministris,sunt istius fictitiæ uniuersitatis pauperum:sed sunt particulariū pauperū qui dant,& in eorū gratiā seruātur ipsis restituēda:unde si ab alijs paupibus exigerētur qui nec mutuatur,nec in gratiā eorū quicquā fit,iniuste exigeretur. Ex quo patet plusquā manifestè cū ista Caietani cōsideratio super quā omnē circa hoc doctrinā suā fabricat falsa sit & ruinosa,ēt simul doctrinā ibi cōstructā collabi. Vnde & prima & secūda & tertia eius cōclusio īprobatur,& quinta,si pauca tamē dixero super secūda, Ipse enim uult quòd ratiōe curæ pignorū aliqui pauperes ledi poßūt,uidelicet q talia tradiderūt pignora, quæ nō indigeant tanta cura puta excußionis. Verū quia hæc minima sunt,& hoc est per accidēs,nō deputantur à lege:nā se paratos tales ministri exhibent etiā ad istam curā si essent omnia pignora uestes. Adde quòd interdū plus curæ exigit aliquod pignus puta argētū uel quid tale propter fures,aut si sit uitrū,aut aliquod quod facile poßit frangi.& ideo nō sunt ista cogitata quæ nec debuerūt cogitari ut minutißima & nō curāda. Nā de minimis (ut aiūt iuristæ)nō curat prætor:merces enim excutiēdi uestes ferè nihil est præ alijs quæ soluuntur,unde ēt siue hoc labore eadē esset merces. Et propterea ex hoc minutulo quod etiā per accidēs est(ut dixi)nō est reputanda iniqua solutio talis mercedis, Nā si quis uellet cōputare ac deducere mercedē laboris excutiēdi uestes quominus soluāt qui nō dederūt talia pignora ut accrescat eis qui talia dederunt,plus mercedis mereretur ab ijs in cuius gratiam id faceret,quàm quod illi solueretur:arbitror enim

enim uix esset uigesima pars denarij, & per hæc patet ẽt secũdã cõclusionẽ falsã, imò totã penè huius uiri disputationẽ ijs duobus ĩ qbus maxime se fundat reiectis, cadere uides. Vnũ tñ nõ est dissimulãdũ quod ipse cõsiderauit: quoniã nõ uidetur hic mod⁹ soluẽdi debitã mercedẽ uidelicet ut soluatur denarius pro libra mutuo accepta licit⁹ hoc enim uidetur usura: potius enim deberet statui certa merces ministris pro suis operis iuxta id quod merẽtur, est, solui ab ijs qui uẽturi eẽnt ad accipiẽdũ mutuo, æqualiter, ut ait Caiet. sed certe hoc minus iustitiæ habet ut tãtũ soluat ille q accepit mutuò, puta, tres aureos, quã qui dimidiũ aut minus, et ratio est ĩ prõptu, quia si beneficiũ est pensandum profectò maius est beneficium eius qui plus quàm qui minus accepit ut apud Luc. 7. et ideo taxatio ista quæ est in lege mõtis iusta uidetur, & non illa quã Caiet. affert, nã si quis iret decies puta & nõ acciperet mutuo ultra tres aureos in omnibus his uicibus et alter semel acciperet totidẽ, id est, tres aureos, iuxta huius hominis doctrinã, qui decies mutuatus est deberet soluere pro mercede nouies plus, quã qui semel totidẽ, ut ipse ponit, quod est absurdissimũ. Quòd si dixeris pone quod id quod exigitur supra sortem excedit debitam mercedẽ ministrorũ & domus & librorũ &c. Respõdeo nõ est dubiũ hoc totum debere restitui, sed credibile est quòd ita à prudentibus res temperata sit & experimento cognita, ut uix iste casus eueniat. Et quando eueniret ac restitui oporteret quia plerunq; uix posset ijs qui dederunt, in pauperes erogandum esset quicquid superflui collectum esset. sed hactenus de monte pietatis.

IN tractatu de cambijs, existimo eũ quoq; nõnihil falli quia tamen non omnia consideraui ut oporteret exactè, hoc nũc tantum uolo dictum quòd huius uiri circa hoc doctrina nõ mihi placet, si quando dabitur cœptum opusculum super hoc perficiam.

DE simonia uerò in secunda quæstione ualde illum falli non dubito, quum negat esse simoniam, quando quis emit episcopatum habens animum non soluendi tanquam isto casu non sit uera emptio, quod falsum est: non enim ad hoc ut sit uera emptio, requiritur precij solutio aut soluendi intentio, sed obligatio duntaxat, quæ hic fuit. Est igitur uenditio & emptio episcopatus, & propterea simonia: & consequenter incurruntur censuræ. Simonia enim ut sit, satis est pactum, nec requirit executionem pacti, quanquam ex parte uendentis hic utrũq; accidit, quia uendidit & tradidit, ex parte quoq; emẽtis maius quoq; crimẽ est quàm simplex simonia, quia fraudẽ superaddidit simoniæ. Adhæc si definitio simoniæ Hostiẽsis uera est, quòd est datio uel acceptio rei spiritualis cum pacto de temporalibus &c. quid obstat quin sit simonia: nec tamen firma est definitio ista, cui Abbas, imò & Papa contradicit qui solam promißionem & improbat & punit ut est in decret. Veniẽs et, Nobis, de sim. Nã etiam econuerso, si datio rei temporalis interuenerit cũ pacto recipiendi spirituale, simonia est, ut in Decr. cum essent. de sim. & consequenter canonũ pœnis plectenda. Nam si magus ille Simon, qui huic crimini dedit nomen, ex sola oblatione rei temporalis de hoc scelere à B. Petro obiurgatus est, & dura illa sententia increpitus, pecunia

cunia tua sit tecũ in perditionẽ, quid amplius dubitamus quòd nõ executio ipsa pacti uel uolũtatis iã patefactæ cõstituit in esse simoniã pœna dignã, sed ipsum satis est pactũ & patefacta uolũtas, ut sit simoniæ crimẽ: executio uerò implet illã, canones autẽ simoniacos puniũt, nõ solũ qui executiõi illã mãdauerint, ut ex eis sat latè patet. Quãobrem & hic & in summulis suis manifestũ est, hũc uirũ à canonibus deuiasse.

Rigorosè nimis etiã determinauit quòd secũ dicens in choro partẽ officij de more cũ cæteris sui ordinis, nõ canẽs tamẽ cũ illis, nõ satisfacit præcepto ecclesiæ, motus hoc argumẽto quòd ibi ut ps chori est: & nõ ut extra chorũ iõ ut extra chorũ nõ satisfacit, quia nõ est extra chorũ: & ut chori pars similiter nõ satisfacit, quia nõ audit eius uox ut chori pars sicut necesse est. Et nos dicim°, q. satisfacit ut dicẽs officiũ socialiter cũ alijs, quia qd' nõ dicit ipse, audit ex alia chorite, & qd' ipse dicit, auditur ab alijs, licet nõ ut à se, tñ ut ab alijs expressum, de quorũ uocib° ipse iure participat existẽs ĩ choro: Alioqn si (ut accidit) haberet qs ita exiguã uocẽ ut audiri etiã canẽdo nõ posset ab alijs, ceteris uocibus opprimẽtib° suã sonoritate nõ satisfaceret, qd' est incõueniẽs. Adhæc, ut aliqs dicat satisfacere officio, hoc satis eẽ uidetur, ut hoc dicẽs cũ alijs partẽ dicat, partẽ uerò aliã audiat: quæ duo nõ minus cõtingũt quã si canẽs diceret, et ideo satisfacit. Quod si dicas, ĩ hoc esse peccatũ, quia nõ est auditus ipse ab alijs, et ꝑpterea nõ satisfacere, sicut nõ satisfaceret qñ dicẽs familiariter cũ alio ita tacite diceret ut nõ audiretur. Respõdeo q; satis est quod ꝑ alios

auditur quod ipse dicit existēs ī choro cū alijs, de quorū uocibus ipse particeps est ut dixi, & satis est quòd ipse dicat ita, ut ab existēte prope posset audiri: hoc ergo solū peccat quòd quāquā satisfaciat officio, nō tamen satisfacit choro, nisi forte nō posset ob infirmitatē aut senectutē canere. tūc enim nō dubito quod et choro omnino satisfaceret, & lōge melius in choro sic diceret, quàm si solus aut priuatim cū socio diceret. Si ergo posit in choro dicere & cōtēnat dicere cū alijs nō est excusandus à crimine. Si uerò absq; cōtēptu, sed ex pigritia, incogitātia, inertia aut lassitudine quadam improba, non erit sine culpa, at quòd sit mortale, & quòd sit præcepti præuaricatio non est dicendum uero iudicio: & sic audiui nonnullos prudentiores censuisse, Quod fortè & ipse agnoscens, in summula mitius locutus est.

Circa ordinis formā quòd exigat cōtactū simul cū dicto cōcurrētē, ut cū dicitur, Accipite &c. oporteat omnes simul tāgere ante finē uerborū, contra quod nōnulli obseruāt, durū ac superstitiosum nimis uidetur. nec ratiōe cōuictū, ut putat, imò nec rōni cōsonū, ut ego arbitror. Videor etiā recordari, quod alibi ipsemet cōtra riū doceat sed locū mō nō memini. Quòd ergo hic nō benè, patet, quia duo quæ præcipue ipse affert pro hac parte, nihil mouēt. Primū est quòd uerbū accipe & accipite est præsentis tēporis, quòd præsens tēpus cōcluditur in eo tēpore, quo fit uerborū prolatio nec ultra extēditur, sicut si indicatiuè diceret qs, tu accipis calicē uel librū, ut uera sit enūciatio opus est quòd tūc accipiat quū uerba profert: & nō extēditur tēpus hoc præsens significatū ultra id quod est post prolationem uerborū. Verum quòd

quòd hæc uana sint & falsa, innumeris pene instãtijs cõ probatur. Nã cũ Christus dixit, hoc facite in meã cõme morationẽ ridiculum esset exponere, quòd tunc deberẽt illud facere intra terminũ prolatiõis uerborũ, similiter quãdo dixit prædicate euãgeliũ omni creaturæ, Similiter innumera mãdata his uerbis præsentibus tradita stultissimũ esset dicere, quòd statim deberent impleri ante finẽ prolatiõis uerborũ, ut ẽt illud, Date eleemosynã, & multa talia, & falsum est quòd præsens tẽpus imperatiui modi sic cẽseatur sicut indicatiui. Nã qui indicat utens uerbo præsentis tẽporis, rem pñtẽ esse enũciat cuius existẽtiã oportet cõgruere dicto ut uera sit, Ab eo enim q; res est aut nõ est, uera est enũciatio uel falsa. At qui imperat etiã uerbo præsentis tẽporis, impossibile est ut imperet quod fit, sed quod fieri uelit, ideoq; de necessitate dat spaciũ cõueniẽs ad faciẽdũ quòd imperatur, nec tam rigorosè ac superstitiosè accipiẽdũ est dictũ, ut res inde cẽter fiat. Itaq; morosissimũ est dicere quòd tẽpus prolatiõis sit tẽpus intra quod debeat obediri imperio: nã prolatio paucorũ uerborũ subito fit et trãsit, nec põt homo expeditus esse intra tẽpus illud ad id faciẽdũ quod imperatũ est, quod, antequã prolatũ fuerit, nõ est intellectũ. Nã reuera si quis uocauerit aliquẽ & dicat, Veni, oportet quòd ãñ sit uerbũ prolatũ quàm intellectũ, & ob eã causam nõ mẽsuratur tẽpus parẽdi dicto, cũ tẽpore prolatiõis uerborũ. Secũda etiã ratio nihil ualet qua ipse respectu materiæ id exigit. Quoniã sacramẽta (inqt) hoc habẽt ut quod profertur in præsenti, ita accipiatur ut nõ exeat tẽpus prolatiõis uerborũ, ut cũ dicitur hoc est corpus meum. Id enim non ad propositum, cũ sit hæc oratio

enunciatiua,

enũciatiua, uel potius recitatiuè dicatur et nõ significatiuè. Quòd si dixeris si hoc presens tẽpus non terminatur prolatiõe uerborũ, quæ erit regula terminatiõis eius? Respondeo ἐπιείκεια, id est, æquitas, nã & apud iurisconsultos cũ quis à iudice dare iubetur, statim, consideratur tẽpus aliquod iuxta æquitatẽ et humanitatẽ quãdã. Itaq; ipsa ratio facile potest hæc cernere. Itẽ ipse mos & cõsuetudo. Quocirca nõ erat absq; ratione cõstanti reprobãda hæc episcoporũ cõsuetudo, & inijcere scrupulos in mentes eorũ qui plus satis scrupulosi interdum fuerint.

ANNOTATA RAptim circa summulam Caietani ad admonẽdũ, magis quam disputata ad explodendum.

DE uenialibus potest esse quilibet sacerdos idoneus cõfessor, dubito, imò periculosum arbitror.

ABsolutio sacramẽtalis excõmunicati quãquã illicite fiat, facta tamen tenet. Cogitandum puto.

ACceptio personarũ qua minus digni in distributiua iustitia eligũtur, facit reũ culpæ & obligat ad restituẽdũ. Hic uide, quomodo, cum nõ sit quæsitum ius, oporteat restitui.

AVaritia ut est inordinatus appetitus habẽdi, nõ facit mortale, quia nõ est contra charitatem sed præter. Caue.

Auspicium

Auspiciū & auguriū tolerabilia interdū prædicat, si sumatur, inquit, cōiectura uel suspicio de his tā tū ad quæ celestia corpora se possunt extendere. Caue.

Circa bellū docet quòd iam cœpto bello nō tenetur rex iuste bellum exercēs reuocare illud oblata sibi satisfactione: quia (inquit) acquisiuit ius uindicandi. At *hoc oportuit probare, nā cōtra scriptum est, Mihi uindictam, & ego retribuam. Itē sunt casus in quibus possunt excusari bellātes, quos hic homo non aduertit, utputa si ab initio uidebatur eos fouere bonā causam.* Ad hæc *belli inceptio nō facit magis dominum uindictæ. Itaq; melius hæc erāt cōsideranda.*

Circa opus quod habet episcopatus, quod est graue &c. dicit nō esse malū postponere digniorē, sed satis est eligere dignū, quia hic nō est acceptio personarū & nō fit iniuria digniori, & nō uidet quòd minus prouidetur ecclesiæ,

Vide in uerbo Beneficium *prope finē, & in uerbo.* Electio, *& nota quomodo arguit negatiuè quia* Paulus *non iubet digniorem &c.*

Bestialitatis etiā uitiū ponit, ambulare manibus & pedibus nisi ioci gratia, & rē turpissimā. Quis *aūt hoc faciat unquā? Sed utrū bestiæ ambulāt manibus?*

Circa blasphemiā putat, q, dicere ad corpus dei, uel ad sanguinē irreuerēter nō sit mortale, quia nō est contra deum sed præter: tanquam irreuerentia dei nō sit contra deum: Caue.

Circa actiones clericorū, ipse nihil, phibitū à iure putat esse mortale peccatū, nisi quod est de se contra

charitatem

charitatem, quasi non sit contra charitatem non parere superioribus. Adam ergo non peccasset mortaliter &c. Item nihil fieret mortaliter illicitum quia prohibitũ stante sua regula, quod est contra ipsummet, qui fatetur de multis quòd sunt mortalia propter prohibitionẽ, ut cõmunicare nõ ieiunũ, & nõ cõmunicare in pascha &c.

Circa cõmunionẽ & uiaticũ, uult nõ esse mortalem prætermißionẽ quia nõ est preceptũ: nec sacramẽtũ hoc est neceßitatis, sicut nec extrema unctio. Itẽ uult quòd si cõcubinarij & usurarij & huiusmodi in articulo mortis uolunt sumere uiaticũ, debet prius prouideri scandalo, scilicet publicando quòd uerè dimissus sit cõcubinatus & usura &c. Ego uerò quia in eo articulo sæpenumero nõ possunt hæc fieri satis esse puto fieri postmodo. Interim uerò cessare scandalũ ex parte sua, eo quòd actum agit qui rectè non potest fieri, absq; proposito efficaci dimittendi illa.

De concubinatu sic ait, quòd duo includit scilicet peccatum fornicationis & statum peccati mortalis. Vnde (inquit) ad ueram pœnitẽtiam exigitur non solum abstinere ab actu illo carnali, sed etiã recedere à tali statu quasi uerò, nõ recedat à statu, qui ab illo actu recedit: non enim est concubinatus sine actu aut uoluntate id agendi. Verum est, quòd propter scandalum publicum debet id fieri, ut nõ putetur concubina &c.

Circa confeßionem inijcit scrupulum de reticendo peccato, per cuius manifestationẽ est periculum famæ aut uitæ alienæ. Quo certè in loco si quis tenetur confiteri sic, ut non parcat famæ suæ, quomodo debebit alienæ parcere? & quia quod in cõfeßiõe dicitur nõ uidetur

dici

dici aut reuelari, nõ uideo quid hic sit cauẽdũ, nã si cõmittit hõ famã suã et uitã audiẽti, quo nõ cõmittet alienam? quaproter superfluo puto datas cautelas adeũdi sacerdotẽ cum habitu occulto &c. ut ipse superius consulit.

Confiteri per interpretem nõ tenetur quis, ait Caietanus, quia interpres nõ tenetur sigillo cõfeßiõis: habet enim se per modũ cõfitẽtis non audiẽtis. Imò etiã audientis, Nam primo audit loco sacerdotis.

De homine qui nõ est paratus ullã acceptare satisfactiõis pœnitẽtiã, quòd in tali cõtumacia sit dignus absolui licet asserat Caietanus & alij quidã, nõ ab re tamẽ ipse sic ait, quòd qui in hmõi ptinacia perstat, nõ multũ ab inferno distare uidetur, & certè si sacramẽtũ hoc perficitur satisfactiõe, id est satisfactiõis ĩpositiõe, nõ est pfectũ hoc sacramẽtũ, cur igitur nõ uitiosum? Nã quæ cõtritio ẽ hoĩs nolẽtis hic satisfacere quouismõ pro suo pctõ? Certè aut ĩfidelis ẽ iste aut irrõnalis et stultus.

Notat de excõmunicatiõe inquisitoris qui odio uel amore &c. quòd actus ĩteriores cadũt sub iudicio ecclesiastico, quatenus tñ inqt ad aliqđ exteri⁹ pcedũt, uidelicet cõmißiõis uel omißiõis. Sed quis nouit an illa cõmißio uel omißio fuerit ex odio uel amore? & iõ non sunt hæc diligẽter ab eo cogitata nec tractata.

Circa manus uiolẽtas ĩ clericũ, quod ait nõ esse manũ uiolẽtã si quis exiliũ præcipiat aut confinia, ne scilicet ex tali loco exeat, nõ est facile admittẽdũ nã quodãmodo carcer uidetur & manus uiolẽta satis cẽsetur, si hæc immineat non parenti.

Nota distinctionẽ huius hoĩs inter manũ sacrilegã absolutè, et sacrilegam ex iuris positione, qui

declarat

declarat sacrilegam absolute, iniquam clerici percußionem: ex iuris uero positione sacrilegam, si laicus nocentem clericum condemnet aut uerberet correctionis gratia, aut etiam occidat uindictæ publicæ causa. Quasi uero & hæ non sint iniquæ percußiones, cum iniquitas nõ ex eo quòd quis meretur tantum pensetur, uerum etiam a quo. Male igitur & omnino superfluo consideratur hæc distinctio.

Circa excommunicationem sepelientium manifestũ usurarium, uidetur errare, quia non uult parochũ iubentem aliquem talem sepeliri, & ipsos sepeliẽtes excommunicatiõi subiacere, Vide. C. quanquam de us. in. 6. & clem. eos qui, de sepultu.

De excõmunicato qui se ingerit in iudicio ad testificãdum & iurandum nõ putat esse mortale, cũ sit tamẽ iniuria in deum qui ait, Peccatori dixit deus quare tu enarras iustitias meas?

De obseruantia dierũ festorũ licet multa dicat digna examine, illud omnino notãdũ, quòd in festis dare locum ludis, iocis, ocio, spectaculis, uenationibus putat non esse mortale, ratione talium operum: quia non sunt (inquit) seruilia, tamen quia omittitur diuinus cultus imo ludibrio exponuntur Christiana festa præsertim á magnis uiris qui hæc faciũt, graue putat esse peccatũ. Sed cur nõ mortale? cum exponuntur ludibrio diuina & cultus ipse omittatur?

De gloria humana loquẽs dicit, quòd Lucretia elegit adulteriũ ne infamaretur, hoc in loco uel est lapsus memoriæ, uel mendosus est codex non enim adulterium

terium ipsa, quæ uim passa est, sed propriam necem, elegit, ut uiolentiam testificaretur.

HAbitum suum Clericus metus causa iter agendo potest occultare. imo etiam negare se clericum, quia hoc non est amplius quàm officiosum mendacium, Non puto sic dictum, omnino uerum.

HÆreticus occultus nō est excōmunicatus, nisi saltem exterius, uel sibimet ipsi protulerit uerbum. Hoc falsum existimo, Sed alibi tracto.

HIstrioniam non damnat nisi ex ea, iniuria proueniat in Deum uel homines, aut inhonesta proferātur uel adulatoria, Sed aliter Sancti, & uera religio docet. Nam per illam multa mala fiūt. Tu ergo uide dist. 86.c.donare, &c. qui uenatoribus. & de consec. dist. 2.c.pro dilect. & 4.q.1.c.1. & ff. de his qui non infa. l. 2.§. ait Prætor &c.

DE homicidio uide quod non concedit, etiā si quis maiestatis reus dicatur quòd ualeat occidi mandante Rege, absq; eo quòd audiatur. Et tamen ipse uult quòd homo priuatus poßit occidere tyrannum. Contra quod dogma ego alibi disputo, puto enim hoc esse contra concilij determinationem, licet ipse nitatur soluere.

NEgat ex profeßione teneri religiosum ad horas seu diuinum officium: quia monachus non tenetur, quia distinguitur à clerico regulari in hoc, quòd ille tenetur diuinis officijs, monachus autem ad contemplationem abstrahendo &c. Sed certè nulli unquam mona-

chi fuerunt ordinati absq; hoc ut dicant officium, nec similiter religiosi. Et similiter conuersi tenentur &c. Idq; manifestum uidetur ex regulis & consequenter ex professionibus eorũ, & non sola consuetudine, sed instituto.

AD ieiunium omnes teneri inquit nisi rationabilis causa excipiat, & putat quod rationabilis causa sit, nõ solũ quæ uera est, sed etiam quæ æstimata à debẽte ieiunare. Hæc ille, tãquã nõ sæpe mentiatur iniquitas sibi, et aliquis rectè posit iudicare de seipso. Quod etiã uult, quòd ad captandum somnum liceat frangere ieiunium, quasi ieiunium non sit ad macerationem corporis & castigationem, & quasi copulari non debeat uigilijs, an sit uerum, spiritualis homo iudicet.

QVòd etiam excusat curiales qui ieiunant in tinello propter cõsuetudinem, scio placere multis, sed an talis cõsuetudo sit potius abusus, & an tolerantia Papæ, qui multa alia tolerat, sit sufficiens ratio excusationis, censeat spiritualis.

DE imaginibus astrologicis uidere potes quid ipse somniet & scribat super secunda secundæ.

DE iudicio, homo qui credit firmiter ac temerariè proximum in mortali, nõ peccat, inquit, mortaliter, quia non definitiuè iudicat, hoc falsum ac periculosum existimo.

DE laruis licentiosè loquitur uolens iuuentuti esse licẽtiã hãc, per quã tamẽ inumera mala cõtingũt.

DE solutiõe maleficij per aliud maleficiũ, quãdo ait quòd potest hõ, habens fortè notitiã in quo esset uis maleficij, puta in laqueo, soluere laqueum illum sine peccato

peccato &c. At hæc mihi uidētur ludibria: quia dæmones nō alligātur laqueis suis, nisi fortè deus sic uelit occulto iudicio, sed nō potest hic dari regula, & sciētia, itaq; uereor ne uerus in hac doctrina sit laqueus.

Sepenumero docet, quòd eligere malitiosè peccatū ueniale, ut uanè mentiri, diligens hoc uanè, non sit mortale, quod non puto.

Vide materiā matrimonij circa sextū caput qn̄ non intēdūtur ꝓprij fines matrimonij, uide et circa ca. 9. Vide quomodo defendit medicos qui non seruāt cap. cum inter. extra de pœnitē. & remiss.

Vide de ordinātiū ritibus, quomodo non ualide curat de contactu præsertim cum pontificalia uaria sunt, & producit euge in cōcil. Florē. qui tractans materiā ordinū nūquā facit mētionē de tactu &c. Et hoc cōtra illum qui tantopere alibi curat contactum &c. *Inconstantia doctrinæ.*

De ornatu indecenti, si minus decēs fuerit & minus castus, sine peccato esse cēset, quādo cōsuetus fuerit, & introductus fortè ne peiora fiant.

Itē si ornatus relatus ad personā est excessiuus, cōiter tamē uidetur uenialis, inquit, huiusmodi excessus superbus, stultus, et uanus &c. Caue et memēto diuitis qui induebatur purpura & bysso.

Itē uide de scādalo q̄d dat mulier se adornās uanè superfluè ut pulchra uideatur, etsi enim norit hominem casurū propterea, docet quòd nō peccat mortaliter. Vide in suis comm. secunda secundæ. q. 169. Caue.

Qui se exponit periculo peccandi eundo. u. g. ad locum siue societatem in quibus est periculū pec-

candi mortaliter ab aspectu, persuasione, commoditate, non est ex suo genere mortale quia in suæ libertatis arbitrio restat peccare mortaliter etiam præsentibus talibus occasionibus. Vide etiam reliqua quæ sunt periculosissima.

IVrans se facturum quod est ueniale peccatum, non peccat mortaliter. Caue.

ITem iurans se non facturū bonum aliquod super erogationis non peccat mortaliter, & tamen ipsemet dicit quòd homo tenetur nō ponere obicem spirituisancto licet non teneatur facere illud bonum, qua de re sequitur quòd aut seruabit iuramentum, & tunc erit peccatum ponendo obicem, quod est mortale, imò putando religiosum, quòd Deus sit patrocinator criminibus: aut non seruabit, & sic manifeste erit periurus. Nam uerè sic oportet deficere ueritatem iuramento promissam, ut iuramenti religione debitam, & hæc satis, ad hoc ut constituatur mortale, quod ille non animaduertit: ego enim etiam existimo quòd iurans se facturum actum ociosum peccat mortaliter ex irreuerantia tanti Dei, aduocati in testem ad uanitatem.

CIrca relaxationē iurisiurādi dicit, quòd potest liberè relaxari ab eo in cuius fauorem est factū, quod tamen non uidetur semper uerum ut notant doct. ex. c. præterea de sponsalibus &c.

NOn putat mortale prædicāti in mortali quia prædicare non est sacramentum. Opus est hic consideratione.

DE pusillanimitate loquens, errat ut puto quando illam facit peiorẽ præsumptione, cũ præsumptio superbiæ sit, pusillanimitas uerò ab eo uitio ualde distet, quod est magnum, & propinquior humilitati est. quæ est magna uirtus. Et quamuis à magnanimitate distet magis quàm præsumptio, nescio tamen quæ sit magnanimitas Christiano. Vnde etiam quòd abutitur euangelio ad hoc de homine abscondente talentum, quia ille nequam non ex pusillanimitate fecit, sed incusando dominum qui plura uolebat exigere &c.

DE represalijs putat esse iniquas, quando in personas fiunt non in res tantum, quia pater nõ portat iniquitatem filij, & è diuerso. Et tamen ipse dixit quòd represalia est species belli particularis, & si non licet in personas cur in res?

CIrca restitutionẽ ait, minister usurarij tenetur ad restitutionẽ, durũ uidetur, quia ipse nihil accepit, nec damnificauit propriè: uenietem enim sua sponte admisit, & non pellexit eum, quòd si restituet nunquid poterit ab usurario repetere cum non pro illo uideatur restituisse? fortè minister tenetur quia lucratus est ex hoc ministerio malo saltem salarium & quantum fert salarij quantitas tenetur, cogita tamen.

CIrca consensum in iniustitiam ubi dicit, quòd homo qui uidens unita præcedentium uota, quæ satis essent ad rem cõficiendam, si cõsentiat iniustitiæ, nõ tenetur ad restitutionem, quia non uidetur esse concausa, puto quod decipiatur.

DE palpone benè dicit: Sed potest poni sub alio mē bro, uidelicet cōsilij: nam satis consulit qui laudat fieri malum, & sic hortatur.

VBi dicit quòd si quis rem emit alienam ac uendidit alteri tanto quanto emit precio, ad nullam restitutionem ipse tenetur: sed solus ille apud quem res est, quia aliena est, & alter non est ex ea factus locupletior, errat manifeste, quia tenetur ementi restituere precium suum cum rem alienam uendiderit. Nec obstat quòd ipse non sit factus locupletior. Non enim hoc exigitur ut quis ad restitutionem teneatur.

HOmo bona fide inuitatus ad cœnam comedens de alieno uitulo, tenetur quatenus est locupletior factus, id est, quatenus propter hoc nō expendit ad cœnādum domi suæ, quia usus est re aliena, Imperitè dictum existimo, nō enim usus dicitur rei alienæ in his quæ ipso usu consumuntur, nam ipso usu transfertur dominium.

CIrca restitutionē famæ docet, quòd si quis uerum dixit, non debet dicere non esse uerum, sed se iniuste infamasse: uerum hec restitutio apud sapientes cōfirmaret (inquit) infamiam, qui bene intelligerent. Non ergo sic facienda est restitutio famæ. Quomodo ergo? non docet. Circa ordinem restitutionis, quod ait, primo restituenda licite accepta, deinde quæ illicitè: non probo. nā ut mihi uidetur, in pluribus aberrat.

ITem nota quòd ponit adulterā sicut meretricē nō peccare accipiēdo ex turpitudine, quod nō est dicēdū de adultera, quia non est par ratio. Alia etiam mitto quæ

non

nõ probo continenter dicta.

Circa schisma, non placet quod ait, quòd non uidetur inueniri à sacris cõcilijs damnata hæc hæresis quæ negat unitatem capitis in ecclesia, id est, uicarium põtificẽ loco Christi.

Circa Simoniam, quod ait. Si non est traditum quod est uenditum, licet sit precium datum, non incurritur simoniã. Item in eò quòd putat hãc simoniã esse mentalem, non in ueritate quantum ad crimen cõpletum exterius, sed quantum ad pœnas tantum, & quòd si precium solutum est, restituendum est ipsi emptori, cum tamen ex parte sua ipse compleuerit simoniam, minimè probo. Et quòd addit si autoritas iudicis interueniat, tũc non crederem illi restituendam, sed in pœnam ab illo tollendam. Sed hoc quo iure si non est cõsummata simonia, ut ait, & si non est abdicatum ab eo pendente consummatione simoniæ quantum ad pœnas? Vide lector ut li gabatur à ueritate, à qua etiam discedens, non ualebat in totum discedere.

Circa somnia, uide quo modo ponat temerarium iudicium, ueniale, cum ad tantum periculum adducat quãtũ ipsemet exponit, uidelicet quòd merẽtur tales qui talia obseruãt, ut dæmones sese admisceant ad fallendum & alia &c. Adde quòd sortem diuinatoriam ponit inter criminalia, cur non & somnia similiter?

Item nota quòd cõsulere euãgelia ad secularia negocia, quod Augu. reprehẽdit (quia est irreuerẽtia dei) nõ putat mortale, nec cõtra charitatẽ: quia nõ est contra

reuerentiam,sed præter.Et primo ait esse irreuerētiam. Et nota quod subdit, Ait enim quòd posset tali fide & reuerentia ac necessitate fieri,ut nullum esset in hoc peccatum. Caue.

A D *hæc,de superstitionibus & præsagijs futurorū creditis ita loquitur,ut paruipēdere uideatur,nec attinere ad religionis offensionē,quasi sint experiētia cōperta ex traditiōe maiorum &c.& ait,quòd hæc possunt euenire à causa cælesti illamet,quæ est causa futuri casus à præsagio præsignati.* O *hominē male præsagū.*

A D*hæc,superstitionē,quòd oblatū primum cruci in parasceue,& ad modum annuli redactum,& sic gestatum in digito esse remedium ad certas infirmitates,nō au let damnare. Caue.*

D E *suspitione uehementi quamuis temeraria, cēset non esse unquam mortale.Cogita.*

C *Irca Tyrānum benè docet,quòd licet ab eo petere iusta,sed nō bene similitudinem ponit sic dicēs, sicut enim luxurioso sanctè consulitur ut nō adulteretur sed fornicetur,hoc est minus malum committat:quia sub intelligitur si luxuria uti uis,ita occupatori dominij sanctè suadetur,quòd minus male utatur dominio illo &c. Manifestè enim deficit similitudo:quia in hoc consulitur actus illicitus,quod est fornicari.*

C *Irca uectigalia quæ iniusta eē proponit,si posita sunt à principe,etiam iniustè,fortè debēt subditi soluere,quia propter peccata eorum hæc sunt.Vnde licet iniuste exigantur,iniuste tamen forte non soluuntur.*

Circa

Item ratione scādali ac seditionis uitandæ debent solui.

Circa collectas, uidetur etiā errare, quum ait, si tamen cōmunitates sibijpsis &c. Nam eadem ratio est de gabellis, si communitas cōsentiat: quia nulli facit iniuriam.

Circa uota stulta & displicentia Deo, uide quòd magis accedit ad ueritatem, quanquam non pertingat ad eam, loquendo de uotis factis contra id quod est consilij, quàm quando loquutus est de iuramento ac periurio, quia hic uidet quòd per hæc attribuitur Deo quod non est dei, (uidelicet) probare aut acceptare huiusmodi uota. In hoc autem excusat, si per ignorātiam faciat credens non displicere Deo: imò, inquit, etiam si credat displicere hæc Deo, sed quasi peccata uenialia: quasi liceat ignorare quòd hæc est blasphemia, secundum uoti naturam.

Vide de uoto, si deus faciat ut ex illa filium habeat quod putat esse ualidum: cui non repugno, sed cogita, quia fortè aliud est uouere simpliciter, si habebo filium, aliud si dono Dei habebo: quia præsumptuose uidetur optare, & quodammodo petere filium ex concubitu illicito. Nam hic uerificatur, quòd Deus peccatores non audit.

Putat etiam ualere uotum conditionale de ingressu religionis, puta, si committat adulterium: ego uerò non existimo, quia non debet esse causa talis intrandi religionem neq; religio in pœnam est danda. Quid enim si nō formatus sit ad ingressum religiōis, ut sic penis factu

rus sit in ea? Certe hæc meditata non sapiunt spiritum.

Et hæc satis aduersus commentaria Caietani. Non quòd alia plurima non annotauerim, tum in logicis, tum in scholasticis quæstionibus, sed quòd hæc satis sum arbitratus ut constituam iudicium prudentis lectoris de omnibus, ut legat huius uiri commenta cum formidine & cum iudicio.

FINIS.

LVGDVNI

Mathias Bon homme

Excudebat,

1542.

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP.

Omnes sunt quaterniones, dempto PP qui est duernio.

INDEX EORVM quæ in hoc uolumine ex zelo ueritatis uel defenduntur, uel arguuntur aduersus ea quæ in Cōmentarijs suis docuit Caietanus.

Excerpta ex primo libro.

EPISTOLAM AD HEbræos esse Pauli & canonicā probatur quàm euidentissimè. Quòd Hieronymus sit regula discretionis canonicorum librorum refellitur, Item quòd Hieronymus habuit illam epistolam ut uerè Pauli & uerè canonicam euincitur. Si non sit certus autor alicuius scripturæ hinc non sequi non esse canonicam. Falsò ac periculosè dici sola scripta ab Apostolis uel ab ipsis probata autoritatem sacræ scripturæ habere. Retunduntur eius argumenta quibus nisus est probare nō esse canonicam: & ostenditur quàm uanè ac perniciosè ausus sit Caietanus reprehendere tantum autorem, & quod est mirabilius etiā de imperitia Hebræi sermonis.

Hæc omnia à pag. 13. usq; ad. 29.

Defenditur

Excerpta ex secundo libro.

Parabolam

Notatur

Excerpta ex libro tertio.

losa

Excerpta ex quarto libro.

Excerpta ex libro quinto.

INDEX.

Excerpta ex libro ſexto.

Indicem uerò de notatis super eius summulam, nō oportuit addere: nam quæ notata sunt, propter breuitatem loco sunt indicis.

LAVS DEO.

Errata quæ poſſent remorari lectorem.

Pagina	Linea		Lege
77	28	manducarent	mendicarent
79	26	ſic	Hic
81	9	ſiue	ſine
85	26	profectiones	perfectiones
87	7	paſcis	paſcit
89	14	ueritatem	uirtutem
94	27	factam	factum
96	22	ſiue	ſine
Eadem,	29	pro	per
100	8	potuit	poſuit
104	2	gaudia	grandia
108	20	amore	honore
111	27	uentriculo	lentaculo
118	26	rationi	ratione
128	11	eat	erat
137	21	neceſſe	nec eſſe
150	7	habent	habens
153	6 & 22	infirmitate	infimitatem
155	4	tum	tam
Eadem,	23	indicatiuum	imperatiuum
160	3	eligant aptam	eleganter aptant
190	5	iam	non
214	12	uiuat	iuuat
Eadem.	13	quod	Quòd
217	10	ſpecialibus	ſpiritualibus
248	23	inuocatos	inuolutos
250	9	quod	Quomodo
256	19	cuiquam	cuicunque
298	1	ſiue	Diuæ
320	5	ſic	hic
326	16	noluit	nolint
365	28	Thomæ	Thomas
369	12	ſanctificationes	ſanctificationem
Eadem.	16	reuelationi	celebrationi
375	25	uacillum	bacillum
376	25	uolo	nolo
377	14	animo	anima
Eadem,	vltima,	Angelo	Angelorum
397	6	&ſit	etſi
Eadem,	27	quo	quomodo
401	9	ualet	uidelicet
404	25	conuenies	conueniens
407	1	mendicat	manducat
412	6	His	Vis
Eadem,	10	iudicet	indicet
415	13	ſe	te
431	22	ſoluerem	ſoluere
569	17	chorite	choriparte